

CASUS

CONSCIENTLÆ.

—

TOMUS II.

CASUS
CONSCIENTIÆ

DE MANDATO OLIM EMINENTISSIMI S. R. E. CARDINALIS

PROSPERI LAMBERTINI,

BONONIÆ ARCHIEPISCOPI, ETC. ETC.

DEINDE SANCTISSIMI D. N. PAPÆ

BENEDICTI XIV.

PROPOSITOS AC RESOLUTOS.

APPENDIX PRIMA ET SECUNDA.

OPUS CONFESSARIIS OMNIBUS ATQUE ANIMARUM CURAM GERENTIBUS PERUTILE AC NECESSARIUM.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

NOVA EDITIO.

TOMUS II.

ANN. MDCCLII.—MDCCLXI.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
239.6
LIBRARY
L176
Alma, California

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.
ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

LEODII,
EXCUDEBAT H. DESSAIN,
CANCELLARIÆ EPISCOP TYPOGRAPHUS.
MDCCCLIII.

4812

Reimprimi permittimus.

Datum Leodii, 15ª Julii 1853.

H. NEVEN, *Vic.-Gen.*

STUDIOSO

THEOLOGIÆ MORALIS

LECTORI

BIBLIOPOLA.

Conscientiæ Casibus in Bononiensi Diœcesi de Mandato SS. BENEDICTI XIV. Pontificis, in unaquaque pene re propositis, ac sapientissime resolutis, quos elegantioribus typis nuperrime iterum descriptos publici feci juris, appendicem hanc adjicere optimum visum est, quæ casus illos complectitur, qui immediate subsequentibus annis, ab anno nimirum MDCCCLII, ad annum usque MDCCLVIII, inclu-

sive , in quo idem Pontifex e vivis excessit, Eminentiss. ac Reverendiss. S. R. E. Cardinali Vincentio Malvetio, Urbis ejusdem Archiepiscopo curante, discussi sunt. Haud repetam , quantum inde Theologiæ Morali adjumenti accedat, cum id satis superque studioso cuilibet hujusmodi libros pervolventi , ac diligenter excutienti innotescat. Interim, ut cœpta mea, ea , qua assoles , gratia prosequaris, curamque meam perhumaniter excipias obsecro, obtestorque. Vale.

CASUS CONSCIENTIÆ.

ANNO MDCCLII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius accepit par boum Caji, ipso inscio, et solum id sciente filiofamilias ejusdem Caji. Dum autem illis Titius uteretur, unus cecidit, et notabiliter deterior factus est. Qu. An Titius teneatur reparare omne damnum, quod Cajus passus est?

Resp. cum distinctione. Vel filiusfamilias, quo sciente Titius par boum accepit, de consensu Patris rem domesticam gerebat; et tunc dico, Titium non teneri ad omne damnum, neque ad partem damni, quod Cajus passus est, si debitam circa boves curam adhibuit, iisdemque usus est usu ac tempore debito, nec ullum præcessit pactum de damno reparando in omni etiam fortuito eventu. Ratio est, quia in tali casu res ita se habet, perinde ac si idem Cajus par boum ipsi commodasset; et damnum, quod Cajo evenit, eidem contigit non ex culpa Titii, sed ex mero casu fortuito, pro quo Titium non teneri patet ex cap. unico de Commod. Vel filiusfamilias, quo sciente etc. non gerebat rem domesticam de consensu Patris; et tunc subdistinguo: Vel Titius accepit par boum cum rationabili præsumptione, quod Cajus esset consentiens; puta, quia hic pluries ipsi boves commodaverat ad talem usum, seque promptum exhibuerat ad eos ipsi commodandos in simili circumstantia; vel accepit par boum sine hac rationabili præsumptione. Si primum; dico, Titium ad nihil teneri, si se gessit ut supra, ac inter ipsum et Cajum nunquam adfuit pactum etc. nam etiam in hoc casu Titius non fuit in culpa ratione acceptionis, ac usus boum, neque ratione damni

secuti. Non ratione acceptionis, ac usus boum, quia rationabilis præsumptio domini consentientis eximit a culpa *L. Inter eos*, § *Recte*, ff. de Furt. et colligitur ex S. Thom. 2, 2, quæst. 32, art. 8, ad. 1. Non ratione damni secuti, quia de contingentibus nihil omisit, ut hoc non accideret; quod pariter eximit juxta Gregorium IX, in cap. fin. de injur. et damn. dat. Si secundum; dico, Titium teneri reparare omne damnum Cajo, si bobus apud hunc extantibus, tale damnum *certo* secutum non fuisset. Ratio est, quia tunc omne damnum evenit Cajo ob injustam boum acceptionem, et usum eorumdem factum a Titio, qui per hujusmodi actiones evasit malæ fidei possessor, ideoque obligatus etiam in casu fortuito ad totius damni reparationem. Addidi illam particulam *certo*; in dubio enim vult De Lugo disp. 18, n. 157. Titium teneri solum pro ratione dubii, cum incertum sit, an damnificaverit. At Bonacina, Tamburinus, aliique commun. docent, Titium etiam in dubio obligari ad refectionem totius damni, quia Cajus jus certum habebat, ne injuste privaretur possessione rei suæ; quod jus, utpote anterius ad dubium, an bos apud ipsum deterior factus fuisset, debet supervenienti dubio prævalere, ac læsum integre reparari.

CAS. II.— Aquis immersus inventus est Senex, quem fama est pridie dixisse, ob inopiam se in desperationem abire, ac velle se in flumen dejicere. Qu. An ei danda sit Ecclesiastica Sepultura?

Resp. affirmative; ut enim ista privetur, debet clare ac manifeste constare, quod ipse ex desperatione, vel iracundia semetipsum in flumen dejecerit, sibique tali modo mortem consciverit: prout explicant Canonem *Placuit* 25, q. 5, et Rubricam Ritualis Romani de Exeq. DD. commun. nam in dubio Cadaver sepeliendum est in loco sacro, cum eo tunc in partem favorabilem, ac mitiorem sit inclinandum, ut ex cap. *Sacris* de Sepult. et Can. *Non æstimamus* 23, q. 2, cum. D. Antonino tradit Diana Op. coord. tom. 5, tr. 1, res. 214. Atqui in casu clare, ac manifeste non constat, Senem ex desperatione, vel iracundia se in flumen dejecisse, sibique tali modo

mortem conscivisse ; fama enim est de dicto , non de facto ; ergo etc. Neque dicas , dari in casu præsumptionem facti vehementem , erutam primo ex eo , quod non constet , ipsum ab alio in flumen fuisse dejectum ; secundo ex deliberatione , quam pridie habuit , se in flumen dejiciendi ; et sic cum præsumptio vehemens probet delictum , cap. *Afferte* 2 , de Præsumpt. tenendum esse , quod se in flumen dejecerit, ideoque etc. Contra enim talis præsumptio non vehemens , sed futilis dici debet ; nam si non constat, Senem ab alio in flumen fuisse dejectum, etiam non constat de opposito , neque quod ipse se in flumen dejecerit; idque potuit ei evenire ex casu fortuito , aut in aliqua mentis alienatione , ut cum Homobono explicat Giribaldus in 5 præc. Dec. cap. 1 , dub. 8 , § 1 , n. 95. Et si pridie dixit , velle se in flumen dejicere , verisimile non est , quod id asseruerit ex corde , et vera animi deliberatione , ob magnam naturæ repugnantiam , quam quisque , et maxime fidelis , habet ad sui occisionem ; unde præsumptio stat quod potius id protulerit ex impatientia, aut ore tantum, eo fine, ut ipsum audientes ipsius inopiam sublevarent : prout solent quandoque facere pauperes , dicentes se velle ire ad Hæreticos , vel Turcas. Vide Navar. Conf. lib. 3, de Sepult. conf. 7.

CAS. III. — Sergius uxore viduatus cupit ad Ordinem promoveri ; at dubitat, se esse irregularem , eo quod certo scit , mortuam uxorem olim per vim semel fuisse ab alio cognitam. Qu. An vere sit irregularis ?

Resp. cum distinctione. Vel Sergius post vim uxori suæ ab altero illatam habuit cum ipsa maritale commercium , vel non. Si non ; dico , Sergium non esse irregularem , adeoque posse ad Ordines promoveri, ut tradit Glossa in can. *Si cujus,* § *admitti* , dist. 34. Ratio est, quia licet contraxerit , et consummaverit cum ea , quæ fuit vi oppressa, tamen id præstitit, cum ab alio cognita non fuerat , sicuti supponitur ; ac proinde conjunctio cum eadem apta erat repræsentare unionem singularem Christi cum Ecclesia ; quamobrem etiam conjugi innocenti in can. *Agathosa* 27, q. 2, ac alibi in jure permit-

titur in casu consimili divertere ab uxore adultera, et ad Ordines sacros promoveri. Si tamen Sergius, post vim uxori suæ ab altero illatam, habuit cum ea maritale commercium, dico, ipsum vere esse irregularem ob bigamiam interpretativam, prout habetur in dicto can. *Si cujus*, et can. *Si Laici*, dist. 34, et ratio est, quia tunc vere se immiscuit ei, quæ ab alio jam cognita fuerat; ideoque conjunctio cum eadem inepta erat repræsentare unionem singularem Christi cum Ecclesia; quam ob rem impeditur a Sacramento Ordinis, qui contraxit, et consummavit etiam ignoranter cum ab alio corrupta. Nec ad evadendam irregularitatem prodest Sergio, quod ejus uxor fuerit ab alio cognita per vim, adeoque invita, et sine sua culpa; cum enim hic non agatur de irregularitate ex delicto, sed ex bigamia, quæ contrahitur etiam ignoranter, et absque culpa, factum inspicitur, non voluntas; divisio carnis in plures, non culpa: et revera Sergius adhuc esset irregularis, si ejus uxor invincibiliter putans cum ipso copulari, cum alio commixta fuisset. D. Thomas 4, dist. 27, quæst. 1, art. 4 et comm.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Mevius debet Sejo in fine anni scuta centum; ast quia in præsens Sejus pecunia indiget, nunc illi offert scuta nonaginta, dummodo ipsi faciat acceptilationem, seu quitantiam integræ solutionis secutæ; cui necessitate compulsus se accommodat Sejus. Qu. An Mevius id licite peragat?

Resp. negative. Si decem, quæ retinet, non sint in refectionem æqualis damni ipsi emergentis, aut lucri cessantis ob hanc anticipatam solutionem. Ratio est, quia secluso hoc titulo, evincitur vel mutuare 90, ut habeat centum; quod est intendere lucrum ex mutuo ratione mutui, adeoque usurarium; vel sumpta occasione ab indigentia Seji, huic solvere anticipate, ut ipsi aliquid dimittat de debito; quod ex D. Thoma opusc. 67, pariter est usurarium: *Ille*, inquit S. Doctor ibid. *qui ad*

certum terminum debet, si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur, usuram committere videtur, quia manifeste tempus solutionis pecunia vendit; unde ad restitutionem tenetur. Nec excusatur per hoc, quod solvendo ante terminum, gravatur, vel quod ad hoc ab alio inducitur, quia eadem ratione possent usurarii excusari omnes. Neque dicas, ad instantiam Seji posse aliquem tertium, in casu, minoris emere ipsius creditum; sicque etiam Mevium posse debitum suum minoris redimere. In primis enim responderi potest, quod in primo casu creditum induit rationem mercis ultroneæ, exhibitæ a Venditore; quod non verificatur in casu nostro. Deinde ideo tertius potest etc. quia ob solutionem subest damno emergenti, vel lucro cessanti, et aliquando etiam periculo proximo, aut valde probabili amittendi pecuniam a se solutam in totum, vel in partem; item quia exactionis tempore regulariter subest mille tricis, laboribus, difficultatibus, ac etiam expensis pro credito exigendo, quæ incommoda, si a primis duobus præscindas, non sentit Mevius in casu. Cæterum si horum omnium periculum absit, neque tertius potest creditum minoris emere, ut colligitur ex S. Thoma loc. cit. necnon ex damnat. Propos. 41. Innoc. XI, et cum comm. probat Barthol. a S. Fausto de Empt. qu. 31.

CAS. II. — Fœmina inops sæpe vilia servitia præstat cuidam familiæ; cumque aliquando ipsi parum, vel nihil retribuatur, clam aufert modo panem, modo vinum, modo aliud quidquam, judicio suo æquivalens merito servitutis. Qu. An licite?

Resp. negative. Si enim parum, vel nihil ipsi aliquando tribuitur, ut plurimum tamen solet ei tantum retribui, quantum non solum adæquat, verum etiam excedit meritum servitii plurium dierum; quo proinde fit, ut nullus labor ab ea impensus congrua mercede vacuetur. At demus, fœminæ id in casu non evenire: non per hoc ipsi licet modo exposito se compensare; siquidem, ut licita sit compensatio, inter alia requiritur quod non pateat alia via mercedem suam commode ha-

bendi. Porro in casu patet fœminæ alia via, nempe illam petendo. Item non debet sumere æquivalens judicio suo particulari; nam secus aperiretur via innumeris furtis, prout loquendo de Famulis salario conductis communiter notant scribentes in 57. Proposit. damnat. ab Innocentio XI, cum privatum ac peculiare judicium famuli, vel famulæ, valde defectibile sit, ac deceptioni obnoxium in domini detrimentum. Quare saltem ex hoc titulo, quod debitas conditiones non servet pro licita compensatione, fœminam in casu illicite se gerere dicendum est.

CAS. III. — Parochus statim ac Medicus Infirmis Viaticum ordinavit, directe istos absolvit etiam a reservatis Pontifici. Qu. An valide?

Resp. affirmative. Ratio est, quia licet Tridentinum sess. 13, cap. 7, præcise asserat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in *articulo mortis*; nec verbum faciat de solo gravi mortis periculo, in quo solent Medici infirmis Viaticum ordinare, et quod aliqualiter differt a mortis articulo; nihilominus quia articulus mortis, et grave mortis periculum in casu nostro, ex communi Ecclesiæ usu, pro eodem sumuntur, prout ex cap. *Eos, qui, de Sent. Excom.* in 6, non obscure colligitur; ideo non solum valide, sed etiam licite Parochus directe absolvit etiam a reservatis Pontifici infirmos, queis Medicus, uti supponitur, non imperitus, Viaticum ordinavit, nam *omnes Sacerdotes*, ut ait Concilium loc. cit. *tunc quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Diversimode tamen sentiendum, si mortis periculum esset solum probabile, ut fuse ac docte ostendit Beja part. 3, cas. 8.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Sacerdos per bimestre substitutus a Capellano ad quotidie celebrandum pro Testatore, causa infirmitatis omisit sex, aut octo Missas. Hoc non ob-

stante, prætendit etiam pro his solutionem stipendii. Qu. An æqua sit ista prætensio ?

Resp. negat. Ratio est, quia cum onus celebrandi, aut celebrare faciendi pro Testatore, adhæreat Capellano, et non Substituto, hic præstat nudum ministerium, ac ita se habet perinde, ac si esset dictim conductus ad celebrandum pro eodem Testatore, ut recte tradit Rosignol, de Euch. quæst. 15, art. 14; hinc sicuti dictim conductus pro aliquo opere, potest solum eam mercedem prætendere, quæ correspondet diebus, quibus posuit opus præstitutum (quicquid sit, an aliis diebus omiserit opus ob infirmitatem, vel ob aliam causam); ita et Sacerdos dictim conductus ad celebrandum pro Testatore potest solum etc. Addo, quod quando Capellanus non tenetur oneri satisfacere per scipsum, sed potest celebrare per alium, tunc si ob infirmitatem, vel ob aliud impedimentum ipse celebrationem omittat, et per alium non celebret, nequit accipere, aut retinere stipendium Sacrificiis omissis correspondens, ni suppleat Missas non celebratas, ut ex SS. D. N. Papa, Benedicto XIV. et Fagnano adnotavi ad 1 Junii 1750, cum in tali casu intelligatur, Testatorem voluisse implementum oneris absolute, adeo ut ob impedimentum Capellani omitti non possit, cum per alium impleri valeat. Homobonus Exam. Eccles., part. 1, tr. 4, cap. 14, qu. 122. Ergo multo minus illud prætendere potest Sacerdos in casu. Vide Bonacin. de Euchar. quæst. ult. punct. 7, § 2, num. 17.

CAS. II. — Testator reliquit pro anima sua centum Missas, assignato pro qualibet duplici julio. Executor tamen testamentarius animo reputans, se rem gratiorem illi facturum, si absque majori hæredis gravamine numerosiori suffragio illi succurrat, facit pro eo celebrare Missas biscentum stipendio unius julii. Qu. An recte se gerat?

Resp. negat. Cum enim Testator numerum Missarum, et stipendium earumdem expresse taxaverit, illius mens, ac voluntas absolute debet impleri, et tanquam lex observari; cum nullum ex una parte inde sequatur absur-

dum, ex alia majus stipendium conferat majus Testatoris suffragium; ut docet Franciscus Lugo de Sacram. lib. 5, cap. 12, quæst. 5, num. 50. Quare Executor testamentarius male se gerit illius dispositionem variando; præcipue cum isthæc variatio vergat in celebrantium præjudicium, non sit ei a Testatore permissa, sitque aliquo modo contraria Decreto S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII, quo præceptum fuit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint a Testatore.

CAS. III. — Pœnitens justa de causa dimissus inabsolutus, petit a Confessario schedulam peractæ ab ipso Confessionis. Qu. An illi hanc facere teneatur?

Resp. cum distinctione. Vel schedula potest illi denegari sine scandalo, infamia, et absque violatione sigilli; et in hoc casu dico, Confessarium non teneri illam facere Pœnitenti; nam tunc neque iste jus habet ad illam, neque Confessarius ulla obligatione, aut aliquo gravi motivo urgetur ea cooperari occultationi pravi status ejusdem; maxime cum Pœnitens a semetipso se in hoc voluntarie posuerit, adeoque spectet ad ipsum invenire modum, quo suam pravitatem occultet. Bonacina de Pœnit. disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 4, num. 7. Lugo quæst. 23, num. 87, aliique. Vel nequit illi denegari absque scandalo, vel infamia, aut sine violatione sigilli; et in hoc casu dico, Confessarium teneri schedulam facere Pœnitenti, quia scandalis est obviandum, et Sacramentale sigillum debet illæsum servari, nec non fama proximi apud adstantes; cum ad hunc finem Christus Dominus iniquissimo Judæ ipsammet Eucharistiam non denegaverit. Diana part. 5, tr. 11, resol. 22.

MENSE APRILIS.

CAS. I.— Sempronius in Confessione se accusat, quod in materia gravi de uno temere judicavit, et alteri grave malum desideravit. Qu. 1. An sit necesse, quod exprimat quid, et de quali persona temere judicaverit?

CAS. II. — Qu. 2. An debeat explicare qualitatem mali, ac personæ, cui malum desideravit?

Resp. ad I. Saltem per se loquendo, necesse non esse, quod exprimat, quid, et de quali persona temere judicaverit. Ratio pr. part. est, quia licet esse furem ex. gr. etiam in genere moris non sit idem, ac esse v. g. adulterum, tamen in ordine ad judicium temerarium qualitas rei judicatæ de materiali se habet; hoc enim speciem suam ab eo desumit, quod interne injuste lædat bonam existimationem proximi, violetque jus, quod quisque habet, ne aliquis de ipso male sentiat sine sufficienti et rationabili motivo. Unde cum tale jus, ac bona existimatio lædatur, sive quis ab alio temere judicetur adulter, sive fur, sive etc. ideo hujusmodi judicia formaliter ac specifice non differunt, adeoque etc. quamvis ratione rei judicatæ unum sit gravius alio; nam magis et minus respectu judicii non variat speciem. Ratio sec. part. est, quia de quocumque efformetur judicium temerarium, semper malitia formalis hujusce peccati in eo sita est, quod interne injuste lædatur bona existimatio proximi, et jus, quod quis habet ad illam, donec non habentur judicia sufficientia in contrarium. Hinc sicuti bona existimatio unius specie non differt a bona existimatione alterius (idem dic de jure ad eamdem); ita neque specie differt interna injusta læsio talis existimationis, ac juris, sive sit unius, sive alterius. Dixi ab initio, *saltem per se loquendo*, eo quia nonnulli volunt contra Azorium part. 3, lib. 13, cap. 5, dub. 1, quod circumstantia personæ quandoque judicio temerario addat diversam malitiam specificam; sic, inquiunt, quando est de Patre, addit malitiam contra pietatem; ideoque in tali casu debet exprimi qualitas personæ. Vide Giribaldum de Pœnit. cap. 8, dub. 3, § 2, n. 63.

Resp. ad II. cum dist. Vel illi desideravit grave malum desiderio efficaci, vel inefficaci. Si primum; dico, Sempronium explicare debere qualitatem mali, ac personæ, cui etc. si qualitas personæ talis sit, ut in dicto sensu superaddat actui malitiam specie diversam. Ratio est, quia voluntas efficax fertur in malum desideratum,

prout est in se, et ab eo specificatur : propterea sive alteri grave malum desideraverit in bonis corporis, sive in illis fortunæ, sive in eis famæ; sive mortem, sive ægritudinem etc, tenetur mali qualitatem exprimere una simul cum malitia specifica personæ (quatenus hæc illam addat), ut manifestetur peccatum secundum totum suum esse formale ac specificum. Si secundum; dico, Sempronium non teneri explicare qualitatem mali, quia voluntas inefficax, prout est, cum quis dicit : Vellem, quod talis proximus periret, aut ægrotaret etc. non fertur in malum ut tale in specie, sed generice, quatenus est malum proximi, ejusque depressivum, in quo omnia ea mala conveniunt. Puteobonellus de Pœnit. quæst. 5, art. 4, n. 6. Quoad personæ postea qualitatem, eam tenetur etiam in hoc casu explicare, si hæc talis sit, ut superaddat illam diversam malitiam specificam; secus vero si e contra : nam in primo casu sine tali explicatione non manifestatur peccatum in omni sua specie, bene vero in secundo.

CAS. III. — Confessarius justa de causa differt Absolutionem pœnitenti ad octo, vel decem dies. Hic tamen non redit ad ipsum, sed alium convenit, penes quem integram Confessionem instituit. Qu. An si hoc fiat absque rationabili motivo, vacet culpa?

Resp. id culpa non vacare. Ratio est, quia non est absolute liberum, ac licitum Pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, ac effugere justum judicium Sacerdotis, cui jam se subdidit, quique ei distulit Absolutionem ob rationabile dubium de ipsius debita dispositione : sic enim fit aliqualis injuria Sacramento, ac Judici. Hinc Suarez de Pœn. disp. 38, sect. 7, n. 4 et Duardus eod. tr. disp. 9, sect. 5, ob eamdem rationem inquiunt non licere Pœnitenti, qui uni Sacerdoti se subjecit, ejus pœnitentiam, alioquin congruam, et absolutionem recusare, ac alium adire; nam sic imperfectum relinquitur sine causa Pœnitentiæ Sacramentum, et judicium jam cœptum. Addo, in communi sententia illicitum esse omittere sine causa satisfactionem, quamvis hæc spectet ad solam Sacramenti integritatem; ergo

etiam illicitum dici debet sine causa omittere id, quod complet ac perficit Sacramentale Judicium.

MENSE MAII.

CAS. I. — Cajus tradit pastori quinquaginta oves pascendas, et custodiendas superaddito pacto. quod si aliqua ex ovibus pereat, utrique pereat; si vero non pereat, sibi detur integrum Capitale, et postea fructus æqualiter dividantur. Qu. An talis contractus sit licitus?

Resp. eum esse per se illicitum. Ratio est, quia cum pastor oves, uti supponitur, Cajo non asseeuraverit, nec earum fuerit ab illo factus condominus, justitia exigit, quod sicuti totum dominium ovium remanet penes Cajum, ita et penes ipsum stet omne periculum earumdem; et sic si aliqua ex ovibus pereat, neque partialiter pastori pereat, sed tota Cajo; siquidem omnia jura clamant, quod in hisce casibus, si res perit, domino perit: et pastor solum tenetur ad refectionem, quando fuit in dolo, et culpa. Additur, non dari in casu æqualitatem in gravamine, prout requiritur ad hoc, ut contractus sit licitus, nam pastor adstringitur solvere medietatem ovis, sicuti Cajus, si quæ ex ovibus pereat, et insuper illi adjungitur onus custodiendi, ac pascendi omnes oves sine ulla compensatione tanti gravaminis: ex quo patet manifeste injustitia contractus. Giribaldus de contr. cap. 12, dub. 6, num. 54.

CAS. II.— Perrexit Sejus Liburnum ad emendas merces pro Societate; ibique febri apprehensus, per duos menses lecto decubuit. Qu. 1. An expensæ factæ pro ejus curatione spectent ad totam Societatem?

CAS. III. — Qu. 2. An ex expensis, ab eo factis toto absentiæ tempore, id detrahi debeat, quod domi suæ insumpsisset?

Resp. ad primum cum dist. Vel ista profectio Liburnum ex verisimilibus conjecturis fuit causa proxima talis infirmitatis; et tunc dico, expensas factas pro ejus

curatione spectare ad totam Societatem ; vel non fuit causa proxima, etc. et tunc dico, expensas, etc. non spectare ad totam Societatem. Ratio primæ partis est, quia cum in eo casu ipsa Societas fuerit causa profectionis, ex qua processit infirmitas, censetur etiam causa ipsius infirmitatis, ac expensarum pro Seji curatione factarum : quod enim est causa causæ, est causa causati ab eadem. Hinc sicuti spectant ad totam Societatem expensæ factæ pro ipsa profectione ; ita et quæ factæ fuerunt pro Seji curatione. Idem dic, si febris processisset ab extraordinaria Seji defatigatione, cui subesse debuisset, ut rite perageret negotium Societatis. Ratio secundæ partis est, quia in eo casu Sejus censetur quidem febri apprehensus occasione rei agendæ pro Societate ; at non causa Societatis, vel rei ad ipsam spectantis ; prout recte distinguunt Bartholomæus a S. Fausto de Societate disp. 7, quæst. 31, et alii passim. Hinc, secluso pacto ac consuetudine in contrarium, quibus indubie standum est in hisce contingentiis, in hoc secundo casu febris Seji creditur provenisse a naturali ipsius indispositione, et mala affectione personæ ; proindeque aliud de jure prætendere non potest, quam id, quod manendo domi suæ pro curatione non insumpsisset, ut contra Molinam disp. 118, tradit Rosignolus de Soc. præn. 13.

Resp. ad secundum, stando rigori juris, probabilius videri, quod id detrahi debeat. Ratio est, quia ex L. *Si fratres*, § *Si quis ex Sociis*, *ff. pro Socio*, in hoc casu eæ tantum expensæ sunt Societati imputandæ, quæ factæ fuerunt causa negotiationis, et in ordine ad ipsam. En verba legis : *Si quis ex Sociis propter Societatem profectus sit, veluti ad emendas merces, eos duntaxat sumptus Societati imputabit, qui* (nota) *in eam rem insumpti sunt.* Nec obstat, quod lex ibi immediate subdat : *Viatica igitur, et meritorium, et stabulorum, et jumentorum, et carrulorum vecturas, vel sui vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium recte imputabit.* Nam per *viatica* ibi ea intelligit, quæ *in eam rem*, hoc est, in ordine ad ipsam negotiationem Societatis, et causa ipsius fuerunt peracta, ut patet ex connexione

horum verborum cum præcedentibus. Cum ergo ea, quæ domi suæ insumpsisset, insumpta a Sejo non fuerint causa negotiationis Societatis aut in ordine ad ipsam, sed tantum occasione ipsius; ideo Societati debet quidem imputari illud plus, quod domi non insumpsisset, cum profectio Liburnum sit vere causa ipsius; non sic vero id, quod domi suæ insumpsisset, ut cum Navarro, Molina, et aliis docet Rosignolus c. sup. sit.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Adolescens, emisso voto ingrediendi, ac profitendi in quadam Religione, solemniter ejusdem habitum induit; tempore tamen Novitiatus deprehendens ipsam, propter vitæ asperitatem, sibi esse parum accommodam, redit domum suam. Qu. An licite?

Resp. negat. cum S. Thoma 2, 2, quæst. ult. art. 4, cæterisque communius. Ratio est, quia sicuti Votum emissum de ingressu in Religionem obligat ad ingrediendum, nisi ingressus fiat moraliter impossibilis; ita Votum emissum de facienda Professione obligat ad profitendum, nisi Professio fiat moraliter impossibilis; ex. gr. quia nequit sustinere onera Religionis, et ratio vivendi in ea est ipsi adeo difficilis, ut illi reddatur intolerabilis. Atqui per hoc, quod ipsi erat parum accommoda, ipsi non erat, uti supponitur, intolerabilis; ergo, etc. Hinc Lessius lib. 2, de Just. cap. 14, n. 45, ait, quod qui vovit perseverare, seu profiteri in aliqua Religione, censetur se obligasse, quantum fere moraliter potest. Nec aliquid eruitur in contrarium ex Tridentina Sess. 25, de Regul. cap. 15, ibi enim non irritat Votum simplex profitendi ac perseverandi in Religione, sed tantum Vota solemnia emissa ante annum probationis completum.

CAS. II. — Puella per plures annos educata in Monasterio, foras egressa, simplici Confessario exponit, se, anno duodecimo nondum completo, obscœnitates ibi fecisse cum Moniali, nec, præ rubore, unquam de hoc fuisse confessam. Qu. An ab eo possit absolvi?

Resp. plures affirmare, tum quia reservatio (ut declaratur in libello Casuum reservatorum hujus Diœcesis, § *ad omnes in genere*) non comprehendit nisi excedentes annum duodecimum, quem puella nondum compleverat, quando peccavit; tum quia praxis, ac sensus Theologorum hujus Diœcesis videtur esse, quod reservatio hujus casus non afficiat ipsas personas degentes in Monasteriis, quæ ad invicem faciunt obscœnitates, sed personas extraneas accedentes ad ipsas, et cum ipsis eas deinde facientes. Verum quia de hoc sensu, et praxi non satis constat, ac dictus paragraphus facile explicari potest dicendo, quod reservatio utique non comprehendat nisi, etc. si ante hujusmodi complementum etiam in Confessione peccatum exponant; secus vero, si de illo confiteantur completo jam anno duodecimo; ideo ad casum respondeo negative cum Possevino de Offic. Cur. cap. 7, n. 49. Ratio est, quia in absolutione reservatorum respicitur tempus, quo datur absolutio; cum reservatio afficiat Confessarium. Et sicuti si peccatum heri commissum, quando non erat reservatum, hodie reservetur, et postea a Pœnitente exponatur in Confessione, nequit hic a communi Confessario absolvi, utpote quia hujusce Confessarii potestas restricta est; ita, etc.

CAS. III. — Parochus acceptavit Parochiam animo eam postea resignandi cum pensione. Qu. An sit simoniacus?

Resp. negat. Si simul habuit animum eam resignandi servatis debitis modis, sine pactis pro pensione cum resignatario, prævia debita licentia, etc. Ratio est, quia nullibi ex una parte reperitur præceptum, quod pro toto vitæ suæ tempore debeat, qui Parochiam acceptat, illam retinere; siquidem non est Matrimonium, sed quasi Matrimonium spirituale, nec importat vinculum indissolubile, unde ex justa causa potest dissolvi: ex alia parte animus resignandi Parochiam cum pensione, servatis servandis, aufert omnem simoniacam pravitatem. Nec obstat Bulla 12, Pauli IV, in qua videntur Simoniaci nuncupari, qui beneficium sibi procurant animo illud postea alteri resignandi cum pensione; ibi enim

est sermo de iis, qui ad eum finem procurant Beneficium, ut illud postea resignent in favorem tertii, vel cum, vel sine pensione; quod Pontifex sub anathemate, aliisque gravissimis pœnis damnat ob eliminandas omnes fraudes, quæ tunc temporis fiebant; nam qui ex. gr. desiderabat Beneficium Petro, se pro ipso supponebat examini, fingens se esse Petrum, et si approbabatur, Petrus obtinebat Beneficium. His, aliisque similibus ut occurreret Pontifex, non solum prohibuit, ne quis pro alio se ita supponeret, verum etiam, ne quis sibi procuraret Beneficium animo illud resignandi in favorem tertii cum pensione, vel sine illa. Cæterum si Parochus acceptet animo vero adimplendi munus, et, servatis servandis, ex aliqua justa causa renuntiandi etiam cum pensione, non video, cur Simoniacus debeat appellari. Vide Rosignol. de Simon. disp. 3, § 2.

MENSE JULII.

CAS. I. — Sempronius accepit ab ignoto monetam falsam, quam bona fide in alium transtulit. Hic inscius, a quonam illam habuerit, lamentatur. Qu. An Sempronius postea advertens, se huic eam dedisse, teneatur bona moneta illam commutare?

Resp. affirm. Ex quo enim bona fide eam in alium transtulit, arguitur quidem, quod talis error non fuerit illi voluntarius, et ad culpam imputabilis; non sic vero, quod non teneatur illum emendare, cum ad ipsum advertit, novitque eum esse alteri noxium : ut enim recte inquit Petrus Navarra de Rest. lib. 3, cap. 1, n. 212, *Error meus non debet alteri nocere, sed omnis error tenere suos debet auctores.* Hinc licet talis moneta amplius non exstet apud Sempronium, et ex ejusdem translatione in alium ditior effectus non sit; tamen ratione contractus illum, cui ipsam tradidit, tenetur indemnem servare; hic enim per contractum, ex. gr. venditionis, ipsi tradendo rem suam, acquisivit jus ad æquivalens ac justum pretium rei, consistens in bona, non in falsa

moneta. Bonacina de rest. disp. 1, quæst. 4. p. 2, n. 6. Lessius, aliique communius.

CAS. II. — Titius in rixa abscidit Fabio pollicem. Qu. An sit irregularis?

Resp. negat. Ratio est, quia irregularitas ob mutilationem non incurritur nisi per mutilationem membri veri, et proprii, quod nempe habet proprium officium operandi ab aliis partibus distinctum, ut colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 12. *Omnia membra non eumdem actum habent*, ac patet ex odiositate materiæ, de qua fit questio. Sed pollex non est membrum verum et proprium, ut probat Bartolus in L. *Publicorum*, ff. de Publ. jud. et alii apud Salzedum in Pract. crim. c. 101. Ergo per abscissionem pollicis in rixa Fabio factam a Titio, hic non est irregularis. Nec obest, eum esse irregularem, cui deest pollex; sicuti enim irregularis amens, spurius, ac habens manum enervatam, licet irregularis non sit, qui genuit spurium, vel amentem, aut alteri manum debilitavit; ita esse potest irregularis ille, cui deest pollex, quamvis talis non sit, qui ipsi pollicem abscidit, ut ait optime Sayrus de Censur. lib. 6, cap. 15. Continuator Oper. Tournely de Irregularit. part. 2, cap. 8, art. 1, quæst. 2.

CAS. III. — Aromatarius locavit omnia vasa, et medicamenta suæ Apothecæ ad decem annos, ea conductori tradendo certo pretio æstimata, cum expresso pacto, ut hic singulis annis solvat tantum pro centenario, et in fine conductionis restituat vasa, et medicamenta eodem pretio æstimanda. Qu. An talis contractus sit licitus?

Resp. per se loquendo illicitum esse talem contractum. Ratio est, quia conductor in tali casu absolute obligatur contra justitiam et naturam contractus ad subeunda omnia pericula rei locatæ; quod est quid transcendens terminos locationis: etenim qualitas et natura hujus contractus ea est, ut rei locatæ periculum non ad conductorem, bene vero ad locantem pertineat, ut fatentur DD. communiter. Hinc in ipsa stipulatione con-

tractus vel habitus fuit respectus ad isthæc pericula, et ad proportionem eorumdem tantum fuit detractum de annua pensione solvenda a conductore; et tunc talis contractus, præsuppositis aliis debitis requisitis, est licitus. Vel non fuit habitus respectus ad præfata pericula, et per consequens ob illa non fuit facta conductori ulla pensionis diminutio; et tunc idem contractus dici debet illicitus.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Mennas interrogatus a Judice, an Fulvius commiserit homicidium, etsi certo sciret, hoc revera fuisse ab eo commissum, noluit id testificari, eo quod ipsi innotescebat nullum alium id nosse. Qu. An male se gesserit?

Resp. negat. Quia non tenebatur illud testificari, cum non fuerit de eo juridice interrogatus. Et ratio est, quia cum homicidium a Fulvio commissum esset occultum, et quidem taliter, ut ipsi soli Mennæ innotesceret, Judex jus nullum habebat ipsum interrogandi; siquidem tale jus solum eo tunc convenit Judici, etiam competenti, quando crimen est diffamatum, vel saltem per semiplenam probationem manifestum, ut com. notant DD. et signanter Philippus Grossi tr. 15, de Præc. Decal. quæst. 1, art. 2. Porro regula generalis est, quod non peccat reticens veritatem, quando circa eam scisciranti non tenetur respondere. Sotus de Just. et Jur. lib. 5, quæst. 7, art. 1.

CAS. II. — Vendit Villicas Cauponi dolium vini; sed antequam hoc illi tradat, exinde haurit corbam ejusdem, tantum aquæ substituendo; hoc non obstante, minutim Caupo illud revendit eodem pretio, ac tempore, quo purum revendidisset. Qu. An Villicus teneatur aliquid restituere?

Resp. affirmative. Tenetur enim restituere vel corbam vini ablatam, vel justum pretium ejusdem. Ratio est, quia licet non intulerit damnum Cauponi, rem ta-

men alienam injuste accepit, quod sufficit, ut ipsam, vel ipsius pretium restituere teneatur; cum inter radices restitutionis *injusta acceptio* communiter recenseatur. Addo, Villicum in casu tradere aquam pro vino, et quidem eodem pretio, in quo sane intervenit magna deceptio et injustitia; præcipue cum tempore contractus vendiderit dolium vini, prout erat eo tunc, et sub hac conventione Caupo se obligaverit ad ipsi solvendum tale pretium. Unde sicuti, posito mutuo consensu in contractum, Villicus statim acquisivit jus in tale pretium conventum, et si vinum talis dolii emptum evanuisset, evanuisset Cauponi; ita ratione ejusdem mutui consensus Caupo acquisivit jus ad tale vinum aqua non immixtum; proindeque injustitiam ei facit sumendo vini corbam, et tantumdem aquæ supponendo; sumit enim, quod suum amplius non est, cum Emptio, et Venditio mutuo partium consensu perficiatur. Azorius part. 3. lib. 8, cap. 25, q. 3. Salas de Empt. et Vend. Dub. 12, Molina, Rebellus, et alii. Neque dicas, Villicum non teneri tradere Cauponi vinum majoris perfectionis et integritatis, ac ab aliis vendatur; item sic mixtum æque utile esse ad usum humanum, ad quem emitur; sicque eamdem retinere æstimationem, cum hæc desumatur per ordinem ad usus humanos: nec dicas, inquam; hæc enim valent contractu nondum peracto, non vero e contra; nam in hoc casu Emptor jus habet supra rem majoris bonitatis ac perfectionis.

CAS. III. — Conjux ad excitandum appetitum in Uxore ægrotante, comedit die Veneris simul cum ipsa pulmentum in jure. Qu. An licite?

Resp. cum distinctione. Vel de tali pulmento sumit in modica quantitate; et tunc dico, quod id licite peragit. Vel de eo sumit in quantitate notabili; et tunc dico, quod hoc peragit illicite. Ratio primæ partis est, quia pietatis, et charitatis motivum etiam a veniali, in casu, ipsum excusat, ut inter alios recte tradit Confessarii Monialium instructor cap. 11, § 7, q. 6. Et sane si id licet coquis, et pincernis Principum ob necessitatem servitii, aut securitatem Dominorum, cur non licebit

Conjugi ex urgenti motivo charitatis, maxime cum infirmæ refectio sit urgentior causa? Sanchez Conf. Moral. lib. 4, cap. 1, dub. 22, num. 10. Ratio sec. partis est, quia non adest ista necessitas sumendi de tali pulmento in magna quantitate, cum infirma possit adjuvari suasionibus, ac piis exhortationibus, modica cum dicta sumptione conjunctis. Nec obstat factum S. Spiridionis Episcopi, qui cum peregrino ex itinere fesso comedit carnes porcinas tempore vetito, ut referunt Sazomenus, et Nicephorus apud Azorium part. 1, lib. 7, cap. 29, quæst. 1. Nam in primis tale factum non est omnino certum; deinde sanctus Episcopus nil aliud habebat, scilicet, neque panem, neque farinam; et agebatur de illo, quem timebat alias moriturum, nec cibum sumpturum, ni simul ita cum ipso comederet, ut videre est apud Azorium l. c. Unde hoc probat, id esse licitum, quando hoc exigat extrema necessitas proximi.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. 1. — Juravit Agricola, nemini communicare secretum, quæ a gravi morbo ipse ab amico sanatus est. At videns pauperem eodem morbo gravissime tortum, huic sub sigillo illud communicavit. Qu. An sit reus perjurii?

Resp. negat. Ratio est, quia juramentum non obligat, quando sine peccato, etiam levi, impleri non potest; imo nec quando illius implementum esset contra bonos mores, etiam naturales, ut ex Glossa in cap. *Si vero*, *de Jurejur.* V. *Salutis æternæ*, notavi ad. 1 April. 1748. Jam vero in casu sine peccato impleri non poterat; nam charitas, qua potens subvenire proximo suo gravissime indigenti, tenetur illi subvenire ex lege tum divina, cum naturali, urgebat Agricolam eidem subvenire; proindeque hic reus perjurii dici non potest; omnia enim jura, ac DD. comm. clamant, juramentum non esse vinculum iniquitatis. Neque in hoc casu Amicus, qui secretum Agricolæ communicaverat, poterat censeri

rationabiliter invitus; nam etiam ipse, si fuisset præsens, vel patientis gravissimum malum audisset, eadem charitatis lege ipsi succurrere debuisset.

CAS. II. — Vir valde pinguis, Imolam profecturus, volebat equum conducere; at metuens, quod si Locator ipsum videret, nollet equum ipsi locare, vel duplum exigeret, alium substituit, qui pretio consueto ipsi equum conduxit. Nunc Imola reversus, reduxit equum adeo defatigatum, ut per aliquot dies hunc dominus nequeat denuo locare. Qu. An teneatur domino reficere tale damnum?

Resp. cum distinct. Vel qui locavit equum, erat locator ex officio, seu professione; vel non. Si non; dico, virum pinguem teneri reficere damnum Locatori, etiamsi equum paverit, omnemque possibilem curam circa ipsum adhibuerit. Ratio est, quia in hoc casu rogatus, an vellet suum equum locare, attendit personæ, cum qua agebat, exclusa qualibet alia; adeoque locum habuit dolus ac deceptio, ratione cujus præterea obligatur Conductor ad refectionem damni; cum fuerit contra voluntatem locantis, quod ipsius equus inserviret alteri ab eo, qui eumdem postulavit. Si postea erat locator ex officio et professione, dico virum pinguem non teneri, etc. in hoc enim casu locatio censetur facta more communi locatorum, qui dantes equos conductoribus, non attendunt, an debeat inservire petenti, vel alteri; ac probe sciunt, quod sæpe unus pro alio petat; unde si in casu locatio facta fuit viro nimium pingui, deceptio debet adscribi non dolo conductoris, qui more communi equum conduxit, sed incuriæ locantis, qui poterat petere, cui inservire deberet. Addo, quod ut dolus incidens in contractum det jus decepto petendi refectionem damni, debet dolus provenire a parte decipiente aliam partem contrahentium, non ab intrinseco errore unius ex ipsis: dolus enim definitur: Machinatio alterum decipiendi. Sed hoc non verificatur in casu; ergo, etc. Ita Cassianus a S. Elia decis. 71.

CAS. III. — Vitalis a viro divite injusta, ac valde

dispendiosa lite vexatus, plena sæpe cum voluntarietate illi optat, quod gravi apprehenderetur infirmitate, ac fiat pauperrimus. Qu. An ob hoc sit culpæ arguendus?

Resp. cum. dist. Vel hoc illi optat, in quantum est malum illius, et ex displicentia personæ; et tunc certum est, gravis culpæ ob hoc ipsum esse arguendum; cum hoc directe opponatur legi charitatis, qua tenemur proximum nostrum diligere. Vel hoc illi optat, in quantum esset impedimentum injustæ ac dispendiosæ litis; et tunc dico cum Bonacina disp. 3, quæst. 4, punct. 3, n. 1. Giribaldo et aliis, ob hoc ipsum non esse gravis, imo nec levis culpæ arguendum; id enim est desiderare cessationem proprii nocumenti, non malum proximi. Hinc S. Thomas in 3, dist. 30, art. 1, ad 4, ait: *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere.* Caveat tamen a vindicta.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Accusatus est Nereus apud Judicem de gravi crimine, ab ipso vere perpetrato. At quia per testes hoc probari non potest, nedum illud negat, sed falsarium et calumniatorem appellat Accusatorem; qui propterea ut falsarius, et calumniator communiter habetur. Qu. An reus teneatur illi famam restituere?

Resp. negat. cum Navarro, Soto, Molina, cæterisque communius, quos citat, ac sequitur Petrus Navarra de Rest. lib. 2, cap. 4, n. 428, et seq. Ratio est, quia, si res serio consideretur, Nereus, in casu, nec falsum protulit, negando crimen a se fuisse commissum, nec accusatori calumniam impegit, hunc appellando falsarium, et calumniatorem. Etenim non protulit falsum; quia cum interrogatio ipsi facta supponatur juridica, procedebat de crimine ut publico, vel saltem per semiplenam probationem manifesto: ut potest erui ex responsione superius data ad primum Augusti. Proindeque cum tale non esset crimen ab ipso perpetratum, illud

negare poterat etiam cum juramento, ut tradunt Navarrus, Molina, Toletus, aliique, quos refert, ac sequitur Bartholomæus a S. Fausto de Restit. disp. 21, quæst. 55, n. 2, cum responsio procederet in sensu interrogationis. Neque impegit accusatori calumniam, ipsum appellando, etc. Calumniator enim non solum dicitur, qui falso accusat, verum etiam qui, nullis præcedentibus probationibus, accusat; prout, teste citato Barth. a S. Fausto num. 4, colligitur ex cap. 2, de Calumniat. Vel etiam dici potest, quod illum appellaverit falsarium, et calumniatorem, quatenus impactum ipsi fuerat crimen publicum, prout de eo interrogabatur, in quo sensu non erat reus ejusdem, et sic erat calumnia, illud ut tale ipsi impingere. Vide Petrum Navar. l. c.

CAS. II. — Sacerdos quidam gravibus quandoque concupiscentiæ stimulis vexatus, experitur displicentiam, quod statum conjugalem non elegerit. Qu. An ista hæc displicentia contineatur intra limites culpæ venialis?

Resp. cum distinct. Vel hæc displicentia juncta est cum proposito non servandi promissa, et obligationes status assumpti; et in hoc casu dico, hujusmodi displicentiam, ut sic junctam cum tali proposito, se extendere ultra limites culpæ venialis, ac esse peccatum mortale, quemadmodum mortale est tale propositum, ut rem serio consideranti fit manifestum. Vel juncta est cum animo adhuc servandi promissa, et obligationes status assumpti; et in eo casu dico, ipsam vel nullo modo esse peccatum, neque veniale; vel intra culpæ venialis limites contineri. Nullo modo est peccatum, neque veniale, si displicentia sit non de statu assumpto, sed de gravi periculo, cui subest propter majorem frequentiam, et urgentiam tentationum; ad quod proinde evitandum mallet elegisse alium statum: nam in primis hæc volitio est inefficax, et quasi conditionata, deinde alius status per se malus non est, et si ipsum elegisset, non peccasset. Tertio voluntas efficax, ac propositum, hoc non obstante, servandi promissa, ac ponendi media pro executione obligationum, quas contraxit, aufert

omnem culpam. Esset demum culpa venialis, si oriretur ex quadam desidia et socordia in rejiciendis tentationibus, quibus propterea nollet subesse, ne adigatur ad pugnam; quod, ut patet, involvit accdiam. De Vecchis disp. 13, dub. 10, Suarez, etc.

CAS. III. — Furem absolute dispositum auferre Petro, vel Paulo scuta quinquaginta, a proposito dimovere conatus est Titius : at videns se nihil proficere, ei tandem suasit, quod si alterutri damnum inferre volebat, istud inferret Petro ditiori, cui is postea hoc intulit. Qu. An Titius id suadendo peccaverit?

Resp., prob. affirmat. Ratio est, quia licet fur esset absolute dispositus alterutri auferre scuta quinquaginta, tamen non erat determinatus illa auferre Petro; sed, ut ita dicam, ad hoc ipsum determinavit suasio Titii, quæ positive in casu furem induxit ad tale furtum Petri, et sic fuit vera positiva causa injustæ ablationis factæ tali personæ determinatæ : injustæ, inquam, quia neque Titius, neque fur jus ullum habebant supra scuta quinquaginta Petri, quantumvis Paulo ditioris. Sed qui per suasionem fuit vera positiva causa injustæ ablationis factæ, etc. suadendo peccavit; fuit enim vera causa mali, etsi minoris, quam si suasisset ablationem Paulo; ergo, etc. Neque opponas, prudentis esse de duobus malis, quod minus est, eligere; ideoque licitum etiam esse id alteri suadere; propterea cum in casu hoc egerit Titius, ipsum non peccasse. Contra enim assumptum est verum, quando agitur de damno temporali vitando; si enim duo mala, seu damna immineant, et utrumque vitari non possit, tunc certe prudentis est de iis eligere quod est minus, et alterum præcavere; atque hoc certe potest licite etiam alteri suaderi, imo talis suasio est conformis charitati. Illud tamen non valet, cum agitur de malo culpæ, siquidem nequit eligi unum peccatum ad vitandum aliud : electio enim medii respicit bonum; sicque nec id, quod est minus peccatum, directe ac positive suaderi potest, etiam ad evitandum majus : cum non sint facienda mala, ut eveniant bona, juxta Apostolum ad Rom. 3. Quare Titius poterat quidem furi

suadere malum minus in genere; vel etiam illum instruere, quod in eo casu erat minus malum auferre quinquaginta a Petro, quam a Paulo; at non poterat positive ac directe illi suadere, ut furaretur Petro determinate : hoc namque non fuit consulere minus, sed consulere malum. Ita Cajetanus 2, 2, quæst. 78, art. 4, cæterique communius.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Scit Tabernarius, quod si vendit Vinum Sempronio, hic se inebriabit. Hoc non obstante, ne lucrum amittat, quod percipit ex hoc frequenti adventore, Vinum illi vendit, qui mox se inebriat. Qu. An adductum motivum se solo sufficiat ad cohonestandam talem venditionem ?

Resp. negat. cum Giribaldo tr. 4, in Dec. cap. 7, dub. 8, num. 71. Viva in 51. Prop. damnatam ab Innocentio XI, num. 6, et aliis. Ratio est, quia amissio lucri, quod Tabernarius percipit ex hoc frequenti adventore, talis ac tanta non est, ut secum afferat grave illud incommodum, cui debet subesse, ut eximatur ab observantia naturalis ac Divinæ legis, quæ ex charitate obligat unumquemque, ne præbeat scienter materiam peccati mortalis proximo suo; et quidem talis, ut non solum sit ipsi peccanti damnosum, verum etiam aliis periculosum, ut recte monet Giribaldus l. c. Requiritur ergo major causa, et motivum magis urgens, seu quid notabile adjunctum ad cohonestandam talem venditionem; puta, notabilis ob hoc absentatio emptorum cum suo magno detrimento; imminens periculum gravium injuriarum, etc. Nec tabernarium excusat illa ratio : *Si vinum illi non vendo, vendent alii.* Nam in primis qui ipsum agnoscunt, illi non ita facile vendent; cum sola prudens dubitatio de illius ebrietate secutura, retrahere eos debeat ab ipsi vendendo, ut cum Sanchez inquit Viva loco citato, numero 7. Deinde quid illi refert, si alii male agent ?

CAS. II. — Sevit Sergius bona fide duas corbas tritici alieni in proprio agro; et exinde copiosum fructum percepit. Qu. Quantum, detecto errore, debet restituere domino illarum corbarum ?

Resp. debere illi restituere solum duas corbas, iis tamen, quas seminavit in agro suo, æquivalentes. Ratio est, quia in his solum ex una parte factus est ditior; ex alia seges orta in agro suo est fructus ejusdem sui agri, ac suæ industriæ; ita Sporer de rest. cap. 2, sect. 2, § 5, n. 72, idem dicens, si Sergius eas seminasset mala fide; cum hoc tamen discrimine, quod tunc deberet etiam reficere domino illarum corbarum damnum, quod ei emersisset, vel lucrum, quod ipsi cessasset ob injustam earumdem acceptionem.

CAS. III.— Debebat Sejus Sempronio scuta centum, quorum restitutionem justam ob causam distulit. Sed quia ex hac dilatione emersit damnum Creditori, petit a Confessario, an istud illi reficere teneatur. Quid respondet Confessarius ?

Respondet cum dist. Vel fuit appositum pactum, quod Sejus teneretur ad interesse, si non solveret tempore debito; vel non fuit appositum tale pactum. Si primum; dico, Sejum teneri reficere damnum Sempronio. Ratio est, quia licet ad id non obligetur ex culpa, cum mora non fuerit culpabilis; tamen obligatur ex pacto, cui standum est. Hinc. cap. *Pervenit* de Fidejussoribus habetur, quod quando fidejussor creditori solvit, quia principalis debitor in termino præfixo non solvit, tunc principalis debitor debet eum servare omnino indemnem, eidem satisfaciendo non solum quod pro eo solvit, sed etiam totum interesse, cujus detrimentum ob eam solutionem subivit. Si secundum; dico, Sejum non teneri Sempronio damnum reficere, quia, secluso pacto sive expresso, sive tacito, morosus tenetur solum ex culpa, seu quando fuit in mora culpabili, ut tradunt Bonacina de Contr. disp. 3, quæst. 3, punct. 3, n. 5. Salas et alii.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. II. — Sæpe tristatur Mercator, quod alii ejusdem conditionis merces vendant, et ipse non. Qu. An peccet ?

Resp. negat. Ratio est, quia ejusmodi æmulationis affectus non est displicentia de bono proximi, nempe de lucro, quod ex frequenti mercium venditione alii Mercatores percipiunt ; quod certe si faceret Mercator, peccaret contra charitatem ; sed est displicentia de eo, quod ipse tali lucro careat, aiunt Layman. lib. 2, tr. 3, cap. 10, num. 3. Palaustr. 6, disp. 4, punct. 2, num. 6. Notat tamen ad rem Coninch. disp. 30, num. 23, ejusmodi affectum communiter esse valde periculosum, quia excitat ita dolentes, nisi valde sibi caveant, ut vel malis artibus, verb. gr. detractionibus, aut simili ratione, conentur Emptores ab aliis ad se trahere ; aut etiam, ut absolute doleant eos frequentare vicini officinam, adeo ut optent, eos hanc non frequentare, etiam eo casu, quo suam non frequentant, ut hoc modo socios habeant in calamitate, qui affectus certe est peccaminosus. Ita Coninch. loco præcit.

CAS. II. — Constitutus in proximo mortis periculo, non habens alium Sacerdotem, petit, ac obtinuit absolutionem a noto Excommunicato vitando. Qu. An fuerit valide absolutus ?

Resp. negat. Sic enim declaravit S. Cong. Concilii, apud Fagnanum in 4, ad cap. *Non est vobis*, de Sponsalib. et apud Mattheuccium Offic. Cur. c. 2, num. 19, sic referentem : *Episcopus Valentinens petit declarari: utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit in casibus reservatis absolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, et denuntiatus. S. Congregatio censuit, non posse.* Nec immerito, Excommunicatus namque denuntiatus caret jurisdictione ac subditis, utpote a fidelium communione separatus. Hinc verba Tridentini dicentis, omnes Sacerdotes posse in articulo mortis absol-

vere ab omnibus peccatis, ac Censuris, intelligenda sunt de Sacerdotibus idoneis, et capacibus recipiendi pro eo casu jurisdictionem ab Ecclesia, cujusmodi non sunt privati communione fidelium, et ab unitate Ecclesiæ præcisi, uti est notorius excommunicatus vitandus. Vide Fagnanum, ac Mattheuccium l. cit.

CAS. III. — Parentes, ut a seculi periculis amoveant filiam nubilem, avidam nuptiarum, hanc, licet invitam, compellunt ingredi Monasterium, quousque idoneus ei sponsus inveniatur. Qu. An licite in peragant?

Resp. affirmat. Dummodo id fiat ad tempus discretum, nec eo fine, ut ibi religiosum induat habitum. Ratio est, quia licet Tridentinum Sess. 25, cap. 18, anathemati subjiciens *omnes et singulas personas, si quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, etc.* videatur innuere, solam coactionem ad ingressum Monasterii sufficere pro incurrenda excommunicatione, ideoque sub gravi esse prohibitam; tamen res ita se non habet; mens enim Concilii fuit consulere libertati puellarum, etc. circa electionem status, ac impedire coactionem earumdem ad ingrediendum Monasterium, ut ibi habitum induant, ut tradunt Suarez, tom. 3, de Relig. lib. 5, cap. 9, num. 4. Sanchez. in sum. tom. 1, lib. 4. cap. 4, num. 12, aliique, quorum assertio ex eo vera conjicitur, quod Concilium ibi loquitur de illo ingressu in Monasterium, qui per se, ac jure ordinario permittitur, cujusmodi est solus ingressus factus ad finem suscipiendi habitum; ut patet ex eo, quod si aliqua velit aliter ingredi, nempe sine animo ibi habitum suscipiendi, pro tali ingressu requiritur dispensatio. Quare cum Parentes, de quibus quæsitum procedit, non compellant filiam ad Monasterii ingressum, ut ibi suscipiat habitum; sed tantum ut ibi remota a sæculi periculis per aliquod tempus immoretur, quousque idoneus ei sponsus inveniatur, dicendum, hanc compulsionem non esse contrariam menti Concilii,

imo, utpote factam ex justo rationabilique motivo, in casu licitam esse parentibus. Ita Emman. Rodrig. in sum. tom. 2, cap. 8, num. 9.

ANNO MDCCLIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Parochus, accepta eleemosyna pro decem Missis celebrandis in suffragium defuncti, differt complementum earumdem usque ad bimestre. Qu. An licite?

Resp. cum distinct. Vel Parochus id facit de consensu illius, qui tribuit eleemosynam, Missasque ordinavit; vel sine tali consensu, et ex proprio arbitrio. Si primum; dico, licite ipsum differre complementum earumdem usque ad bimestre; siquidem eo tunc id licere, non obscure colligitur ex pluribus S. Congregationis Concilii responsionibus, signanter ex illa ad dubium duodecimum circa decreta de Celebr. Missar. edita auctoritate Urbani VIII, ac postea confirmata ab Innocentio XII, die 22 Decemb. 1697, nec non ex alia die 9 Januarii 1627, ad dubium sextum ex propositis ab Episcopo Traguriensi; prout videri potest apud Mattheuccium offic. Cur. cap. 10, § 2, n. 47, ac Patrem Jordanum tom. 1. Elucubr. lib. 5, tit. 1, de Sacrif. Miss. Si secundum; dico Parochum illicite differre etc. ut in primis eruitur ex prohibitione accipiendi eleemosynas manuales pro Missis, quibus satisfieri nequit infra modicum tempus, hoc est, *intra unicum mensem*, prout explicuit eadem. S. Congregatio 17 Julii 1655, teste SS. D. N. Papa Benedicto XIV, in Notif. 15. tom. 3. Deinde motivum, ac finis, ob quem Missæ in casu præscriptæ sunt, est admodum urgens, liberatio nempe animæ Defuncti a diris, quibus interim cruciatur, Purgatorii pœnis. Hinc sicuti si Missæ ordinatæ fuissent pro graviter infirmo, tamdiu differri non posset complementum earumdem: ita, et quidem a fortiori, idem dicendum in casu. Propterea Pasqualigius

de Sacrif. nov. Leg. tom. 2, quæst. 963, num. 9, ait : *Quando committuntur Missæ pro recenter defuncto, debent quamprimum et sine dilatione celebrari; nam occasio, ob quam sunt celebrandæ, exigit, quod sine dilatione celebrentur : siquidem si celebrandæ sunt ex commissione Defuncti, remanet moraliter certum, nisi aliud expresserit, quod voluerit hoc subsidium statim post mortem. Si vero committuntur ab alio, occasio, ob quam committuntur, cum contineat præsentem indigentiam, præscribit celeritatem in celebrando. Possent tamen, quando esset magnus numerus Missarum, celebrari cum aliqua dilatione, ita tamen ut quotidie nonnullæ celebrentur.* Hactenus Pasqualigius.

CAS. II. — Accepit Sacerdos eleemosynam pro Missa celebranda ad quodcumque Altare voluerit, cumque eam celebret ad Altare privilegiatum, applicat Sacrificium pro onere suscepto, et indulgentiam pro suo Consanguineo defuncto. Qu. An rite hoc peragat?

Resp. cum distinct. Vel privilegium Altaris concessum fuit (prout regulariter concedi solet) solum pro eo, pro quo ibi offertur Sacrificium ; et tunc clare patet, quod Sacerdos id rite non peragit; nam *Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus, qui dat Indulgentiam*, ut ait S. Thomas in 4, dist. 20 quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 3, ad 2, propterea si Pontifex pro eo tantum illam concessit, pro quo ibi Missa applicatur, constat non stare in arbitrio Sacerdotis eam applicare pro anima sui Consanguinei defuncti, sed (velit nolit Sacerdos) præsuppositis requisitis ab eo lucratur, pro quo ibi offertur Sacrificium. Passerinus de Stat. tom. 2, quæst. 187, art. 4, num. 388. Vel privilegium Altaris concessum fuit indeterminate quoad subjectum indulgentiæ, ac præcise sub ea conditione, quod ibi Missa celebretur ; et tunc dico cum Suarez, Rosignolo, et aliis, quorum sententiam non improbabilem vocat Theodorus a Spir. Sanct. de Indulg. part. 2, cap. 1, art. 4, § 1, quod Sacerdos in casu rite id peragit; nam ex una parte illi, pro quo Missa applicatur, correspondet omne id, ad quod jus habet, nempe totus, ac integer fructus medius, seu

specialis Sacrificii; ex alia, cum Indulgentia nulli sit determinate affixa, potest a Celebrante applicari, cui vult, sicque suo Consanguineo defuncto ; tunc enim applicatio ejusdem pendet a Celebrantis arbitrio ; et celebratio Missæ requiritur, ut merum opus injunctum pro applicatione, et lucro Indulgentiæ. Puteobonellus de Sacrif. Miss. quæst. 4, art. 2, § 2, num. 14, recte monens, pro ipsa Indulgentiæ applicatione exigi non posse stipendium.

CAS. III.— Peracta a Capellano prima consecratione, syncope fuit abreptus, propterea fuit illi substitutus alius Sacerdos, qui Sacrificium perficeret. Ast quia tum hic, cum ille applicuit Sacrificium. Qu. An hoc prosit illi, cui fuit applicatum a primo ; an cui a secundo ?

Resp. Probabilius illi prodesse, cui fuit applicatum a secundo. Ratio est, quia ut Sacrificium prosit, cui applicatur, debet esse completum, atque perfectum in suo esse ; quousque enim causa non est perfecta in ratione causæ, apta non est producere effectum. Atqui juxta communem, probabilioremque sententiam Sacrificium fuit in suo esse completum, atque perfectum ut peractum a secundo, non sic ut peractum a primo ; cum ad id, ultra consecrationem panis, plausibilior sententia requirat ad minus etiam consecrationem vini ; ergo probabilius illi prodest, cui fuit applicatum a secundo. Neque dicas, Sacrificium semel applicatum non esse amplius applicabile; id enim valet, quando Sacrificium est jam ultimatum, ac suum habuit effectum ; non vero quando est adhuc in fieri ; siquidem in hoc casu, sive sit idem Sacerdos, qui illud perficere prosequatur, sive sit alius, qui ob alterius defectum illud compleat, convenit quidem, ut priori applicationi se accommodet, at sine peccato, etiam veniali, potest priorem applicationem mutare, antequam illud in suo esse perficiat; per ipsum namque Sacrificii complementum, illud ponit in statu producendi fructum medium, circa quem propterea acquirit jus disponendi de illo, ipsumque applicandi, cui voluerit, antequam det Sacrificio esse completum, et ultimatum, ut cum Dicastillo, Gaspare Hurtado, et Jo.

Præposito recte tradit Pasqualigus de Sacrif. Nov. Leg. tom. 1, quæst. 169, et cum Palao, ac Tamburino, Giribaldus de Sacrif. Mis. cap. 4, dub. 1, num. 6. Et parum refert, quod unus alteri succedat in eadem actione; nam qui subintrat, non succedit accessorie, sed tanquam principalis, in locum alterius.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius propinavit venenum suo inimico; quo sumpto, cum hic morbi angustiis premeretur, se dedit e rupe præcipitem, et fractus occubuit. Qu. An Titius reservationem incurrerit?

Resp. cum distinct. Vel infectus veneno dedit se e rupe præcipitem ex vi, et agitatione veneni; vel ex alia causa, puta ex desperatione, aut etc. Si primum; dico, Titium incurrisse reservationem, ni forte per Confessionem, ante illius mortem, perpetratum facinus retractaverit. Ratio est, quia hujusmodi mors in tali casu est verum homicidium Titio voluntarium in ipsa propinatione veneni, tanquam in causa proxima, et ordinata ex se ad mortem. Si secundum; dico, Titium reservationem non incurrisse: quemadmodum enim si ab uno lethaliter vulneratus iterum ex proposito feriatur, et occidatur ab alio, tunc non primus, sed secundus incidit in reservationem, quia hic est verus homicida, l. *Ita nulla*, § *Celsus*, ff. ad leg. Aquil. ita quia in hoc casu veneno infectus semetipsum, v. g. ex desperatione, dando e rupe præcipitem, simul se morti tradidit, dicendum, quod Titius in isto casu reservationem non incurrerit, cum reservatio intelligatur de opere externo consummato, et completo, quando reservans aliud non expressit: ita Bellochius, Mazzuchellus, Girib. et comm.

CAS. II. — Sacerdos mane diei festivæ existens in peccato mortali, ac impotens habere tum Confessarium, cui confiteatur, cum alium Sacerdotem, a quo Missam audiat, omittit Missæ celebrationem. Qu. An violet tertium præceptum Decalogi?

Resp. negat. Ratio est, quia per tertium Decalogi præceptum nec determinate præcipitur sanctificatio illius festivæ diei, de qua quæsitum procedit, neque ut sanctificatio fiat per auditionem, aut celebrationem Missæ, siquidem per tale præceptum ultra abstinentiam ab operibus servilibus mandatur quidem, ut diebus Deo sacris offeratur eidem aliquis religiosus cultus externus; at determinatio sive dierum, quæ religiose a nobis coli debent, sive cultus per celebrationem, vel auditionem Missæ, habetur ex solo Ecclesiæ præcepto, ut passim notant DD.; propterea dubitari solummodo potest, an Sacerdos, in casu, violet Ecclesiæ præceptum; quod dubium hac distinctione resolvo : Vel talis Sacerdos simul est Parochus; eoque non celebrante, populus remanet absque Missa; et tunc dico, per celebrationis omissionem ipsum violare Ecclesiæ præceptum; quia cum ex officio, et justitia teneatur tali die populo providere de Missa, et jure naturali, ac divino obviare scandalo, alias in populo secuturo, inde emergit urgentissima obligatio sibi consulendi per actum contritionis, ac celebrandi, ut parochiani Missam audiant, et sic ut etiam ipse cum illis præcepto satisfaciat. D. Thomas in 4, dist. 16, in exp. lit. v. *Caveant etiam ne prius.* Vel est Sacerdos simplex, nec ullum sequitur in populo scandalum propter hujusmodi omissionem; et tunc dico, ipsum per hanc probabilius non violare Ecclesiæ præceptum, sed recte se gerere non celebrando; imo teneri ad non celebrandum, quia in tali casu nulla est necessitas celebrandi, cum in ea circumstantia præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam non obliget, stante concursu, et præponderantia alterius præcepti Divini, *Non sumendi Eucharistiam nisi præmissa Confessione peccati mortalis*, quam ob deficientiam Confessarii, tunc præmittere nequit. Navarrus in Man. cap. 7, n. 1. aliique. Neque hoc est reportare commodum ex iniquitate : in primis enim id non oritur ex iniquitate, sed ex defícientia Confessarii. Deinde deficere ab eis, quæ homo tenetur facere, est gravissima pœna; nam virtuosi actus sunt quædam hominis perfectiones. D. Thom. 2, 2, quæst. 68, art. 1, ad 1.

CAS. III.— Commisit Parochus proprio Capellano, ut in ipsius absentia exerceat omnia illa munia Parochialia, quæ, si ipse esset præsens, exerceret. Interim accidit, ut vir, et mulier se præsentaverint Capellano, et coram ipso ac testibus Matrimonium inierint. Qu. An tale Matrimonium subsistat?

Resp. affirmat. Nihil enim deesse videtur tali Matrimonio, ad hoc ut subsistat; si quid enim illi deest, vel est præsentia idonei substituti a Parocho per deputationem specialem ad assistendum Matrimoniis, vel est, quia contrahentes tali Sacerdoti se præsentaverint, ac expresserint mutuum consensum in Matrimonium, non præmissis denuntiationibus. Jum vero neutrum in casu reddit Matrimonium invalidum, ac insubsistens. Non primum; quia sufficere præsentiam Sacerdotis deputati a Parocho per deputationem generalem, declaravit ipsamet S. Congregatio Concilii die 12 Jun. 1581, teste Fagnano de Clandest. despons. c. *Quod nobis*, num. 32, nam licentia generalis idem operatur quoad comprehensa sub genere, quod specialis quoad species, l. *Si chorus*, de Legat. 3, et qui deputat aliquem ad exercenda omnia Parochialia munia, deputat simul et semel ad hoc, quod est assistere Matrimonio, cum ex una parte etiam hoc sit munus Parochiale; ex alia in jure cautum non sit, quod pro valida assistentia deputati, requiratur mandatum Parochi speciale ad assistendum Matrimoniis. Navarrus cons. 13, de cland. desp. in sec. edit. Non secundum; nam sicuti si taliter contrahentes se ita præsentassent ipsimet Parocho, et coram ipso eodem modo contraxissent, Matrimonium esset validum, eo quia denuntiationes requiruntur ad licite, non tamen ad valide contrahendum; ita validum quoque dici debet in casu, cum Tridentinum quoad hoc aliud non requirat, quam quod assistat vel ipse Parochus, vel alter Sacerdos de ipsius Parochi, aut Episcopi licentia. Vide Rosignolum de Matrim. 1, prænot. 35, n. 6, et Giribaldum eod. tract. cap. 7, dub. 10.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Habuit Pœnitens in satisfactionem Coronam B. Virginis, eamdemque recitavit, non tamen unico contextu, sed per decades, diversis horis ejusdem diei interpolatas. Qu. An tali pœnitentiæ satisfecerit ?

Resp. affirmat. Ratio est, quia recitatio Coronæ est oratio non indivisibilis, sed tot partibus, quot decadibus, composita : quemadmodum etiam divinum Officium est unica oratio constans ex septem Horis, tanquam ex septem partibus. Hinc sicuti recitans in septem horis ejusdem diei interpolatis septem Horas Officii, hoc onus adimplet; ita et qui recitat Coronam per decades interpolatas, satisfacit Voto, aut pœnitentiæ talis recitationis : ita Navarrus de Orat. cap. 10, n. 30, et seq. et Beja part. 1, cas. 51, id adnotantes, quod qui id facit ex justo ac rationabili motivo, aut causa majoris devotionis, laudabiliter id præstat; sicuti e contra qui id facit ex acedia, ac tædio laboris, est vituperandus, ut de se compertum est.

CAS. II. — Confessarius de licentia Pœnitentis confert cum viro docto casum quemdam pro consilio ; hoc audito, Consiliarius cum aliis de eodem loquitur. Qu. An hic frangat sigillum ?

Resp. affirmat. Cum Suarez, Lugo, cæterisque communius. Ratio desumitur ex auctoritate, et doctrina Angelici Præceptoris, qui in Supplem. 3, part. quæst. 11, art. 4, ad 4, hæc habet : *Ille, ad quem notitia peccati devenit mediante Sacerdote, de voluntate confitentis, participat in aliquo actu Sacerdotis ; et ideo simile est de eo, et de interprete ; nisi forte peccator velit, quod ille absolute sciat, et libere.* Sed interpres frangit sigillum, et quidem sacramentale, si cum aliis loquatur de casu audito in confessione ; nam S. Doctor ead. quæst. art. 3, in c. inquit ; *Sicut aliquis, qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum Confessionem audit propter necessitatem; ita etiam*

participat aliquid de actu sigilli Confessionis, et tenetur celare : ergo etiam Consiliarius frangit Sacramentale sigillum, si cum aliis loquitur de casu audito a Confessario. Neque dicas, S. Doctorem post verba ultimo allata immediate subjungere, *quamvis, proprie loquendo, sigillum confessionis non habeat*; nam per hoc vult solum innuere, quod non Sacerdos (de quo ibi loquitur alterius Confessionem audiens propter necessitatem, non habet sigillum Confessionis per se, et ut Minister Sacramenti; ut clare patet ex verbis, quæ in principio ejusdem auctoritatis præmittit S. Doctor : *Dicendum, quod sigillum Confessionis competit Sacerdoti, in quantum est Minister hujus Sacramenti.* At non negat, quod habeat sigillum Confessionis per accidens, et quatenus audit alterius Confessionem; nam in hoc sensu postea subdit, quod participat aliud et de actu clavis, et de actu sigilli Confessionis, ideoque tenetur celare. Alias rationes vide apud Emin. de Lugo de Sacr. Pœnit. disp. 23, sect. 2, n. 25, et seq.

CAS. II. — Fabius indigens nummis, mutuo petit scuta centum a Francisco, huic exhibens ultra sortem quatuor pro tali summa elapso anno. Annuit Franciscus, dummodo Fabius acceptet medietatem in pecunia, et medietatem in mercibus communi pretio æstimatis. Qu. Contractus an talis sit licitus ?

Resp. Eum esse illicitum. Ratio est, quia, etiam dato quod Franciscus ob justum aliquem titulum licite conveniat cum Fabio, ut post annum ipsi solvat illa quatuor ultra sortem; nequit tamen juste illi imponere hoc gravamen, quod ab ipso acceptet medietatem mutui in mercibus; id enim est mutuare cum pacto, ut Fabius (quod usurarium est) merces ab ipso emat; nam recipere partem mutui in mercibus, est istas emere. Propterea si Franciscus imponit Fabio hanc obligationem, Contractus illicitus est. Excipiunt Salas de Usuris dub., 16. De Lugo, et alii, si Fabius indigeat mercibus, et has eodem pretio esset ab alio empturus; tunc enim, inquiunt, cum dicta obligatio non sit mutuatario incommoda, ipsam deducere in pactum usura non est; præ-

cipue cum mutuatarius voluntarie ipsam acceptet. Et ratio fundamentalis est, quia Usura est peccatum injustitiæ lædens, aut gravans proximum invitum ; quod in casu non amplius verificatur. Verum probabilius censeo, quod etiamsi Fabius indigeat mercibus, adhuc illicitum sit eam obligationem deducere in pactum. Ratio est quia sic aufertur ab eo libertas emendi merces ab alio, et adigitur eas emere a Francisco ; cui si consentit, forte id facit, quia aliter non ita facile in nummis totum mutuum inveniret.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Parochus ex vetustis quibusdam planetis alias planetas conficit, ac ex stolis manipulos ; et absque eo, quod hæc novæ benedictioni supponat, eisdem utitur in Missa. Qu. An licite ?

Resp. negat. Parochus enim, ac alius quicumque Sacerdos, uti nequit in Missa, et quidem ex gravi præcepto, indumentis non benedictis, prout ex C. *Vestimenta* de Consecr. dist. 1, notant Quartus, et alii DD. comm. Jam vero benedictæ nequeunt dici planetæ ex aliis vetustis confectæ, neque manipuli, queis utitur in casu ; sicuti enim benedicta, aut consecrata dici nequit Ecclesia per integrum ædificata ex lapidibus, ac cæmentis alterius Ecclesiæ olim benedictæ, aut consecratæ, eo quia statim ac hæc demolita fuit, benedictionem aut consecrationem amisit ; ita nec benedictæ dici possunt planetæ, aut manipuli per hoc, quod ista confecta fuerint ex aliis planetis, ac stolis, olim benedictis ; eo quia statim ac istæ discissæ fuerunt, amiseruntque formam artificialem, cum qua sacro erant aptatæ ministerio, simul etiam Benedictionem amiserunt ; pereunte namque subjecto benedictionis, indumento nempe sub ea figura, et forma, necesse est, ut pereat etiam benedictio illi inhærens. Quartus in Rubr. Miss. part. 2, tit. 1, sect. 4, dub. 4. SS. D. N. Papa Benedictus XIV. instit. 21, num. 21 et comm. Neque dicas, saltem manipulos aliquo modo retinere eamdem figuram, etsi

breviorem, et sacro adhuc aptos esse ministerio ; non enim retinent amplius figuram stolæ, sub cujus forma benedictionem, et aptitudinem acceperunt ad sacrum ministerium; transieruntque in indumentum alterius generis ; quod sufficit, ut nova indigeant benedictione, ut advertit idem Sanctissimus D. N. ibid. Propterea dicendum, quod Parochus illicite se gerat.

CAS. II. — Debebat Sejus quinque aureos Cajo habitanti Florentiæ, cum petiit a Confessario, ab ipso putato pio, et docto, an suæ obligationi satisfaceret, illos distribuendo pauperibus. Annuit Confessarius, factaque distributione, advertit, quod facile per Mercatores poterat suo Creditori satisfacere; unde cœpit dubitare, an respectu Caji ipsi remaneret aliqua obligatio. Qu. Quid dicendum ?

Resp. cum distinct. Vel Sejus debebat hos quinque aureos Cajo titulo injustæ acceptionis, aut ex contractu oneroso ; et tunc dicendum, quod ipsi remanet tota obligatio respectu Caji. Vel eos Cajo debebat titulo rei acceptæ ; et tunc dicendum, quod nulla ipsi remanet obligatio. Ratio pr. part. est, quia usquequo res, tali modo alteri debita, non reponitur in manu Creditoris, aut ejus, qui legitime ipsius personam repræsentat, non est ablata inæqualitas posita per injustam acceptionem, cum creditor minus habeat, quam habere debet ; neque est posita æqualitas exacta a justitia contractus ; ideoque Sejo adhuc inest obligatio ponendi hanc æqualitatem per solutionem : consilium etenim Confessarii hanc non posuit, et fecit quidem Sejum pro eo tunc immunem a culpa; at non fecit creditorem indemnem, prout propterea fieri debet a Sejo per solutionem. Ratio sec. part. est, quia obligatus titulo rei acceptæ, tenetur solum restituere rem, si extat, et si non extat, id, in quo ex ea factus est ditior. Propterea cum neutrum in casu verificetur, utpote quia quinque aurei, juxta Confessarii consilium, supponuntur jam distributi pauperibus, nec Sejus ex iis factus est locupletior ; ideo dicendum, quod in isto casu Sejus pro foro conscientiæ ad nihil amplius teneatur erga Cajum. Vide La Croix lib. 3. part. 2, num. 97 et 422.

CAS. III. — Lælius dedit Bernardo 20 aureos, aliosque eidem promisit, si Cajum ipsius inimicum occideret. Peregit Bernardus opus iniquum. Qu. An hic possit licite retinere aureos acceptos, et promissos exigere?

Resp. affirm. Ratio est, quia completo contractu ex una parte, justitia postulat, ut perficiatur ex alia, cum opus malum sit pretio æstimabile, non quatenus malum, sed quatenus laboriosum, ac periculosum perpetranti, et quatenus utile, vel delectabile ipsum mandanti. Nec obstant leges, quæ adduci solent in contrarium; nam licet hæc pacta turpia, et iniqua rescindant: tamen non reddunt iniquam acquisitionem rei ex tali causa, nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum ejus dominium: sed solum videntur decernere, ut ante opus patratum hujusmodi pacta habeantur ut iniqua, et ut ex eis non oriatur obligatio civilis, ob quam possit in judicio peti promissum. Cæterum credibile non est, per has leges rescindi obligationem naturalem, ex talibus pactis onere patrato consurgentem; siquidem leges positivæ ita sunt explicandæ, si fieri possit, ut consonent dispositioni juris naturalis. Hinc cum jus naturale in casu disponat, ut qui promisit nedum teneatur ex fidelitate, verum etiam ex justitia (agitur enim de promissione onerosa, ac de contractu innominato: *Facio ut des, Do ut facias*); dicendum, quod Bernardus peccavit quidem accipiendo prædictos aureos sub conditione, et pacto homicidii perpetrandi, et quod ante patratum homicidium tenebatur eos restituere, eo quia, cum nemo possit obligari ad peccatum, talis promissio nullius roboris erat; attamen quod, homicidio patrato, possit licite retinere aureos acceptos, ac promissos exigere. D. Th. 2, 2, quæst. 32, art. 7, in c. et quæst. 62, art. 5, ad. 2. Aliique comm.

MENSE MAII.

CAS. I. — Tullius invasus ab inimico, etiamsi potuerit ab hoc se defendere sola percussione, in sui defensio-

nem istum occidit. Qu. An teneatur reficere omnia damna familiæ occisi ?

Resp. Probabilius eum teneri solum ad ratam excessus in moderamine. Ratio est, quia tantum quis debet restituere pro refectione damnorum, in quantum violavit justitiam commutativam cum gravi culpa theologica, ut tradunt DD. com. in tract. de Restit. Atqui Tullius in casu cum gravi culpa theologica violavit justitiam commutativam solum ad ratam excessus in moderamine, nam in reliquo usus est jure suo, cum liceat vim vi repellere, ac semetipsum injuste invasum defendere ; ergo solum ad ratam talis excessus tenetur reficere damna familiæ occisi. Neque dicas, per gravem injuriam totum damnum causasse, ideoque teneri ad totalem refectionem ejusdem. Contra enim, sicuti injuria non fuit nisi quantum ad excessum, ita solum cum proportione ad hunc reparationis obligatio est peritorum judicio taxanda ; invadens enim, statim ac injuste invasit, fecit Tullio potestatem ut ageret, quantum licite posset, ad se defendendum ; amisitque jus ad compensationem damni ipsi, ac familiæ illati ob necessariam defensionem. Lessius lib. 2, cap. 9, num. 135 et Bonacina de Restit. disp. 2, quæst. ult. sect. 2, punct. 1, n. 3.

CAS. II. — Beneficiarius variis mentis cogitationibus voluntarie distractus recitat divinum Officium. Qu. An faciat fructus suos, et oneri Officii satisfaciat ?

Resp. negat. quoad utrumque circa eas Horas, quas notabili cum distractione recitat. Ratio quoad onus Officii est, quia illius recitatio, utpote oratio, ac cultus externus erga Deum non tam ore, quam mente, et corde fieri debet juxta illud Apostoli 1, ad Cor. 14 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.* Item quia in c. 1, de celebr. Missar. recitantibus Officium præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, ut illud recitent *studiose* quantum ad pronuntiationem exteriorem, et *devote* quantum ad interiorem, ut ibi explicat Glossa : quo posito, sic dissero : Quando aliquid requiritur cum aliqua qualitate, ad ejus implementum non sufficit hoc sine illa, C. *Licet causa cum ejus*, annot.

de Probat. Sed pro satisfactione Officii jus requirit recitationem sejunctam a voluntariis distractionibus, et comitatam ab attentione ; ergo etc. ideoque etc. Neque dicas, Ecclesiam non præcipere actum internum , et attentionem continuatam pro tempore totius Officii esse impossibilem , cum, nobis nolentibus, etiam in Sanctis, mens distrahatur , juxta illud Ps. 39. *Cor meum dereliquit me.* Contra enim, licet Ecclesia non præcipiat actum internum directe , ac principaliter , præcipit tamen indirecte , concomitanter , et consequenter , scilicet , quando actus externus , qui præcipitur , trahit secum necessario actum internum tanquam sui formam et substantiam , ut patet in dolore pro Confessione etc. Porro recitatio divini Officii , utpote species orationis , est necessario etiam ipsa elevatio mentis ad Deum , ideoque requirit attentionem. Ad aliud dico, quod attentio duplex est Actualis una , consistens in actuali reflexione ad id, quod agitur : Virtualis altera, consistens in firmo animi proposito attendendi , quantum humana imbecillitas sinit, a principio usque ad finem actionis, cum exclusione cujuscumque voluntariæ distractionis. Prima sine speciali gratia Dei vere haberi non potest pro toto tempore Officii , et ideo præcepta non est, neque necessaria. Secunda , quæ volenti facilis est , sufficit , eaque præcipitur. Atqui Beneficiarius variis mentis cogitationibus voluntarie distractus in recitatione Officii , neque hanc habet ; ergo oneri Officii non satisfacit. Ratio postea , ob quam neque facit fructus suos , est , quia non dicitur recitare , qui sic recitat , ut se ab onere iterum recitandi non liberet; sed eo ipso quod Beneficiarius per hujusmodi recitationem non satisfaciat oneri Officii, sic recitat , ut se ab onere iterum recitandi non liberet, ergo etc. adeoque etc. Vide Nav.

CAS. II.—Petronius volens occidere Petrum Clericum alium Clericum occidit , familiæ suæ valde proficuum. Qu. An sit excommunicatus , et teneatur reficere damna?

Resp. cum distinct. Vel una simul cum illo errore adfuit in Petronio voluntas occidendi Clericum quem videbat ; vel non. Si 1 , dico , ipsum esse excommunica-

tum, et obligatum reficere damna, quia in tali casu vere intendit et occidere Clericum, et damnificare proximum; et sic, prout culpabiliter Clericum occidit, est excommunicatus; et prout proximum culpabiliter damnificavit, titulo damni illati tenetur reparare damna: sicuti qui scienter ad Mulierem conjugatam accedit, adulterii culpam, ac pœnas incurrit, etsi eam putet uxorem Titii, et sit uxor Sempronii. Si 2, nempe cum illo errore non adfuit in Petronio dicta voluntas, quin imo possibilem adhibuit diligentiam, ne alium non intentum damnificaret; dico, Petronium nec esse excommunicatum, nec etc. quia cum in hoc casu non habuerit animum hunc occidendi neque ut Clericum, neque ut hominem, actio ista respectu ipsius fuit mere casualis, involuntaria, ac per accidens; proinde non inductiva censuræ, neque oneris reficiendi damna, neque irregularitatis, nec reservationis casus. Vide Giribaldum de Homic. dub. 23, num. 168, ac de Rest. c. 4, dub. 6, § 1, n. 48 et Mazzuchellum Cas. reser. disp. 2, cap. 7, n. 118.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Brutus vulnus non lethale inflixit Cæsari, cui cum secundum artem Medicinæ, et Chirurgiæ non fuerint applicata medicamenta, ac debita remedia, mortuus est. Qu. An sit reus homicidii, et teneatur ad refectionem omnium damnorum?

Resp. cum dist. Vel tale vulnus fuit Cæsari inflictum in loco, ac tempore, quo, non obstante omni possibili diligentia, curari non potuit, ac proinde mortuus est; et in hoc casu dico, Brutum esse reum homicidii, ac teneri ad refectionem omnium damnorum. Vel illi fuit inflictum, ubi commode curari poterat, sed ideo mortuus est, quia vel ipse fuit admodum negligens in procuranda sui curatione, vel quia Medicus, aut Chirurgus male ipsum curavit; et tunc dico, Brutum nec esse reum homicidii, nec teneri etc. Ratio pr. part. est, quia vulnus inflictum Cæsari in iis circumstantiis censetur mor-

tale, utpote incurabile; ideoque, eo mortuo, Brutus vere est homicida; sicque ut homicida tenetur reficere omnia damna per tale homicidium causata. Ratio sec. part. est, quia in eo casu vera causa efficax mortis non fuit vulnus inflictum a Bruto, sed vel negligentia ejusdem Cæsaris in procuranda sui curatione, vel negligentia aut ignorantia medentium, qui non applicuerunt opportuna medicamenta, ac debita remedia vulnerato, per se non difficile sanabili. Addo, in cap. *Significasti* 2, de Homic. Innocentium III. declarare hujusmodi percutientem non esse irregularem; ergo signum est, quod Brutus revera non est homicida, ac proinde tenetur solum ut vulnerans ad refectionem damnorum judicio viri prudentis. Lessius lib. 2, cap. 9, dub. 15. Bonacina, et alii.

CAS. II. — Vir nobilis per sententiam Judicis, quam cognoscit falsam, habuit domum, et fundum Petri, qui cum in rebus suis esset valde negligens, nil emolumenti ex domo, et parum ex fundo percipiebat; ipse vero, cum sit satis diligens, et industrius, locando domum, et colendo fundum, magnum commodum, et utilitatem reportavit. Nunc stimulis actus conscientiæ petit a Confessario ad quid teneatur. Attenditur Confessarii responsum?

Responsum Confessarii est, quod Vir nobilis tenetur Petor restituere primo domum, et fundum, quia per illam sententiam falsam, ut pote innixam falsis probationibus, non amisit Petrus dominium domus, ac fundi; mens namque Reipublicæ non est, ut, cum sententia nititur falsis probationibus, auferatur dominium; esset enim calumniatoribus favere; et sententia Judicis eatenus obligat, quatenus decernit, quod justum est. Nec obstat, quod lata sit servato juris ordine, et secundum allegata, et probata; hoc enim solum evincit, eam esse validam in foro externo, non autem in foro conscientiæ. Valentia in 2, 2, disp. 5, quæst. 3, puncto 2, § *Perfectum*. Secundo fructus, ac proventus, quos ex locatione domus, et ex fundi cultura percepit; retento tamen sibi pretio expensarum, laboris, ac industriæ suæ in illis perci-

piendis. Ratio est, quia fructus, ac proventus domus, et fundi ad eum pertinent, ad quem spectat ipsa res fructifera. l. *Si Titius* Instit. de rer. divis. non enim sunt fructus industriæ, sicuti est lucrum ex aliena pecunia, quæ sterilis est, sed fructus rei fructiferæ, ut cum communi recte notant Clavis Regia lib. 10, tr. 3, cap. 1, et Lessius lib. 2, cap. 12, dub. 17. Nec ullum est inconveniens, quod Petrus ita sit ditior, quam si res suas semper habuisset: sicuti enim, si alicui surreptus fuisset equus tempore, quo volebat eum vendere pretio vili, eique restituerctur tempore, quo longe plus valet, occasione furti fieret ditior, quia lucraretur augmentum pretii; ita etc. Dixi, *retento sibi pretio expensarum etc.* quia licet possessori malæ fidei in foro externo denegentur in pœnam tam expensæ necessariæ, quam utiles; tamen in foro conscientiæ deducendæ sunt primæ, quia has dominus facturus erat; et secundæ, quia non decet, ut dominus rei ditior evadat expensis alterius; et utræque cedunt in domini utilitatem. Ita DD. comm.

CAS. III. — Sergium, solitum male agere, facile posset Cajus corrigere; ast quia dubitat suam correctionem minime profuturam, illam omittit. Qu. An istud dubium eximat Cajum a correctionis obligatione?

Resp. cum distinctione. Vel simul cum dubio, quod correctio non sit profutura, concurrit etiam dubium, quod sit obfutura; et in hoc casu dico, tale dubium eximere Cajum a correctionis obligatione. Vel simul cum illo dubio non concurrit hoc aliud dubium; et tunc dico, Cajum non eximi a tali obligatione. Ratio pr. part. est, quia correctio præcipitur in bonum proximi, nempe ut hic resipiscat, et se emendet: præcipitur in illius salutem, non in ejus ruinam. Proinde si Cajus rationabiliter dubitat, quod Sergium corrigendo, correctio sit illi potius obfutura; puta, quia in blasphemias erumpet, vel aliquod aliud malum de novo committet; in tali casu nedum eximitur a correctionis obligatione, verum etiam positive tenetur, ut evitet majus malum, illum non corrigere, ni forte hic sit in certo peccato mortali, et in proximo mortis periculo; quo in casu, non obstante illo

dubio, adhuc teneretur ipsum corrigere, eo quia nocumentum correctionis esset dubium, certa vero illius æterna damnatio, si moreretur in eo statu. Ratio sec. part. est, quia in tali casu ablata non est omnis spes, quod Sergius, per correctionem excitatus, resipiscat. Propterea cum ad obligationem correctionis necessaria non sit spes certæ emendationis (nam secus actum esset de Correctionis præcepto, cum semper incertum sit, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus, ut ait D. August. l. 1, de Civ. Dei cap. 9), ideo dicendum, quod in isto casu tale dubium non eximit Cajum ab obligatione correctionis : sicuti non obtenta ab infirmo sanitate per propria, ac magis opportuna remedia, tenetur Medicus illi ordinare medicinam, quam certus est non obfuturam, spemque habet, etsi sub dubio, profuturam. Ita cum D. Thoma Palaus tr. 6, disp. 3, punct. 5, cæterisque comm.

MENSE JULII.

CAS. I. — Sempronius vendit domum Francisco, habita ei fide de pretio : cum pacto tamen, ut toto tempore, quo pretium non solverit, det ad rationem quinque pro singulo centenario. Qu. An sub hoc Contractu lateat usura?

Resp. Non latere, si Franciscum obligat ad illa quinque, quia ob pretium non solutum in totidem patitur interesse; vel quia ei cedit etiam jus ad totidem fructus locationis domus : latere vero, si eum obligat ad illa quinque ob puram dilationem solutionis, vel absque eo, quod ei totidem cedat, ac in totidem interesse patiatur. Ratio primi est, quia ex una parte etiam in Mutuo licitum est deducere in pactum proprium interesse, ut quis servet se indemnem, prout cum D. Thoma 2, 2, quæst. 78, art. 2, ad 1, firmavimus ad 5 Aprilis 1751, adeoque sine usura idem facere poterit Sempronius in casu; maxime cum id ipsi concedatur in jur. in leg. *Curabit.* de Act. Em. et Vend. Ex alia parte, non esset usurarius Sempronius, si in casu iniret hoc pactum, quod Fran-

ciscus interim habeat solum dominium directum supra domum, sibi vero adhuc competat jus exigendi pretium locationis, ut probat De Lugo disp. 25, sect. 8, num. 140, et seq. ergo neque dici potest usurarius per hoc, quod ineat pactum, ut toto tempore etc. Et ratio fundamentalis, est, quia non tenetur venditor ante solutionem pretii rem tradere cum suo incommodo, ac pati damnum in fructu pro emptore; ideoque si tradat, potest ad ratam prætendere, et tantumdem in pactum deducere. Ratio postea secundi est, quia obligare Franciscum, ut det illa quinque pro centenario ob puram dilationem solutionis, est vendere tempus, ac tale emolumentum percipere ratione ipsius mutui immediate; quod aperte illicitum est. Unde Alexander VII damnavit hanc propositionem 42. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Idem dicendum (nempe illicitum esse pactum de illis quinque, pro cessione juris exigendi pretium locationis, aut pro interesse, quod patitur Sempronius) si neque pretium locationis, neque interesse Sempronii ad tantum pertingat; tunc enim excessus percipitur ob ipsam dilationem solutionis, vel ob mutuum virtuale; quod plane illicitum est, ut tradunt DD. comm.

CAS. II. — Proculus, injuriis affectus ab Eusebio, instat pertinaciter apud Judicem pro illius punitione, quamvis sit ille paratus debitam ipsi dare satisfactionem, et ab ipso veniam petere. Qu. An casu, quo sic accedat ad Confessarium, debeat hic illum absolvere?

Resp., cum distinctione. Vel Proculus id facit ex odio, vindicta, aut indignatione erga Eusebium, aut (etiam his exclusis) cum scandalo; et tunc, ut de se patet, non debet Confessarius illum absolvere, cum sit indispositus, et scandalis sit obviandum. Vel id facit præcise, ut sibi juridice debita compensatio fiat, et justitia locum habeat: et tunc dico, Confessarium debere illum absolvere. Ratio in primis desumitur ex Glossa in Cap. *Si quis contristatus* dist. 90, ubi aperte habetur, quod non tenetur læsus actionem injuriarum remittere, nec ad eam remit-

tendam ullum esse cogendum. Deinde non est alicui absolutio neganda per hoc, quod jus suum prosequatur. Sed Proculus in casu jus suum prosequitur, statim ac id facit, ut juridice sibi compensatio fiat, et locum habeat justitia (lex enim obligat quidem ad se reconciliandum cum offensore, quin imo ad illi exhibenda peculiaria signa dilectionis semel ac veniam petit, etc. ut docet S. Thomas 2, 2, quæst. 83, art. 8, in c., at non obligat ad acceptandam determinate hanc potius, quam illam satisfactionem) ; ergo in casu a Confessario non est Proculo neganda absolutio. Toletus in sum. lib. 4, cap. 10. Navarrus in Man. cap. 14, n. 25, et conf. lib. 5, de Accusat. tom. 2. Conf. 1, ubi addit, quemdam Ordinarium a S. Congregatione fuisse reprehensum, eo quia cuidam Mulieri nolenti dare pacem in scriptis occisoribus filii, ac asserenti se odio non prosequi tales homicidas, mandaverat denegari Sacramenta Confessionis, et Communionis ; imo Proculum in casu esse absolvendum, decisum refert a S. Congregatione Zerula in Praxi Sacr. Pœnit. c. 22, quæst. 12.

CAS. III. — Mercator vendit Bernardo merces suas credita pecunia, sed pluris pretio justo, et rigoroso, eo quia interdum ille non solvit, et plerumque, cum maximo incommodo Creditorum, non nisi post longum tempus, aut per partes. Qu. An hæc venditio in foro conscientiæ sit licita?

Resp. cum distinctione. Vel illud plus, quo in casu merces Mercator vendit, excedit meritum periculi, cui subest ; vel non. Si non ; dico, talem venditionem in foro conscientiæ licitam esse; dummodo servet conditiones infra ponendas. Ratio est, quia periculum amittendi pretium mercium, aut hoc non habendi, nisi cum maximo incommodo, etc. in communi prudentum judicio est quid pretio æstimabile, et quidem tanti, quantum licite prætenderet fidejussor pro fidejussione. Ergo potest Mercator quid plus huic proportionatum prætendere ob istud periculum, quod in se suscipit : sicuti enim hujusmodi credita ob idem periculum licite emuntur minori pretio, ita et majori pretio licite contrahuntur.

Bartholomæus a S. Faust. de Usur. quæst. 49. Neque dicas cum Soto, et aliis, sic vendentem, voluntarie, ac propria sponte semetipsum inducere in tale periculum; ideoque si exinde illi provenit aliqua molestia, vel incommodum, sibimet debet illud adscribere et sic nihil debet pro eo accipere. Contra enim: statim ac periculi susceptio est pretio æstimabilis, parum refert, quod volens vel invitus illud suscipiat; nam eo ipso, quod pluris non vendit, quam cum proportione ad periculi æstimabilitatem, utitur jure suo. Molina de Contr. disp. 346, aliique passim. Si postea illud plus, quo merces Mercator vendit, excedat meritum periculi, cui subest, dico, hujusmodi venditionem in foro Conscientiæ esse illicitam; non enim alia ratione sumit in casu talem excessum, nisi quia vendit pecunia credita; quod ut illicitum damnatum est ab Innocentio XI, per proscriptionem hujus 41 propositionis: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* Conditiones deinde a Mercatore servandæ, ut in primo casu licita sit ejus venditio, sunt: Primo, quod non plus sumat, quam mereatur periculum, cui subest, prout dictum est, et quod tale periculum sit verum, et non fictum, quidquid postea fit, quod eventus declaret nullum fuisse incommodum; non enim pro ipso incommodo futuro, sed pro periculo incommodi de illo plus pactum est. Secundo, quod de tali plus moneat Emptorem, antequam vendat, et cum eo de hoc ineat pactum: debet enim Emptor voluntarie istud onus assumere; nam fieri potest, quod reperiat alium venditorem sine isto gravamine. Tertio, quod venditor non obliget ex hoc titulo emptorem ad hoc plus, si hic det ei idoneam fidejussionem, aut pignus. Quarto denique, quod non obliget emptorem ad ineundum cum ipso contractum assecurationis; sed hic liber maneat vel ad dandum pignus, vel ad dandum fidejussorem, vel ad exhibendum hoc plus, prout ipsi libuerit. Vide Barthol. a S. Faust. l. c.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Mutuatarius dedit Antonio, occasione mutui 1000 aureorum ab ipso acceptorum, quasdam corbas tritici, aliasque ipsi promisit. Interim moritur Mutuatarius, et Antonius incipit dubitare de illius intentione, scilicet, an dederit, et promiserit corbas tanquam pretium mutuationis, an vero ex gratitudine; propterea Qu. An licite retinere possit acceptas, et ab hæredibus exigere promissas?

Resp. Posse, si Mutuatarius sponte dedit, ac promisit, eratque vir liberalis, nobilis, gratus, et aliunde dives, nec in dando ullam vel minimam tristitiam, seu molestiam ostendit; non posse vero, si dedit ægre, aut cum murmure, eratque vir tenax, lucris deditus, pecuniarum avidus, et avarus: in primo enim casu forum externum præsumit, ipsum ex liberalitate, benevolentia, et gratitudine dictas corbas donasse, ac promisisse; sicque Antonius potest licite retinere acceptas, et ab ejus hæredibus exigere promissas, tanquam debitas non ex vi mutuationis, aut ex gratitudine, seu liberalitate (circa quod adest propositio 42, damnata ab Innocentio XI), sed ratione promissionis, si hæc ab ipso fuit acceptata. In secundo autem casu præsumit eum dedisse, ac promisisse ratione mutui, vel ex apprehensa incussione injusti timoris, quod si id non fecisset, alia vice Antonius ipsi non mutuasset; propterea licite nec retinere potest acceptas, nec exigere promissas, utpote datas, vel promissas involuntarie: in dubio namque recurrendum est ad conjecturas, et præsumptiones, cum non occurrat melior ratio, et via ad recte judicandum in re dubia, Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 57, n. 12, et tunc judicandum est pro illa parte, pro qua est præsumptio fori externi; judicium namque internum et externum diversa non sunt; nisi per hoc, quod externum ducitur præsumptione, internum autem veritatem noscit. Sotus de Just. lib. 7, quæst. 3, art. 2, concl. 3. Quod si recte discerni non possit qualitas mutuatarii, sed adhuc ex utraque parte remaneat æquale dubium,

dico in tali casu, Antonium non teneri restituere acceptas, et hæredes Mutuatarii non teneri dare promissas, eo quia in pari causa melior est conditio possidentis. Hinc cum Antonius sit in possessione acceptarum, et hæredes Mutuatarii sint in possessione promissarum, primus potest acceptas retinere, et hi promissas non solvere, ut inter alios docet Rebellius 2, part. de Oblig. lib. 8, de Usur. quæst. 16, sect. 5, n. 26.

CAS. II. — Agricola mutuat Vitali 500 aureos, ad sex menses, ob hoc præcipue, quia sperat Vitalem, utpote liberalem, donaturum ultra sortem 20, vel 30 aureos. Qu. An mutuando cum tali intentione peccet?

CAS. III. — Qu. Secundo, an si Vitalis ei dabit intentos aureos, possit Agricola eos tuta conscientia retinere?

Resp. ad 1 neg. Si nullum præcessit pactum, ne quidem implicitum, quod Vitalis postea dare debeat aliquid ultra sortem. Ratio est, quia ista spes, et intentio Agricolæ, secluso omni pacto, non imponit Vitali ullum gravamen, aut aliquam obligationem; nec impedit, quod, si hic Agricolæ donet aliquid, in casu id donet propria sponte, ac ex mera sua liberalitate, ut recte tradit Viva ad præcitatam propositionem 42, ab Innocentio XI, damnatam. Propterea si sperat 20, vel 30 aureos ex liberalitate Vitalis, cum eos speret ex mera gratia, et ut liberale donum ejusdem, non est per hoc peccati usuræ incusandus, etsi ei mutuet 500 aureos cum hac spe, et intentione. Nec obstat illud dictum Christi, Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes;* neque id, quod definivit Urbanus Papa in cap. *Consuluit*, de Usur., scilicet, ad restitutionem teneri eum, qui mutuat intendens, ac reportans lucrum, etiamsi absque prævia conventione id faciat. Siquidem utrumque intelligitur de spe, ac intentione lucri ex mutuo immediate, vel ut ex gratitudine et liberalitate debita; quæ intentio utique mala est, et damnata in præfata propositione. At talis non est intentio Agricolæ in casu nostro, ut rem attente consideranti fit manifestum, ac notat Duarte V.

Usura num. 545. Hinc si Vitalis det Agricolæ istos aureos, ab ipso taliter intentos, et cum eadem intentione acceptos, utique potest eos tuta conscientia retinere; est enim liberalis datio rei, ut supponitur, facta a domino potente donare, ac prius intenta a donatario ex gratia et liberalitate donantis. Et per hoc habetur responsio ad 3 alium casum.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. II.— Nereus dubitans de Judicis integritate, dat ei decem aureos, ut juste judicet; et hos ille recipit. Qu. An sive dans, sive recipiens peccet?

Resp. negat. quoad dantem, si hujus dubium est rationabile; affirmat. vero quoad recipientem. Ratio pr. part. est, quia supposita rationabilitate dubii, prosequitur dans jus suum; cum naturale sit redimere propriam vexationem, ac se defendere a malo injuste ingruente vel per sententiam injustam, vel per nimiam et non necessariam prolongationem decisionis causæ, cum dispendio in lite. Rodriquez part. 2. Sum. cap. 42, concl. 7. Molina de Just. disp. 88, prope principium, et 89. Neque per hoc dans dici potest cooperari peccato Judicis; id enim est sine illius malitia, eamque permittere ad avertendum grave malum aliter imminens, et ad auferendum impedimentum injustæ vexationis. Dixi, si prælatum dubium est rationabile, eo quia si esset mera suspicio sine fundamento, tunc certe nefas esset etiam respectu dantis, ut recte advertit Molina l. c. Ratio sec. part. desumitur primo ex Const. de Datis, et Promissis facta a Gregorio XIII et confirmata a Clemente VIII, in suo Decreto pro bono regimine edito anno 1592, ubi sub excommunicationis pœna prohibitum est unicuique judici notabile donum accipere a clientibus pro sola causæ expeditione. Secundo, quia recipiens in casu accipit talem summam pro eo, quod non est venale, et ad quod jam tenetur ex justitia; item accipit id, quod ipsi coacte, ac involuntarie datur, et quod ipsi prohibetur a legibus; ergo illicite recipit, adeoque peccat. Neque di-

cas, leges etiam prohibere, ne ipsi aliquid detur; sicque etiam dantem peccare. Contra enim, leges, quatenus prohibent dare, fundantur in præsumptione, quod datio fiat ad subornandum, et corrumpendum Judicem, non autem ad redimendam gravem injustam vexationem, prout facit Nereus in nostro casu. Vide Homobonum Resp. 197, in 8 præc. Decal.

CAS. II. — Puella, inscio Patre, recipit ab amatore suo notabilem pecuniæ quantitatem, quam pro libito suo occulte partim expendit, partim aliis donat. Qu. An hæc accipiendo et dando, inscio Patre, peccet?

CAS. III. — Qu. 2° : An Confessarius tam illi, quam iis, quibus donavit, injungere debeat restitutionem?

Resp. cum distinct. Vel dans Puellæ notabilem pecuniæ quantitatem habet hujus liberam dispositionem : vel non. Si non; dico, Puellam hujus rei consciam peccare sive accipiendo, sive dando; nam semel ac ipsa novit Amatorem suum non posse de tali quantitate libere disponere, novit etiam eumdem non posse talis pecuniæ dominium in ipsam transferre, sicque nec ipsam licite posse talem pecuniam ab eo accipere, neque aliis licite dare, sive conscio, sive inscio Patre suo. Unde in hoc casu Confessarius tam illi, quam iis, quibus donavit, debet utique injungere restitutionem, si hanc facere possint. Si postea dans Puellæ talem pecuniam liberam habeat ejusdem dispositionem, observandum est, an ipsi eam tribuerit ad modum sponsalitiæ donationis, ut nempe cum ea sibi compararet annulos, vestes, etc. an in pretium alicujus actus turpis inter ipsos habiti; an ex puro liberali dono, cum facultate de tali pecunia libere disponendi ad modum bonorum quasi castrensium; an denique intuitu, vel causa Patris : si enim ipsi eam tribuit primo modo, peccavit Puella, non quidem pecuniam accipiendo, sed eam non exponendo juxta Amatoris intentionem, eamque donando aliis; nam sponsalitiæ donationes non transeunt in dominium donatarii nisi secuto Matrimonio; ideoque donavit aliis, quod adhuc suum non erat, sicque etiam in hoc casu, ni Sponsus

condonet, intervenit obligatio restitutionis. Si tribuit secundo modo, probabilius censeo, quod neque peccaverit accipiendo, neque donando aliis, inscio Patre. Non accipiendo, quia licet datio facta fuerit ob rem turpem, non fuit tamen turpis acceptio. Neque donando, inscio Patre; non enim dominium ullum habebat Pater puellæ supra talem pecuniam, quæ vel pleno jure spectabat ad ipsam puellam, vel debebat pauperibus, aut in alium pium usum erogari. Nec obstat, quod puella esset sub cura et custodia Patris; id enim probat, per turpem actum Patri illatam fuisse injuriam; hæc tamen, si patefiat, diluitur respective ad Patrem per veniæ petitionem; et respective ad puellam, si non consensit, per assignationem dotis sufficientis ad æque bene nubendum, aut per Nuptias. Quare neque in hoc casu intervenit obligatio restitutionis. Idem dico, si pecuniæ quantitas data fuit tertio modo. Si denique data fuit ultimo modo, dico, puellam non peccasse eam accipiendo; bene vero eam donando, inscio Patre; in tali etenim casu Pater habebat dominium directum et utile ejusdem, ac proinde, eo inscio, non poterat in alios tranferri dominium ipsius. Propterea Confessarius injungere debet restitutionem iis, quibus puella donavit, et in eorum defectu puella, si hæc habeat unde Patri reficere damna.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Comici quidam præstantes a singulis, quos ad suas Comœdias admittebant, exigebant julium, nec aliter ulli permittebatur ingressus. Antonius tamem occulte, ac per fraudem, sæpius absque solutione ad talem locum sibi aperuit aditum, et fuit spectator. Qu. An deliquerit graviter contra justitiam, et teneatur ad restitutionem?

Resp. affirm. Ratio est, quia statim ac Comici a singulis adstare volentibus exigebant julium, nec aliter ulli permittebatur ingressus, eos inter ac Spectatores aderat Contractus innominatus utrinque onerosus: *Facio ac-*

tionem mihi laboriosam, et tibi jucundam, ut des julium : vel, ut alii dicunt, locationem actionis jucundæ pro pretio julii. Unde sicuti quando Artifex dixit : Volo pro opera mea tantum quotidie, qui eum conducit ad operandum, tenetur ex justitia illi dare tantum, si hoc non est excessivum, sed moderatum attento operæ artificio ; ita, stante prævio dicto Contractu, simul ac Antonius voluisset esse spectator actionis Comicæ, aderat in eo obligatio ex justitia solvendi julium qualibet vice; ac proinde, si sæpe Comœdiæ interfuit, et Comicos julio fraudavit, dicendum, quod is tandem deliquerit graviter contra justitiam, et per consequens teneatur ad restitutionem; Comici enim regulariter pauperes sunt, ac vivunt ex pretio actionum Comicarum. Tabiena V. Histrio, Bonacina de Contr. quæst. 3, punct. 3, aliique cum S. Thom. 2, 2, q. 168, art. 3, ad 2.

CAS. II. — Occisus fuit catellus Antonio, qui proinde, ad se compensandum, occisori surripuit quindecim aureos, dicens, quod tanti, et pluris æstimabat catellum suum. Qu. An talis surreptio sit contra justitiam ?

Resp. negat. Si ex una parte catellus fuit injuste occisus, ex alia, spectatis omnibus circumstantiis, judicio prudentum ac peritorum, revera tanti valebat, nec aderat alia rationabilis via recuperandi suum. Secus vero, si e contra. Ratio utriusque partis clara est, quia scilicet in primo, non in secundo casu, nulla remanet inter partes inæqualitas, ac servantur debitæ conditiones pro justa occulta compensatione. Notant tamen Lessius, Navarrus, Molina, aliique passim, quod ad juste taxandum, in casu, catelli valorem, debet etiam computari pretium affectionis, proportionatum displicentiæ, quam habuisset Antonius, si tali catello, ejusque oblectamento debuisset privari ; siquidem hujusmodi affectus, non fictus, sed verus, quando est rationabilis, est una ex causis augendi pretium rei, ut tradunt DD. prædicti, aliique apud Bonacinam de Contr. disp. 3, quæst. 1, punct. 4. Quare si etiam tali pretio computato catellus Antonio tanti, vel forte etiam pluris valebat, dicendum,

talem surreptionem non esse contra justitiam; bene vero si econtra. Lessius, lib. 2, cap. 21, dub. 5.

CAS. III. — Pœnitens quandoque exponit peccata sua absque ulla detestatione, ob quamdam incogitantiam naturalem; quandoque illa detestatur, sed absque formali proposito illa, et alia in posterum evitandi. Qu. Quale judicium de hisce Confessionibus efformandum?

Resp. Confessiones factas absque ulla detestatione, et dolore, probabilius esse invalidas, nec juvare ad effectum remissionis peccatorum; factas vero sine proposito formali, sed cum detestatione et supernaturali dolore, probabilius validas esse, ac fructuosas. Ratio pr. part. est, quia dolor peccatorum est materia proxima, et sic pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; ideoque, eo deficiente, Sacramentum ipsum deficere necesse est, et Confessiones esse invalidas, ac sine remissione peccatorum. Hinc Tridentinum sess. 14, ait: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Ratio sec. par. est, quia ad valorem ejusdem Sacramenti, et ad effectum remissionis peccatorum, non requiritur essentialiter formale propositum, sicuti formalis dolor; nam illud non est materia proxima Sacramenti, quemadmodum hic; sed sufficit propositum implicitum et virtuale, inclusum in formali dolore: qui enim ex corde detestatur peccata, et de eis dolet, implicite dicit, se nolle amplius peccare, nam non vult amplius facere, quod sibi displicet. Ergo cum in hoc casu Confessiones factæ fuerint cum vera detestatione, et dolore formali, dicendum, quod validæ sint ac fructuosæ. Viva de Pœnit. disp. 4, q. 2, art. 5, aliique.

MENSE NOVEMBRIS

CAS. I. — Sergius ex ira in Clericum, ipsum percussit, sed occulte. Qu. An majorem Excommunicationem contraxerit?

Resp. affirm. Siquidem sacri Canones animadvertentes

pœna majoris excommunicationis ipso facto in percussorem Clerici, nullam distinctionem faciunt inter percussorem publicum, et occultum quoad ejus incursionem, sed absolute, ac generaliter loquuntur. Propterea cum lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda, dicendum, quod Sergius, etsi occulte Clericum percusserit, sit majori excommunicatione irretitus. Hinc licet non excommunicati juxta Const. *Ad evitanda*, possint ante denuntiationem ipsum non vitare; ipse tamen, etsi non denuntiatus, tenetur, secluso scandalo, et infamia, vitare alios, nec potest divinis interesse; uno verbo, tenetur se gerere eodem modo, quo ante talem Constitutionem tenebantur similes excommunicati, cum per hanc nullus favor sit excommunicatis concessus, prout inter alios notat Suarez de Censur. disp. 9, sect. 2, n. 15. Dixi, *secluso scandalo*, *et infamia*, eo quia si occulte excommunicatus nequeat alia via gravem infamiam, et scandalum vitare, nisi prædicta faciendo, potest tuta conscientia ea facere, imo, præmissa contritione ac Confessione, celebrare, si sit Sacerdos, aut communicare; nam præceptum de vitando scandalo, et jus vitandi propriam infamiam, gravius urgent. Sayrus de Censur. lib. 2, cap. 3, n. 6.

CAS. II. — Ægrotavit per aliquod tempus famulus Andreæ; qui propterea illi negat salarium tempori ægritudinis correspondens, eo quia pro illo tunc alium conduxit. Qu. An Andreas quoad hoc juste se gerat?

Resp. Seclusa conventione in contrarium, Andream juste se gerere detrahendo salarium pro rata temporis, quo famulus diu fuit ægrotus. Ratio est, quia merces, seu stipendium solvendum est ob operas quotidianas, quas proinde si ille non præstitit, ipsi non debetur salarium, quamvis id eveniat ob casum fortuitum, et famulo non voluntarium, ut docent passim Auctores. Nec obstat, Canonico ægrotanti deberi distributiones quotidianas, si, cum valeret, interesse consueverat, cap. 1, de Cleric. ægrot. Disparitas enim est, quia Ecclesia sic statuit, ne sui ministri a ministerio Ecclesiastico deterrerentur; quod non statuerunt leges quoad famulos.

Item distributiones veniunt nomine alimentorum, quæ etiam famulo infirmo debentur cum expensis moderatis, nisi in conventione aliter fuerit expressum. Sylvester verb. *Familia*, q. 2, Azorius part. 2, lib. 2, cap. 39, q. 3. Dixi postea *quo famulus diu*, *etc.* quia si famulus ægrotet per unam tantum vel alteram hebdomadam, non est æquum illi detrahere de salario. Petrus Navarra lib. 2, c. 2, n. 213, et alii comm.

CAS. III. — Sacerdos ad acquirenda vasa stannea, in puteum a fure projecta, eo demisit adolescentem, func novo ac forti colligatum, eumque appensum sustentabat, donec vasa expiscaretur. Accidit autem, ut funis, qui ore putei refricabatur, disrumperetur, cum adolescens sensim extrahebatur onustus; qui proinde in aquam præceps ruit ac suffocatus est. Qu. An talis Sacerdos evaserit irregularis ?

Resp. cum dist. Vel Sacerdos plene advertit funem ore putei refricatum disrumpi; vel non. Si non; dico, ipsum irregularem non evasisse; quia hic agitur de irregularitate ex delicto; unde si non fuit in gravi culpa, neque habet incurrere gravem pœnam, cum pœna debeat esse delicto proportionata. Cap. *Felicis* de Pœnis in 6. Si plene advertit; dico, eum utique evasisse irregularem: videns enim funem disrumpi, debebat vel hunc ab ore putei statim amovere, ne refricatus disrumperetur; vel alium firmiorem funem adolescenti dimittere, ut ipsius adminiculo fortius colligatus tutus extrahi posset, vel illi dicere, quod interim relinqueret vasa stannea in puteo, ne funis, horum ac ipsius pondere nimium pressus, disrumperetur, præcepsque ipse rueret, ac aquis immersus suffocaretur, conformiter ad responsum Alexandri III, cap. *Suscepimus*, extr. de Homicid. Propterea, cum non ita se gesserit, fuit in gravi culpa, et sic est irregularis. Ita DD. comm.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Sempronius, cæteroquin juvenis, ac ro-

bustus, singulis diebus, quibus urget præceptum jejunandi, experitur stimulos carnis acerrimos cum periculo consensus, queis non subest aliis diebus. Qu. An diebus prædictis teneatur jejunare?

Resp. cum dist. Vel tale periculum removere potest aliis remediis; puta, sollicita sensuum et animi custodia, enixa oratione, et sui commendatione ad Deum, discretis corporis castigationibus, etc. Et tunc dico, ipsum prædictis diebus teneri adhuc jejunare; nam in tali casu, non a jejunio, quod potius ad reprimendam carnis concupiscentiam institutum est, atque deservit, Sempronii periculum provenit, sed aliunde; puta, quia hic occasiones non vitat, sensus ac mentem non bene custodit, etc. Vel tale periculum aliis remediis removere non potest; et tunc dico, Sempronium non teneri prædictis diebus jejunare, stante concursu altioris præcepti strictius obligantis ad præcavendum proximum periculum consensus: quemadmodum enim cessat obligatio jejunandi, quando ex eo intervenit verum periculum proximum incommodi valde gravis in corpore; ita, et quidem a fortiori, quando ex eo provenit verum periculum proximum gravis peccati in anima. Vide Basseum v. Jejunium 1, num. 6. Pasqualigum de jejun. decis. 342.

CAS. II. — Prævidet Sergius, se ob multitudinem confiteri volentium non posse tali mane confiteri; propterea, cum sit dies plenariæ Indulgentiæ concessæ *confessis, ac sacra Communione refectis*, per unum ex accedentibus interrogat Parochum, an si Communioni præmittat actum Contritionis, sit Indulgentiam lucraturus. Quid respondet Parochus?

Resp. Sergium lucraturum Indulgentiam, si habeat tantum venialia; non sic vero, si habet aliquod mortale cognitum, nec ullo modo absolutum. Ratio pr. partis est, quia licet Pontifex possit pro lucro Indulgentiæ præscribere etiam Confessionem venialium; tamen, si id clare non exprimit, intelligitur præscribere Confessionem solum, prout eam præscribunt jus divinum, et

Ecclesiasticum, quæ, ut tradit Angelicus in 4, dist. 19, quæst. 3, art. 1, quæst. 2, ad 3 et quæst. 3, ibid, præcipiunt solam Confessionem mortalium. Unde si Sempronius habeat sola venialia, Indulgentiam utique lucrabitur. Ratio 2 partis expresse colligitur ex pluribus Decretis S. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis propositæ, signanter ex illo 19 Septemb. 1729, quo declaravit etiam in casu, quo quis ob deficientiam Confessarii confiteri non potest, non sufficere contritionis actum pro lucranda Indulgentia. Decreta per extensum refert Theodorus a Spir. Sanct. de Indulg. part. 1, cap. 11, art. 5.

CAS. III. — Mulier post Confessionem rogat Confessarium suum pergentem ad celebrandum, ut ipsam communicet cum parte Hostiæ, quam ipse consecrabit in Missa. Qu. An Confessarius possit hoc licite peragere?

Resp. negat. saltem non interveniente gravi motivo id peragendi. Ratio est, quia id esset contra præsentem communem Ecclesiæ praxim, et consuetudinem, quæ est, ut Eucharistia nonnisi consuetis cum particulis, et quidem cum una tantum solitis non grandiore, cuivis fideli ministretur; ut patet ex Decreto S. Congreg. Conc. circa Commun. quotid. edito. 12. Februar. 1679, approbante Innocentio XI. Dixi *saltem, etc.* quia si in tali Ecclesia non essent particulæ consecratæ, nec commode haberi possent consecrandæ, tunc posse Confessarium, aut alium Sacerdotem, petitioni mulieris indulgere ad satisfaciendum magnæ illius devotioni, vel ob aliud rationabile motivum, ut tradit Clericatus de Euch. Decis. 33, referens Quartum, Corsettum, et alios plurimos; idemque docent Gobat Tractat. 4, n. 410. Diana op. coord. tom. 2, tr. 1, Resol. 241, ac trib. seqq. aliique. Nulla enim lex, inquiunt, nec ullus Canon id vetat; sic consulitur utilitati fidelium; et Decretum ac consuetudo præfata intelliguntur in casu, quo adsint, vel commode haberi possint particulæ, nec ullum interveniat rationabile motivum aliter communicandi; uti colligitur ex quo ipsamet Rubrica Missal. tit. de defect. in Minist. occurr. v. *Si Sacerdos*, præscribat, ut Sacerdoti, qui

post primam, vel utramque Consecrationem in syncopen incidit, ac est ita infirmus, ut communicare possit, præbeat Substitutus partem Hostiæ, si non adsit alia Hostia consecrata.

ANNO MDCCLIV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Fregit Parochus mane diei festivæ inadvertenter jejunium; et quamvis noscat, quod si id Parochianis manifestet, præcise dicent, ipsum in hoc incautum fuisse, et inconsideratum; hoc non obstante Missam celebrat, ut populus præcepto satisfaciat. Qu. An gravis culpæ ob hoc sit arguendus?

Resp. affirm. Ratio est, quia sic violat in re gravi, sine justo et rationabili motivo, ritum, ac praxim, stricte et universe ab Ecclesia præscriptam, nempe ut Sacerdos non jejunus Missam non celebret, ut patet ex Concilio Constantiensi Sess. 5, et D. Augustino Epist. 54, ad Januar. Si quod enim in casu id peragendi motivum intervenit, fortasse est ad evitandam penes Parochianos gravem infamiam, et scandalum; cum, ipso non celebrante, nequeant hi tali die Missam audire. At quis non videt, quod licet Parochiani, de eventu admoniti, dicant ipsum, frangendo inadvertenter jejunium, incautum fuisse et inconsideratum, gravem per hoc ipsi, non irrogant infamiam; ac per hoc, quod neque ibi, neque alibi possint ea die Missam audire, non peccant, ideoque insufficiens omnino esse tale motivum? Quare, sicuti gravis culpæ arguendus esset, si in tali circumstantia celebraret in fermentato, aut sine vestibus Sacerdotalibus, eo quia ad licite peragendum requiritur præceptum magis urgens, ac sit illud audiendi Sacrum; ita ob eamdem rationem gravis culpæ arguendus est in casu nostro, cum etiam hoc sit adeo stricte ab Ecclesia prohibitum, ut solus Pontifex valeat in eo dispensare, ut cum Ugolino tradit Homobonus Exam. Eccles. t. 5, tract. 15,

quæst. 28, res. 3. Gotti de Euch. quæst. 4, dub. 5, § 2, n. 17.

CAS. II. — Puella fœta, ad instantiam Confessarii, nolentis aliter ipsam absolvere, huic manifestavit complicem sui peccati. Nunc audiens a Socia, quod ob similem casum idem ipsi cum eodem contigerit, quærit a Parocho, an debeat talem Confessarium Inquisitori denuntiare?

Resp. negat. sive quatenus a Confessario ipsamet fuit adacta ad manifestandum complicem; sive quatenus audivit a Socia, huic idem cum eodem evenisse. Ratio pr. part. est, quia nemo tenetur extra Pœnitentiæ Sacramentum, aut aliud judicium legitimum, se ipsum prodere, propriam turpitudinem manifestando. Propterea Sanctiss. Dom. Nost. Papa Benedictus XIV. fel. mem. locis infra citandis expresse declaravit, se ibi non comprehendere pœnitentem in causa propria, quando hic nempe peccatum suum confitens adigitur a Confessario manifestare complicem in eodem peccato. Ratio sec. part. est, quia licet laudatus Pontifex in litteris datis in forma Brevis die 7 Julii 1745. reprobaverit et damnaverit ut scandalosam, et perniciosam, ac famæ proximorum, ipsique Sacramento injuriosam, tendentemque ad sigilli Sacramentalis violationem, alienandosque Fideles ab usu Sacramenti Pœnitentiæ: praxim Confessariorum a pœnitente inquirentium nomen ac personam complicis, eique absolutionem negantium, si illum non manifestent: imo in Constit. incip. *Apostolici Ministerii*, edita V. Idus Decembris 1749. præceperit omnibus, et singulis, qui aliquem Sacerdotem, sive sæcularem, sive regularem, cujuscumque gradus, et conditionis existat, quocumque alio modo, præterquam ex ipsa confessione a semetipsis apud eum peracta, cognoverint in administrando Pœnitentiæ Sacramento interrogasse pœnitentem de nomine complicis, eidemque indicare recusanti absolutionem denegasse; præceperit, inquam, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub eisdem pœnis, quibus ad debitas aliorum delictorum denuntiationes adstringuntur, ut intra terminum dierum pro aliis denuntiationibus a

S. Officio præfigi solitum, Tribunali SS. Inquisitionis deferant ac denuntient hujusmodi Sacerdotem, sive id eum fecisse intellexerint propter adhæsionem prædictæ reprobatæ praxi, aliave de causa erroneæ opinionis suspicionem ingerente; sive id etiam per imprudentiam egisse, et per actum præfatis destitutum circumstantiis: tamen quia neque hæc Constitutio, neque aliæ Litteræ datæ IV Nonas Junii 1746 hactenus ubique obligant, sed tantum Regna Portugalliæ, et Algarbiorum (cum solum ad horum Archiepiscopos et Episcopos, ac Tribunali Inquisitionis hujusmodi Regnorum, peculiariter directæ legantur), nec de eorum, quæ in iis præcepta sunt, ad nos extensione constat, ideo dicendum, puellam non teneri etc.

CAS. III. — Interrogat Parochum Sempronius, an quando Confessis, ac Communione refectis concessa est in Ecclesia Parochiali Plenaria Indulgentia a primis Vesperis usque ad occasum Solis, sufficiat pro lucro Indulgentiæ Confessio, et communio facta in pervigilio, aut biduo ante, vel triduo. Quid respondet Parochus?

Resp., sufficere factam in pervigilio, et probabilius etiam factam biduo ante, vel triduo. Ratio primæ partis sumitur primo ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum, cui cum propositum fuerit totum hujusce Casus quæsitum, die 14 Martii 1721 respondit quoad primum affirmative, et quoad secundum *Dilata*; prout refert Eusebius Amort. De Indulg. in supplem. pag. 432. Edit. Ven. Deinde si non sufficeret facta in pervigilio, Indulgentia nunquam obtineri posset a primis Vesperis Festi, cum ejus lucrum supponat posita omnia requisita, inter quæ in casu sunt Confessio et Communio, ut patet ex illis verbis: *Confessis, ac Sacra Communione refectis.* Sed Indulgentia obtineri potest a primis Vesperis Festi, ut exprimitur, ac supponitur in proposito Casu: ergo etc. Theodorus a Spir. Sanct. De Indulg. part. 1, art. 5, quæst. 11. et comm. Ratio sec. part. est, quia in primis, quod sit intra triduum, dicitur fieri continuo, l. ult. Cod. de Judic. et l. fin. Cod. de Error. Advocat. ut notat Viva ad 39. prop. damn. ab

Alex. VII. numero 5. Deinde Confessio ac Communio non ita alligantur tempori determinato, sicuti Ecclesiæ visitatio, ut eruitur ex ratione primæ partis. Hinc licet in rei eventus magis consultum sit se accommodare praxi fidelium, ponentium etiam hujusmodi opera in Festo, aut pervigilio; tamen si quem contingat Confessionem et Communionem posuisse biduo ante, vel triduo, probabilius censeo, quod intra tempus præscriptum visitando Ecclesiam, adhuc lucretur Indulgentiam. Portellus in Dub. Reg. V. *Indulgentia*, num. 5, Comitolus Respons. Mor. lib. 1, quæst. 39. aliique, quibus non dissentit Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 27, num. 93.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Hæres Sacerdotis est certus, quod hic accepit eleemosynam pro viginti Missis celebrandis; dubitat tamen, et quidem rationabiliter, an suscepto oneri satisfecerit. Qu. An teneatur totidem Sacrificia celebranda curare?

Resp. affirmat. Si, adhibita omni perquisitione, ac diligentia, de nullius Missæ celebratione constat. Ratio est, quia ob receptionem eleemosynarum factam a Defuncto, tale onus induit qualitatem debiti realis, quod propterea, ob aditam hæreditatem, in ipsum utpote hæredem transivit. Unde sicuti si Sacerdos esset adhuc superstes, et haberet istud rationabile dubium, teneretur totidem Sacrificia celebrare, aut celebranda curare, eo quia possessio staret pro debito certo contracto, quod non adæquatur per solutionem dubiam, et quia satisfactio, cum sit aliquid facti, in dubio non præsumitur; ita quia hujusmodi onus transivit in hæredem, tenetur hic ob eamdem rationem curare (ut malit integras eleemosynas dominis restituere) ut totidem sacrificia celebrentur, cum de hoquoque dubium sit, an fuerit celebratum. Neque dicas, debitorem, post sufficientem diligentiam, adhuc incertum, an teneatur aliquid solvere, non obligari ad solvendum, cum in tali casu melior sit conditio possidentis; sicque etiam hæredem, post suffi-

cientem diligentiam adhuc dubium etc. non teneri etc. Contra enim : aliud est loqui de eo , de quo dubium est an sit debitor, aliud de eo , qui certe est debitor , incertum vero est an solverit. Primum et ego assero cum Communi non obligari , ob rationem allatam ; nam possessor jus habet in re , et etiam plus juris habet in retinendo , quam Actor in agendo : si enim hic non probat rem ad alium pertinere , ille qui possidet , ex sola possessione probat dominium , ideoque ipsius melior est conditio , utpote possidentis. Secundum tamen dico obligari , ob rationem supra assignatam ; justitia namque commutativa exigit æqualitatem , quæ non datur inter solutionem dubiam et debitum certum , cui proinde per illam non satisfacit ; prout etiam firmavimus an. 1748. ad Cas. 3 Octobris. Hinc cum hæres Sacerdotis cum hoc secundo coincidat , dicendum, quod, si non vult eleemosynas restituere , tenetur 20 Sacrificia celebranda curare.

CAS. II. — Legavit Sergius centum libras suæ Ecclesiæ Parochiali ; et quia in una Parochia natus est , in alia Testamentum condidit , et in alia occubuit , nec Ecclesiæ legatariæ nomen expressit : Qu. Cuinam Ecclesiæ Parochiali debeatur Legatum?

Resp. Deberi Ecclesiæ Parochiali , in cujus Parochia occubuit , si Sergius non est ibi mortuus per accidens , sed ab aliquo tempore ibidem domicilium fixerat. Ita Pasqualigus de sacrif. nov. leg. tom. 2 , quæst. 2002. Moronus, et alii. Ratio est, quia ex quo Sergius pluries domicilium mutaverit , nec unquam expresserit, cuinam Ecclesiæ determinate Legatum relinqueret , inde colligitur , eum non habuisse ullam peculiarem affectionem sive ad Ecclesiam , in cujus Parochia natus erat, sive ad illam , in cujus Parochia condidit Testamentum ; sed potius eam fuisse contemplatum , a qua ultima percepisset Sacramenta , quæve tempore mortis fuisset sua Ecclesia Parochialis ; cum enim dispositio facta a Testante dicatur fieri secundum voluntatem præsentem solum in hoc sensu , quatenus exprimit voluntatem , quam Testator habiturus est tempore mortis ; et suum

habeat effectum solum post mortem Testatoris; hinc fit, quod contemplando Ecclesiam ut Parochialem, eam præsumitur contemplatus, quæ futura erat sua Parochialis tempore mortis, quo Testamentum suum postea effectum habuisset. Propterea huic debentur libræ centum, quasi relictæ pro onere administrationis Sacramentorum, et Sepulturæ. Addo, quod licet Sergius legando intendisset Parochialem, cui suberat, Legatum adhuc deberetur Parochiali, sub qua mortuus est : cum enim Legatum nuda voluntate adimatur, et voluntas magis factis, quam verbis declaretur, nil prohibet, quod ex conjecturata voluntate Testatoris existimemus, mutatione domicilii legatum, quod uni Ecclesiæ erat relictum, contemplatione alterius intelligatur ademptum, et in aliam Parochiam translatum, in qua mortuus est. Vide Pasqualigum l. c, et Amostazo de Caus. piis lib. 1. cap. 11, num. 19, solventes argumenta in contrarium.

CAS. III. — Villicus die festo pervenit ad Ecclesiam, quando Parochus jam incepit Canonem Missæ. Qu. An teneatur reliquum audire, si nec ibi, nec alibi possit alteri Missæ interesse?

Resp. affirm. Cum Suarez, Bonacina, cæterisque comm. Ratio est, quia licet Ecclesia obliget ad audiendum integram Missam, per suum præceptum tamen potissime intendit obligare fideles ad assistendum oblationi Sacrificii, eique suo modo cooperandum per assistentiam. Cum ergo Villicus hoc adhuc peragere valeat, quamvis pervenerit ad Ecclesiam, quando Parochus jam incepit Canonem Missæ, utpote quia sacrificium eo tunc nondum peractum est; ideo dicendum, quod, si nec ibi, nec alibi potest alteri Missæ interesse, teneatur reliquum audire; nam quando adest materia legis implenda, et præstari potest id, quod principaliter præcipitur a lege, adhuc locum habet præcepti obligatio.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Faber ferrarius tempore Quadragesimæ jejunare omittit, nedum iis diebus, quibus operando

laborat, verum etiam diebus festis, quibus ab operibus suæ artis vacat. Qu. An licite?

Resp. affirm. quoad dies feriales, quibus operando laborat; nam Eugenius IV declaravit, Opifices artes laboriosas exercentes, sive divites sint, sive pauperes, et quoscumque alios magno labore corpus defatigantes, a lege jejunii liberos esse. Sed Faber ferrarius, diebus ferialibus operando laborans, exercet artem laboriosam, et magno labore corpus defatigantem; ergo talibus diebus liber est a lege jejunii, adeoque licite jejunare omittit: præceptum namque jejunii non obligat abstinere ab opere servili, ut jejunetur. Ita DD. comm. An postea etiam licite omittat jejunare diebus festis, quibus ab operibus suæ artis vacat. respondeo cum distinctione: Vel hujusmodi Faber est talis complexionis, ac virium, ut hisce diebus absque gravi incommodo jejunare possit, et jejunando commode reassumere ac prosequi sequenti die laborem suum; vel non. Si non: dico, ipsum licite omittere jejunium etiam diebus festis, quibus etc. etenim præceptum jejunii est præceptum Ecclesiæ, quæ utpote Mater pia non intendit suos fideles obligare cum tanto incommodo. Hinc quia regulariter hujusmodi artifices in die festo fessi sunt ob laborem præcedentium dierum, aut jejunando redderentur inepti ad laborandum sequenti die; ideo regulariter eximuntur ab onere jejunii etiam die festo. Si postea est talis complexionis, ac virium, ut etc. dico, ipsum illicite omittere jejunium diebus festis, quibus etc. cum enim non habeat rationabilem causam, ipsum a jejunio excusantem, nulla apparet ratio, ob quam talibus diebus a jejunio eximi debeat: siquidem obligatio jejunii in Quadragesima est onus diei, fere ac illa divini Officii, ad quod obligati tenentur, quacumque die possunt absque notabili incommodo illud persolvere; prout uno ore fatentur DD. comm.

CAS. II. — Sophronius, ut se excusaret apud Andream, ipsum arguentem de quodam delicto, falso juravit per execrationem dicens: *Si tale delictum commisi, me, et filios meos perdat Deus.* Qu. An commiserit unum, vel plura peccata in specie?

Resp. cum dist. Vel Sophronius sibi, ac filiis imprecatus est tale malum ex animo; vel non. Si non; dico, ipsum commisisse unicum peccatum in specie contra Religionem, nempe perjurium, quo Deum adduxit in testem falsi; execratio enim quæ in casu materialiter tantum afficit perjurium, non inducit formalem malitiam specie diversam. Sanchez. Oper. Mor. lib. 3, cap. 1, num. 9. Si vero Sophronius sibi, ac filiis imprecatus est tale malum ex animo; tunc dico, ipsum commisisse plura peccata in specie; siquidem ultra perjurium contra virtutem Religionis, adest peccatum maledictionis contra charitatem, qua tenetur erga se, et filios; item peccatum contra pietatem, ob malum filiis imprecatum. Propterea in hoc secundo casu exprimenda erit in Confessione ejusmodi execratio, et imprecatio; non sic in primo. Quoniam vero vel nunquam, vel rarissime contingit, quod quis sibi, aut filiis imprecetur tantum malum ex animo, inquiunt Sanchez l. c. num. 7, Bonacina in Dec. disp. 4, quæst. 1, punct. 2, num. 1, aliique, quod Confessarius non tenetur de hoc interrogare pœnitentem execratorie sic pejerantem; cujus ratio esse potest, quia in Confessione quærenda sunt, quæ frequenter, non quæ rarissime accidunt, ni qualitas peccatoris hujus forte suspicionem inducat; ut in simili casu dixit idem Sanchez lib. 9, de Matr. disp. 16, num. 5, in fine.

CAS. III. — Famula Archipresbyteri, solita bis in mense confiteri Capellano, eique simul committere celebrationem Missæ cum pingui eleemosyna, redacta ad mortis periculum, eidem Capellano fatetur, omnes eleemosynas per decennium, et ultra, ipsi pro Missis ab ea tributas, fuisse ab ipsa comparatas ex rebus Archipresbyteri furtive sublatis; proindeque, cum ipsa sit impotens aliquid restituere, quod ipse consulat propriæ conscientiæ. Qu. An Capellanus teneatur restituere?

Resp. cum dist. Vel Capellanus accepit has eleemosynas mala, seu dubia fide, noscens nempe, aut suspicans, famulam esse impotentem, ut de suo ipsi tantum tribueret; et in hoc casu dico, quod si, omissa debita diligentia in dignoscenda veritate, prosecutus est su-

mere, ipse tenetur restituere, tum quia in tali casu præscribere non potuit, cum malæ fidei possessori non currat præscriptio; tum quia possessor malæ fidei tenetur restituere rem, si extat, et si non extat, restituere æquivalens; etiam cum damno proprio; ut patet in eo, qui mala fide emit equum a latrone, qui fugam arripuit cum pretio recepto; emptor enim, non obstante amissione pretii, latroni a se persoluti, tenetur restituere domino equum. Vel Capellanus accepit has eleemosynas bona fide, nihil suspicans etc. et in hoc casu dico, ipsum non teneri restituere nisi eleemosynas acceptas infra ultimum triennium, quia pecunia inter præsentes triennio præscribitur a possessore bonæ fidei; imo tenetur solum restituere acceptam infra triennium, si hæc adhuc extet, et quidem impermixte; nam si amplius non extat, aut per mixtionem fuit ab ipso moraliter consumpta, solum tenetur ad id, in quo per illam factus est ditior, ut communiter dicitur in tract. de Restitut.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Paterfamilias magno filiarum onere gravatus, minis induxit unam ex istis ad eligendum statum Monachalem: antequam tamen hæc Monasterium ingrediatur, ipse peccatum contra filiam commissum fatetur, et filia post aliquot hebdomadas invita Monasterium ingreditur. Qu. An Patris Confessio ipsum liberet ab excommunicatione lata a Trid. sess. 25, cap. 18?

Resp. negat. Si ante, vel post Confessionem Pater non retractat minas; et antequam filia Monasterium ingrediatur, non dat ei veram, plenamque libertatem quoad electionem status, ac talem ingressum. Ratio est, quia secus perseverat coactio, et coactionis influxus, ex Tridentini decreto sufficiens ad incurrendam Excommunicationem: sicuti perseverare dicitur influxus mandati in homicidium, si mandans non facit, quantum potest, ut mandatario innotescat sua retractatio. Nec valet dicere, quod quando filia ingreditur Monasterium, jam Pater est justificatus per Confessionem, sicque non in-

currit excommunicationem, ob factam a Patre retractationem, antequam sequatur filiæ ingressus. Non valet, inquam; omissa enim responsione eorum, qui dicunt contrahi in casu excommunicationem ob peccatum præcedens, nego absolute, quod eo tunc Pater sit justificatus, si ante ingressum filiæ in Monasterium non retractavit minas, nec abstulit coactionis influxum; sicuti enim licet mandantem mandati a se dati statim pœniteat, subsequens occisio Clerici adhuc dicitur ab eo volita, statim ac potens, ac debens intimare mandatario revocationem talis mandati, et sic impedire Clerici occisionem, eam noluit intimare, et hanc impedire; ita licet prædictus Pater confessus sit, adhuc ingressus filiæ in Monasterium dicitur ab eo volitus, statim ac potens, ac debens retractare minas etc. Et ratio utriusque est, quia sic censetur virtualiter perseverare ille in mandato, iste in coactione; ideoque cum ambo sint vera causa effectus subsequentis, incurrit uterque in Censuram. Vide Giribaldum de Censur. in com. cap. 1, dub. 6, num. 65.

CAS. II. — Gener Socero, volenti ipsi solvere Dotem, suadet, ut per aliquod tempus illam apud se adhuc retineat, ac ipsi interim relinquat pignus fructificans. Qu. An fructus inde a pignore susceptos debeat Gener computare in sortem?

Resp. affirm. Cum Bossio de Dote cap. 20, n. 62. Rosignolo eod. tract. tom. 2, prænot. 21, n. 56. qui testantur, hanc sententiam esse communem apud Theologos. Ratio est, quia semel ac Dos offertur Marito, prout tradi debet, et per hunc præcise stat, quod illa non recipiatur, res ita se habet quoad fructus pignoris, perinde ac si Dos fuisset effective soluta, cessat jus. cap. *Salubriter*, et subintrat illud cap. *Cum contra*. Hinc sicuti si fuisset effective soluta, non posset Gener licite percipere fructus pignoris, sed, si eos perciperet, teneretur ad restitutionem; ita in casu nostro dicendum, quod si eos percipiat, tenetur illos computare in sortem. Addo, quod, facta Socero vera dotis oblatione, si Gener cum ipso convenit, ut ille dotem penes se reti-

nere prosequatur, ac interim ipsi relinquat pignus fructificans, talis conventio (secluso omni alio contractu, ac titulo lucri cessantis etc.) est quoddam Mutuum, ratione cujus immediate Gener postea percipit fructus pignoris; siquidem ad onera Matrimonii in tali casu ipsa Dos ordinatur, non vero pignoris fructus. Sed percipere fructus pignoris immediate ratione mutui, est quid usurarium, adeoque illicitum; ergo Gener nequit in casu ita cum Socero invenire, ni fructus a pignore perceptos in sortem computet.

CAS. III. — Archiepiscopus prohibuit Clericis sub excommunicatione latæ sententiæ, ne ferant arma, et ne aleis ludant. Qu. An si aliquis Clericus deferat arma, et aleis ludat extra Diœcesim, incidat in excommunicationem?

Resp. neg. Ratio colligitur ex cap. *Ut animarum*, de Constit. in 6, ubi Pontifex decernit, furantem extra proprium territorium non ligari excommunicatione sui Episcopi lata contra fures; eo quia extra territorium jus dicenti non paretur impune. Atqui etiam Clericus, de quo casus procedit, defert arma, et aleis ludit extra proprium territorium; ergo Archiepiscopo et ipse non paret impune, hoc est, sine pœna, adeoque non incidit in excommunicationem. Et hoc valet sive hæc excommunicatio lata fuerit ab Archiepiscopo per viam statuti, sive per modum sententiæ, seu præcepti; ut enim recte disserit Giribaldus de Censur. in Comm. cap. 1, dub. 11, num. 119, non magis statutum, quam sententia, ac præceptum, a potestate jurisdictionis proficiscitur, quæ sicuti limites habet circa personas, ita etiam circa locum. Et quamvis sententia primo, ac per se, respiciat personas subjectas illam ferenti; tamen non excludit territorium, cum Episcopus jurisdictionem habeat in personas ratione territorii, extra quod propterea existens, quamvis sit subditus, ut ait Mastrius, in actu primo, et veluti habitualiter, talis tamen non est in actu secundo, uti requiritur ad contrahendam in casu excommunicationem. Quare cum Clericus supponatur deferre arma, et aleis ludere extra territorium, seu Diœcesim, dicen-

dum est, ipsum in casu non incidere in Archiepiscopi Excommunicationem.

MENSE MAII.

CAS. I. — Parochus ruralis conqueritur de duobus Sacerdotibus, quia unus in humili Ecclesia, Parochiæ vicina, Sacrum peragit ante Missam Parochialem; alter vero in alia parva Ecclesia, cæteroquin a Parochia multum dissita, sine ipsius licentia diebus festis edocet populum Doctrinam Christianam. Qu. An justæ sint Parochi querimoniæ?

Resp. Justam esse querimoniam quoad primum, qui in humili Ecclesia Parochiæ vicina Sacrum peragit ante Missam Parochialem; injustam vero quoad secundum, qui in parva Ecclesia, a Parochia multo dissita etc. Ratio utriusque partis colligitur ex Constit. 42, tom. 1, Sanctissi. D. N. Benedicti Papæ XIV, incip. *Etsi*, in qua § 14, monet Episcopos, ut *expresse caveatur quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, Sermonem habuerit, cæterasque sui partes absolverit. Quo vero ad parvas Ecclesias a Parochiali longe sepositas cum difficile admodum sit, Parochianos ob locorum distantiam longum iter, atque asperum, hyemali præsertim tempore, cum pluviæ inundant, Parochialem adire, decernat Episcopus, gravibus etiam statutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes, Christianæ Doctrinæ summam populo tradant, divinamque legem annuntient.* Quod idem jam Eminentiss. noster Archiepiscopus præscripserat Notif. 5, tom. 3, quæst. 44. Edit. Rom. Et quoad secundam partem jam servari mandaverat Clemens XII. in litteris quas ad omnes Italiæ Episcopos dedit die 1 Julii 1735.

CAS. II. — Cajus Mutinensis commodato accepit equum, et mutuatam pecuniæ summam ab amico Bononiensi. Accidit autem, quod Mutinam rediens, et pecunia, et equo privatus fuit a latronibus. Qu. An sive

pecuniæ summam, sive equi valorem restituere teneatur?

Resp. Per se, ipsum teneri restituere mutuatæ pecuniæ summam non sic vero equi valorem. Ratio est, quia per Mutuum ipsum translatum fuit pecuniæ dominium, non sic autem dominium equi per commodatum. Propterea cum res in itinere per furtum amissa absque culpa, uti supponitur, per se Domino pereat, dicendum, quod Cajus tenetur quidem restituere amico Bononiensi summam pecuniæ, non sic vero equi valorem. Dixi *per se*, quia per accidens fieri potest, quod teneatur restituere etiam equi valorem; puta, si voluntarie reditum distulisset ultra tempus concessum, ex. gratia, ad tempus nocturnum, quando redire promiserat tempore adhuc diurno. Ita DD. comm.

CAS. III. — Obtinuit Parochus Plenariam Indulgentiam ad septennium pro die Assumptionis SS. Virginis, principalis Patronæ, ac Titularis suæ Ecclesiæ; quoniam vero illa obtenta fuit an. 1747, sub dat. 1. Aug. et solum publicata, ac exposita fuit anno 1748, petit, an valeat etiam pro anno præsenti; maxime cum mediaverit annus Jubilæi. Quid respondendum?

Respondendum, non valere etiam pro anno præsenti. Ratio est, quia initium septennii non computatur a die publicationis, ac expositionis Indulgentiæ, quando ex Brevi id non eruitur, nec Pontifex id declaravit, sed a die datæ Brevis; ut die 18 Maii 1711, declaravit ipsamet S. Congregatio Indulgentiarum apud Theodorum a Spir. Sanct. de Indulgent. part. 2, cap. 1, art. 5, § 2, ubi per extensum refert Decretum ejusdem S. Congregationis, a Clemente XI. approbatum. Cum ergo a die datæ Brevis septennium computando, hoc non includat annum præsentem, dicendum, quod prædicta Indulgentia non valeat etiam pro anno præsenti. Nec refert, quod mediaverit annus Jubilæi: cum enim tali anno Indulgentia valuerit pro defunctis, hujusmodi annus quoad eamdem Indulgentiam non otioso transivit decursu, sicque est intra septennium computandus.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Dominus Villici mutuavit huic sex corbas tritici, pro eo tunc determinando pretium. Nunc vero, quia tritici pretium excrevit ad summum, prætendit Villico præsens pretium determinare. Qu. An licite ?

CAS. II. — Qu. secundo, an si post aliquot dies a mutuo facto, pretium tritici crevisset notabiliter ex improviso, saltem eo tunc licite determinaret hujusmodi pretium ?

Resp. Ad primum neg. Ratio est, quia cum corbæ tritici mutuo traditæ sint extra dominium mutuantis, nequeunt sine ullo ipsius periculo eidem fieri melioris conditionis, et plus lucrari : res enim, si in pretio crescit, aut fructificat, crescit, aut fructificat domino suo præsenti, non autem præterito. Cum ergo dominus Villici, respective ad sex corbas tritici mutuatas, sit dominus præteritus; Villicus vero dominus præsens, huic debetur pretii augmentum, qui est verus dominus rei; non autem illi, qui proinde in casu, si vult determinare pretium, potest solum illud determinare, quo triticum vendebatur tempore mutui. Excipe tamen casum, quo inter dominum et Villicum initum fuisset ab initio pactum, quod hic solvendo pretium pro tritico, deberet ei solvere tantum, quanti valiturum erat tali tempore determinato, ad quod alias dominus erat triticum servaturus; tunc enim fieri potest, quod dicta domini determinatio non sit illicita, dummodo triticum fuerit usque ad tale tempus servabile, detrahantur expensæ, quas dominus pro eo servando facere debuisset etc., ut passim monent DD. Ad secundum respondeo pariter negative ob rationem supra allatam; cum enim non sit amplius dominus tritici, non potest eo tunc licite determinare hujusmodi pretium, cujus augmentum fortunæ Villici est adscribendum, si hic apud se adhuc habet aliquam ejus corbam vendibilem.

CAS. III. — Contracto a Titio Matrimonio cum Fran-

cisca, excitatur in eo rationabile dubium, quod anno elapso compleverit copulam cum Franciscæ sorore. Propterea interrogat Confessarium, an possit licite petere, ac reddere debitum. Quid respondet Confessarius?

Respondet 1°, quod si tale Matrimonium nondum est consummatum, Titius ante adhibitam diligentiam pro notitia veritatis nequit intra primum bimestre licite petere, nec reddere debitum. Non petere, ne exponat se periculo fornicationis, ac operaretur cum conscientia practice dubia, accedendo ab hanc, quam dubitat esse suam. Nec reddere, quia ex una parte Francisca eo tunc jus non habet petendi, sicque non fit ei injustitia negando illi debitum; ex alia tenetur Titius dictum periculum præcavere, quod in casu etiam reddendo intervenit. Post adhibitam vero diligentiam, si veritas innotescere non potuit, respondet 2°, posse Titium dubium deponere, ac licite consummare sive petendo, sive reddendo. Petendo, quia tunc melior est conditio possidentis, et standum pro valore Matrimonii contracti; reddendo, quia tunc Francisca et ipse est in possessione sui juris, quo absque injustitia privari non potest; et Titius, stante diligentia adhibita absque detectione impedimenti, acquisivit jus consummandi. Si postea Matrimonium est jam consummatum, respondet 3°, ante diligentiam adhibitam posse Titium licite reddere, non tamen petere. Reddere, quia cum Uxor supponatur bona fide contraxisse, ac juxta dicta sit in legitima possessione sui juris, hoc privari non potest absque injustitia. Nequit tamen petere, ne dicto periculo se exponat etc. Denique si, sufficienti diligentia adhibita, veritas detegi non potuit, respondet 4°, Titium licite posse omne dubium deponere, reddere, ac petere, ob rationes supra assignatas; ut dicitur de possessore bonæ fidei, qui post dubium adveniens, an res esset sua, debitam adhibuit diligentiam, nec potuit se certificare; potest enim in tali casu dubium deponere, ac rem sibi licite retinere. Ita Merolla de Consc. dub. et scrup. cap. 3, n. 148, et seqq. Sanch. lib. 1, de Matr. disp. 41, numero 46, cæterique communius.

MENSE JULII.

CAS. I. — Puer aliud non didicit, quam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Symbolum Apostolorum. Qu. An Parochus id noscens, possit illi permittere, ut accedat ad Sacramentum Confirmationis?

Resp. Regulariter, et sine justa causa non posse id illi permittere; bene vero cum justa, et rationabili causa. Ratio primæ partis est, quia in nostra Synodo Diœcesana lib. 2, cap. 4, de Sacr. Confirm. expresse habetur: *Nullus sine Parochi examine ad hoc Sacramentum accedat, qui prius experimentum sumere teneatur, an Mysteria fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi præcepta, memoriæ mandaverit, iis accessum denegando, quos ea deprehenderit ignorare.* Addo, reverentiam Sacramento debitam postulare, ut qui vult ad ipsum accedere, capacitatem habens ea addiscendi, quæ spectant ad illius essentiam, ac virtutem, hæc prius addiscat, ut agnoscat, quid recipit, sciatque vim ejus, dispositionemque necessariam ad percipiendos ejusdem effectus. Quod plane innuit SS. D. N. Benedictus Papa XIV, tum Instit, 9. Edition. Roman. num. 12, cum in prælaudata Const. *Etsi*, in qua § 9, hæc habet: *Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate, sermo instituatur..... moneat Episcopus Parochos, eisque districte præcipiat, ne quis eorum schedulam, ut aiunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, et Doctrinæ capita, et Sacramenti virtutem, et vim ignorent.* Ratio secundæ partis est, quia sicuti idem Sacramentum Confirmationis, non solum valide, sed etiam licite, potest, etiam juxta præsentem disciplinam quandoque ministrari pueris ante usum rationis (iis enimconfert ad augmentum gratiæ etc.) si nempe sint in mortis periculo, aut Episcopo in posterum facilis non sit ad eos futurus accessus ob sui ingravescentem ætatem, vel propter eorum distantiam a Civitate, aut propter itineris difficultatem, ut disertissime tradit idem SS. D. N. in Opere de Synodo Diœcesana lib. 7, cap. 10, ita in eis-

dem circumstantiis potest Parochus puero permittere, ut accedat ad idem Sacramentum, licet aliud non didicerit, quam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Symbolum Apostolorum.

CAS. II.—Sejus indigens nummis, mutuo petit quindecim aureos a Francisco, offerens ei pignus in securitatem sortis, eique restitutionem promittens post certum tempus. Annuit Franciscus; subdit tamen. Volo, quod si, elapso hoc termino, statim non solvas, pignus pro vendito habeatur. Qu. An hoc sit immune ab usura?

Resp. Ordinarie, ac per se, non esse immune ab usura. Ratio est, quia sic Sejo imponitur onus considerabile ultra sortem ratione mutui immediate; cum enim pignus ordinarie plus valeat, quam pecunia mutuata, dato eventu moræ in Sejo ad solvendum tempore præfixo, Franciscus ab eo acciperet quid notabile ultra sortem ratione ipsius mutui; cum non sit ei debitum ratione lucri cessantis, vel ex alio titulo, sicuti supponitur. Sed hoc non est immune ab usura, prout communissime fatentur DD. ergo etc. Hinc tum a Jure Canonico in cap. *Significante*, de Pignoribus, cum a Jure Civili pluribus in locis hujusmodi conventio reprobatur, et quidem taliter, ut plures Theologi et Canonistæ asserant, Sejum renuntiare non posse beneficio juris, hujusmodi pactum improbantis, cum id vetitum sit ad avertendas innumeras usuras, et fraudes, quæ cum gravi detrimento boni publici secus fierent indigentibus, cum simili pacto abundanter offerre passim paratis, solum ut necessarias acquirerent pecunias, ut notat Anacletus lib. 5. Decr. tit, 21, § 2, num. 58. Per accidens tamen potest esse immune ab usura; puta, si intentio paciscentium sit, quod pignus pro vendito habeatur pretio justo, arbitrio boni, peritique viri taxando, l. *Si fundus*, ff. de Pignorib; hoc enim casu videtur quodammodo conditionalis esse venditio, et tunc quod ex justo pretio superest, restituitur debitori. Nec desunt, qui dicant, tale pactum esse adhuc licitum, si apponatur in pœnam conventionalem ob moram culpabilem non solventis tempore præfixo: cum enim mutuatarius existens in mora

culpabili peccet contra justitiam, ac fidem datam, ob hanc culpam dignus est aliqua pœna, quæ propterea ex mutuo consensu potest licite apponi, dummodo sit moderata, et culpæ morosi debitoris proportionata. Vide Giribaldum de mut. et usur. cap. 5, dub. 9.

CAS. III. — Vellet Parochus infirmo Viaticum ministrare; at quia hic deglutire nequit sacram particulam, cogitat crastina die Missam celebrare, et cum portione Sanguinis, post Sacrum, illi Viaticum ministrare sub specie Vini. Qu. An fieri id licite possit ?

Resp. negat. cum Clericato de Euchar. decis. 14. Barbosa de Offic. et Pot. Paroch. cap. 20, num. 44. Card. de Lugo Resp. Mor. lib. 1, dub. 10, num. 8. Ratio desumitur ex ritu, consuetudine, ac praxi Ecclesiæ, infirmos non communicantis nisi sub specie panis, quæ consuetudo est optima legum interpres, l. *Si de interpretatione*, ff. de leg. et pro lege habenda est, nec pro libito mutari potest, ut patet ex Tridentino sess. 22, cap. 2, dicente : *Hanc consuetudinem sub altera specie communicandi, approbavit* (subintellige, Ecclesia) *et pro lege habendam decrevit : quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Nec obstat, Communionem in mortis periculo esse de jure divino, hanc vero consuetudinem esse de jure tantum Ecclesiastico, cui illud prævalet, ideoque observandum videtur, non obstat, inquam : nam cum Eucharistiæ Sacramentum non sit simpliciter necessarium ad salutem, et hæc potestas perpetuo in Ecclesia fuerit, *ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret,* ut ibidem loquitur Tridentinum, dicendum, quod divinum præceptum desinat obligare, quando Eucharistiæ Sacramentum nequit administrari, prout Ecclesia ipsum administrandum decrevit. Propterea cum hæc statuerit, ut dictum est, quod Laicis, et Clericis non conficientibus ministretur tantum sub specie panis, sive sani sint, sive infirmi, ut ex praxi compertum est ; ideo dicendum,

quod Parochus in casu non possit licite ministrare Viaticum infirmo sub specie vini, sed tantum in aqua, vel vino, vel alio liquore sacram particulam madefacere, et sic eam in cochleari infirmo administrare.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Caja nupsit Sejo, et Seja Titio; neutrum tamen ex his Matrimoniis, vel ex incuria, vel ob aliam causam, fuit benedictum. Nunc, mortuis Sejo et Seja, nubunt simul Titius et Caja, instantque, ut tale Matrimonium solemniter benedicatur. Qu. An licite hoc fieri possit?

Resp. affirmat. cum Navarro in Sum. cap. 22, num. 83. Ugolino de Pot. Episc. c. 15, § 12, num. 5, in fine, et aliis comm. Ratio est, quia benedictio proprie non respicit Nuptias, sed personas, quæ nubunt; cum ergo Caja et Sejus non fuerint antea benedicti, possunt benedici, licet alias nupserint. Nec oppositum evincitur ex Cap. *Vir. de sec. Nupt.* ubi dicitur: *Vir autem, vel Mulier ad bigamiam transiens, non debet a Presbytero benedici*; nam textus ille procedit secundum ea, quæ regulariter eveniunt; unde cum regulariter omnes primæ nuptiæ juxta præscriptum Ecclesiæ benedicantur, supponit, quod primæ jam fuerint benedictæ; quod in casu nostro non verificatur. Et sane quod in hac suppositione talis textus procedat, colligitur ex ratione ibi adducta, *quia* inquit, *cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Quamobrem cum Sejus, aut Caja non fuerint antea benedicti, dicendum, quod eorum secundum Matrimonium licite possit benedici.

CAS. II. — Tempore ultimi Jubilæi obtinuit Titius relaxationem Voti; at quia ob paupertatem non fecit eleemosynam, sed Confessarius ipsi applicuit eam, quam aliis idem Titius facere debuisset, petit a Parocho, an talis applicatio fuerit sufficiens; et dato, quod non, an in ipso revixerit voti obligatio. Quid Parochus respondet?

Respondet in primis, talem applicationem non fuisse sufficientem. Ratio est, quia licet Confessarius dixerit Titio pauperi in Confessione, quod, stante ipsius paupertate, ipsum quodammodo eximebat ab onere faciendi eleemosynam, applicando ipsi eam eleemosynam, quam idem pauper (ut exequeretur opus eleemosynæ pro Jubilæo injunctum) alteri facere debuisset; tamen per hujusmodi applicationem nec facta fuit eleemosynæ commutatio in aliud opus, nec adfuit alicujus rei facta ab ipsomet paupere alteri elargitio in eleemosynam, prout opus erat ad Jubilæum lucrandum; siquidem ut interveniat elargitio alicujus rei vera et realis, debet ea manere privatus, qui illam dat, et in alium transferri debet dominium ejusdem, ut cum Passerino recte tradit Theodorus a Spir. Sanct. in suo Opere de jubilæo cap. 6, § 5, num. 12, in fine. Atqui de Titio in casu id affirmari non potest, ut constat ex terminis casus; ergo talis applicatio non fuit sufficiens ad hoc; ut Titius lucraretur Jubilæum. Quoad secundum postea, an nempe in Titio revixerit Voti obligatio, respondet Parochus negative, eo quia Voti commutatio fuit absoluta. Viva de Jubil. quæst. 12, art. ult. num. 1.

CAS. III. — Mulier pro executione litteræ S. Pœnitentiariæ, directæ Canonum, vel Theologiæ Doctori, recurrit ad Sergium Sac. Theologiæ laurea insignitum. Ast quia hic ab Archiepiscopo habet facultatem pro Confessionibus ad Mares tantum. Qu. An possit exequi hujusmodi litteram?

Resp. negat. Ratio est, quia facultas, gratiæ, et mandata, præsertim Apostolica, juxta intentionem concedentis sunt regulanda, et non ulterius extendenda, cap. *Mandatum de Rescriptis;* jam vero intentio Majoris Pœnitentiarii, seu Sacræ Pœnitentiariæ est, ut nulla gratia ab ipso concessa executioni mandetur, neque ejus facultate quisquam utatur, nisi in actu Sacramentalis Confessionis, ut expresse patet ex illa clausula: *Audita ipsius Sacramentali Confessione*, quæ important conditionem, sine qua non concederetur talis facultas, aut gratia, ut ex stylo continuo et nunquam interpolato

Tribunalis apparet. Sed Sergius, quantumvis laurea Sacræ Theologiæ insignitus, utpote habens facultatem pro Confessionibus ad Mares tantum, nequit Mulierem audire in actu Sacramentalis Confessionis; ergo in casu non potest exequi hujusmodi litteram: ita SS.D.N. Notif. edita 2. Octobris, 1738, num. 21.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Titius promisit Fabio sub juramento, se ad ejus favorem facturum rem quamdam; at ficte juravit, et promisit, eo quod nec habebat intentionem jurandi, nec promittendi, nec se obligandi, nec exequendi. Qu. Quonam peccato peccaverit, et an teneatur exequi quod promisit?

Resp. quoad primam partem, Titium sic ficte jurantem sine intentione jurandi, etc., peccasse peccato mortali sacrilegi mendacii, et gravis irreverentiæ Divini Nominis contra virtutem Religionis, quatenus Dei nomen in vanum assumpsit, ut colligitur ex 25. Prop. dam. 26. Innocent. XI. Ratio est, quia juravit extrinseco falsum, cum juraverit sine animo exequendi id, quod Fabio promiserat se ad illius favorem facturum; ideoque per externum actum adduxit Deum in testem falsi, quod equidem lethale est, uti est tale adolere incensum idolo, quamvis interne quis non intendat illud venerari. Quoad secundam partem postea respondeo, Titium ex vi juramenti et coram Deo non teneri ad exequendum id, quod ficte jurando promisit. Ratio est, quia obligatio ex vi juramenti oritur ex juramento vero et proprio. Atqui juramentum factum sine intentione jurandi, promittendi, etc. non est juramentum verum et proprium, sed fictum et apparens; intentio enim jurandi est quasi anima verborum, quibus juratur, cum verba ordinentur ad explicandam intentionem et animum; ergo Titius in casu ex vi juramenti, et coram Deo non tenetur ad exequendum, etc. Dixi *ex vi juramenti*, eo quia juramentum, quantumvis fictum, quandoque potest obligare tum ex charitate, ratione scandali vitandi, quod ex ejus transgressione

oriretur, cum ex justitia, ratione damni alteri subsecuti; nam in tali casu jurans ficte fuit per injuriam causa illius damni : ni forte juramentum fuisset dolose ac injuriose extortum. Dixi etiam *coram Deo*, sed in foro externo jurans obligari potest, et multoties obligatur, ad servandum juramentum, ob præsumptionem juramenti veri : forum enim externum accipit verba juxta ipsorum significationem, cap. *Ex litteris*, de Sponsalib. Vide Sanchez lib. 3, cap. 10, ac Suarez Tom. 2, de Relig. lib. 3, cap. 17.

CAS. II.—Titius putans tenere ad Baptismum filium Sempronii, tenuit filiam Caji. Qu. An cognationem contraxerit tam cum persona detenta, quam cum ejus parentibus?

Resp. cum dist. Vel Titius ita habuit animum detinendi filium Sempronii, ut hunc, et non alium, vel aliam detinere intenderit; et in hoc casu dico, ipsum non contraxisse cognationem spiritualem cum persona detenta, neque cum ejusdem parentibus. Vel non habuit animum ita restrictum, sed potius intendit detinere illam personam præsentem; et tunc dico, ipsum contraxisse spiritualem cognationem cum detenta, ac ejus parentibus. Ratio primæ partis est, quia in eo casu nullo modo intendit exercere officium Patrini quoad personam detentam, sicuti requiritur ad contrahendam cognationem spiritualem, ut patet in procuratore infantem detinente nomine alterius, qui cognationem non contrahit quantumvis teneat, eo quia intentionem non habet exercendi officium Patrini. Ratio secundæ partis est, quia tunc practice intendit exercere officium Patrini erga personam præsentem, quamvis speculative credat esse hanc, vel illam. Hinc sicuti valet Baptismus collatus a Parocho cum hoc errore speculativo, eo ipso quod practice intendit baptizare subjectum præsens, et in tali casu vere contrahit cognationem spiritualem tam cum persona præsente, quam cum illius parentibus. Homobonus Consult. Mor. vol. 2, resp. 7, cum D. Thoma in 4, dist. 30, quæst. 1, art. 1; ita, etc.

CAS. III. — Matrona ruri degens, audita Missa in proprio Oratorio, accedit ad Parochialem Ecclesiam circa horam Vesperarum : cumque sit adhuc jejuna, petit refici a Parocho Eucharistiæ Sacramento. Qu. An Parochus possit licite ei indulgere?

Resp. negat. Ratio est, quia licet tam Rubrica Missalis, quam Sanctissimus Dominus Noster in suis Notificationibus solum velent tamdiu protrahere celebrationem Missæ, quoad Communionem vero non adsit hæc expressa prohibitio; tamen quia in praxi facillimum est, quod adstantes videntes Matronam hora adeo tarda, ac plane insolita Communionem sumere, nedum admirari incipiant, verum etiam de illa obmurmurare, eo quia id praxi ac consuetudini communiter in Ecclesiis servatæ dissonum esse negari non potest; ideo ob hanc causam satius judico, practice illicitum esse Parocho in casu Matronæ indulgere, tum ne violetur praxis, cum ut periculum scandali evitetur.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Famula Parochi solita de ejus consilio recipere Eucharistiam ter in hebdomada, cum nequeat ob morbum periculosum, quo laborat, illam sumere jejuna, ab eo petit, ut ter in hebdomada ipsam communicet per modum Viatici. Qu. An Parochus licite id peragere valeat?

Resp. negat. ob legem Synodalem id vetantem in hac Diœcesi; libro enim 2 Synodi Diœcesanæ, cap. 3, de Sacr. Euchar. § *Ægrorum*, sic legitur: *Si æger in eodem vitæ discrimine diutius perseveret, aut superato per dies periculo relabatur in morbum, poterit iterum Viatico refici, nec petenti denegetur, dummodo dies saltem decem intercesserint a prima sumptione Eucharistiæ.* Cæterum ubi non habetur talis prohibitio, non adeo facile vituperandus Parochus, qui in casu nostro consimili indulgeret petenti; aliqui enim DD. cum Layman. lib. 5, sum. Tract. 4, cap. 6, n. 20, etiam in sequenti

die Viaticum repeti permittunt, si videatur instare mortis periculum, et ægrotans, qui cum sanus esset, frequenter consueverat Eucharisticum panem degustare, eo denuo nutriri, et roborari cupiat; ut tradit SS. D. N. de Synodo lib. 7, cap. 12, n. 5. Nec obstat, quod Rituale Romanum de Commun. Infirm. dicat : *Si æger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit* ; nam in primis mediant aliquot dies eo ipso, quod mediant duo, vel tres, ut ait Diana. Deinde illa Rubrica Ritualis est directiva tantum, non præceptiva, ut inter alios docet Card. Brancatius de Laur. Opusc. de Sacro Viatico, p. 138.

CAS. II. — Habuit olim Cajus cum duabus Bertæ Sororibus carnale commercium; propterea cum hic et nunc tractatum habeat ducendi Bertam, petit a Confessario, an pro Dispensatione necesse sit exprimere, quod cum Berta habeat affinitatem in primo gradu, et ex duplici capite. Quid respondet Confessarius?

Respondet, necesse esse hoc exprimere. Ratio est, quia cum duplex est affinitas cum eadem fœmina ob carnalem copulam habitam cum duabus ejusdem sororibus, non interfuit una et simplex commixtio eorumdem seminum, sed duplex, propterea fundat duplex numero impedimentum proveniens ex fonte diverso. Hinc si Cajus vult ducere Bertam, debet utique exprimere, se huic esse affinem in primo gradu ex duplici capite: non enim per dispensationem unius tollitur aliud, cum dispensationes ex genere suo sint odiosæ, ac stricte interpretandæ. Sanch. de Matrim. lib. 8, disp. 24, n. 5. Rosign. pariter de Matr. tom. 2, prænot. 25. Vide, quæ diximus 1749, ad 2 Martii.

CAS. III. — Capellanus, ob periculum instantis mortis, fecit infirmo omnes unctiones sub unica forma comprehendente omnes sensus. Qu. An si post hoc infirmus sit adhuc superstes, nec desit tempus, repeti debeant singulæ formæ, et inungi omnes partes sub suis formis particularibus?

Resp. negat. Ratio est, quia semel ac factæ sunt omnes unctiones, quantumvis sub unica forma comprehendente omnes sensus, jam peractum est quidquid essentialiter requiritur pro valore hujus Sacramenti; unde cum hoc jam infirmo fuerit valide administratum, nec potest, nec debet eo tunc iterari, quia secus denuo conficeretur Sacramentum super eumdem infirmum, invariato periculo ejusdem; quod illicitum est juxta DD. communiter.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. —Spe Matrimonii defloravit Proculus Consanguineam, quæ propterea instat, ut dispensationem obtineat, et ipsam ducat. Non renuit Proculus ipsam ducere: prætendit tamen, ut medietas expensarum pro dispensatione solvatur a Patre Puellæ. Qu. An justa sit Proculi prætensio?

Resp. cum distinct. Vel deflorata consensit in sui defloralionem; et eo tunc dico, justam esse Proculi prætensionem. Vel non consensit, sed Proculus eam defloravit invitam; et in tali casu dico, prætensionem Proculi esse injustam. Ratio primæ partis est, quia semel ac Consanguinea consensit in sui defloralionem, nulla ipsi per talem actum irrogata fuit injuria; ideoque Proculus ea tantum respectu ipsius ligatus remanet obligatione, quæ ex sola Matrimonii promissione resultat. Sed ea, quæ resultat ex tali promissione, non est de faciendis omnibus expensis pro dispensatione, sed tantum de ea ducenda: ergo ad hoc, non autem ad illud tenetur; proindeque cum dispensatio vergat in commodum utriusque, juste exigit, quod medietas expensarum solvatur a Patre Puellæ. Ratio secundæ partis est, quia in tali casu cum fecerit violentiam, adeoque injuriam Consanguineæ, ratione injuriæ illatæ, tenetur se habilem reddere ad compensandum ipsi honorem ablatum, et sic ad removenda ex se omnia impedimenta, per consequens et ad obtinendam dispensationem: quamvis enim etiam in hoc casu hæc cedat in commodum utriusque; tamen quia fœmina vim passa est cum injuria, æquum est, ut sine majori detrimento expensarum in

Consanguinea, ac ejus Patre, ipse dispensationem obtineat, solvat, eamque in uxorem ducat. Ita Rosignolus de Matr. t. 2, disp. 2, § 27, n. 4 et 5.

CAS. II. — Clericus petit a Capellano, an Sacramentum Extremæ Unctionis conferat ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis; et qui intelligatur per reliquias peccatorum, quæ dicuntur deleri per idem Sacramentum. Attenditur Capellani responsio?

Responsio Capellani quoad primam partem est, tale Sacramentum conferre ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Ratio in primis desumitur ex eo, quod iis Sacramentis, quibus in Scriptura tribuitur vis remissiva peccatorum, tribuitur etiam vis remissiva pœnæ ejusdem debitæ, ut patet in Sacramentis Baptismi, ac Pœnitentiæ. Atqui in Scriptura tribuitur vis remissiva peccatorum etiam Sacramento Extremæ Unctionis, juxta illud Jacobi: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei;* ergo, etc. Deinde idem Sacramentum vocatur a Tridentino consummativum et complementum Sacramenti Pœnitentiæ; et a D. Thoma in 4, dist. 23, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. in c. extremum remedium immediate disponens ad gloriam, et cum ea conjungens. Sed hæc non verificarentur, si istud Sacramentum non conferret ad remissionem pœnæ, etc.; de ratione namque complementi est. quod participet de efficacia illius, quod complet; nec aliquid potest cum gloria immediate conjungere, ni pœnam peccatis debitam prius remittat; ergo vere confert ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. = Responsio postea quoad secundam partem hæc est, per peccatorum reliquias, quæ, etc. intelligi 1, ipsam pœnam temporalem, 2, pravas dispositiones ad peccatum, animi torporem, debilitatem, ac ineptitudinem ex originali, vel actuali peccato provenientem, qua fit, ut homo non sit ita promptus, et ex editus ad intuenda, et meditanda cœlestia. Unde S. Augustinus lib. ult. de Trinit. cap. 27, alloquens animum suum. inquit: *Quæ causa est, cur acie fixa lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?* Vide Tournely, ac Rosignolum.

CAS. III. — Pœnitens, magno suorum peccatorum rubore suffusus, chartam ea continentem genuflexus tradidit Confessario, qui præcise eam legit, ac pœnitentem absolvit. Qu. An valida sit ista Confessio?

Resp. Probabilius videri quod non, si pœnitens distincte adhuc poterat voce peccata exponere. Ratio est, quia licet Christus Dominus in institutione hujus Sacramenti indulserit pro casibus impotentiæ loquendi, ut nutus, vel alia signa sufficiant pro Confessione peccatorum; tamen quoties pœnitens potest hæc voce exponere, præcepit, ut ea voce exponat; ut patet tum ex universali et antiquissimo confitendi more in Ecclesia servato, cum ex cap. *Quem pœnitet*, de Pœnit. *dist.* 1, ubi habetur: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nutum, nec per scriptum manifestanda, dixit enim: ora monstrate.* Hinc Florentinum pro hujus Sacramenti materia designat oris Confessionem. Nec excusat erubescentia; nam potius Christus hoc Sacramentum instituendo, eam intendit in pœnitente: *Erubescentia enim victa timore offensi, fit venia criminis*, ut legitur in d. cap. Deinde cum notum non sit, quanta illa esse debeat ad excusandum ab oris confessione, maxima fidelium copia se ab hac statim excusaret, putans se satis erubescentiæ habere; et sic post paucos annos licite induceretur mos confitendi per scriptum contra communem consuetudinem: quod non est dicendum. Addo, quod juxta S. Thomam in 4, dist. 25, quæst. 3, art. 4. quæstiunc. 3, ad 1. *Sicut in Baptismo non sufficit qualitercumque abluere, sed per elementum determinatum*, nempe aquam, sine qua non fit valide Baptismus: *Ita nec in pœnitentia sufficit qualitercumque peccata manifestare; sed oportet, quod per actum determinatum manifestentur*, id est, *per proprium verbum*, ut ait ibid. in c. nam *alii modi sunt inducti in supplementum istius*, sicut Baptismus flaminis pro illo fluminis. Quare sicut Baptismus flaminis inutilis est, quando potest quis per aquam baptizari; ita, etc. adeoque, etc.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Exponit Villicus Confessario, se Amasiam concupivisse; et interrogatus, quoties id fecerit, respondet se id nescire, et quoad hoc nunquam se fuisse ab aliis interrogatum. Qu. Quomodo Confessarius debeat se gerere cum hoc Pœnitente?

Resp. Confessarium caute debere se gerere cum Villico pœnitente, ex cujus Confessione dignoscit, pluries Amasiam ipsum concupivisse, quique interrogatus quoties in fecerit, respondet se id nescire, et quoad hoc nunquam se fuisse ab aliis interrogatum. Siquidem in primis audiens, quod etiam in aliis præteritis Confessionibus habuerit culpas consimiles, et etiam tunc numerum non expresserit, debet leniter ipsum interrogare, an sciret hæc esse mortalia; et dato quod sic, an sciret, quod ultra speciem exprimendus sit in Confessione etiam numerus horum, aliorumque mortalium; fieri enim potest, quod id ignoraverit inculpabiliter; at etiam fieri potest, quod id ignoraverit culpabiliter; imo jam ab initio sciret necessitatem hujuscemodi expressionis, sed præ rubore id exprimere neglexerit. Si respondeat semper s· id ignorasse inculpabiliter, cum ob eam rem irritæ non fuerint Confessiones, sat erit ipsum interrogare, a quanto tempore incœperit Amasiam concupiscere, et quoties circum circa intra tale tempus illam concupiscere solitus fuerit intra diem, hebdomadam, aut mensem: an per aliquod tempus intermedium eam concupiscere destiterit, ex gr. propter alterutrius absentiam: et habita responsione, grossa quantumvis computatione, si agnoscatur dispositus, erit absolvendus; secus si e contra. Si postea respondeat, se id ignorasse culpabiliter, aut id scivisse jam ab initio, sed præ rubore, vel ex alio motivo non excusante, numerum reticuisse; tunc monendus quidem de necessitate repetendi eas omnes Confessiones, ac explicandi numerum etiam Sacrilegiorum ob male factas Confessiones ac Communiones; item de non impleto quoad utrasque annuo Ecclesiæ præcepto:

tamen non erit omnino a Parocho dimittendus. imo magna cum charitate adjuvandus, ut bene confiteatur, supplendo tempore opportuno pro ipso examen; cum rudes, quantumvis per annum excutiant propriam conscientiam, difficile admodum attingant species, numerum, et circumstantias peccatorum, iisque magis prosit factum per interrogationes a prudenti Confessario examen.

CAS. II. — Sergio Antonium verberare volenti promisit Cajus corbam frumenti, si verberationem omitteret. Omisit hic; at cum frumenti corbam petit, ipsi eam negat Cajus. Qu. An illi eam tradere teneatur?

Resp. negat. Ratio est, quia ei non debetur neque ex justitia, neque ex fidelitate. Non ex justitia; cum enim nullum jus ipsi competeret Antonium verberandi, si hunc verberare omisit, id fecit, ad quod jam tenebatur, et quod ex justitia debebat Antonio. Propterea cum faciens, vel omittens aliquid, ad quod tenetur ex justitia, nihil pro eo possit prætendere, quia esset prætendere pro eo, quod non sibi, sed alteri est debitum, et quidem gratis, et quod, saltem in humano commercio, nullius est æstimabilitatis, ideo neque Cajus tenetur ex justitia illi dare corbam frumenti; secus magna aperiretur via Simoniæ et usuris. Neque ei debetur ex fidelitate; quod enim sic maleficis promittitur, non promittitur omnino libere, sed ex quadam coactione, quia nempe aliter nolunt maleficium omittere, prout alioquin tenentur; sicuti in casu consimili tradit Regius Resol. c. 4, n. 17.

CAS. III. — Sempronius paupertate pressus dormit in eodem lecto cum Cajo, cum quo sæpe habet tactus impudicos. Qu. An possit absolvi, si cum illo dormire non desinat?

Resp. negat. Supposito, quod alias ipsi assignata salutaria remedia non prosint, et consentire soleat in istos actus. Ratio est, quia in tali casu frequens relapsus cum eadem persona, et in eodem loco, satis denotat, simultaneum concubitum Sempronii cum Cajo esse respectu eorumdem occasionem inducentem ad malum. Proinde-

que cum ad hoc præcavendum agonizare teneamur pro anima nostra, dicendum, quod absolvi non possit, si cum Cajo dormire non desinat.

ANNO MDCCLV.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Agricola diebus Festis solet mane ante Sacrum, et sub vesperam colligere fructus in agro, onerare currus, aliaque servilia opera exercere absque facultate sui Parochi, a quo etiam admonitus, excusat factum dicens, se id facere ad fugiendum otium, et ut possit aliis diebus ferialibus esse expeditior ad agros colendos. Qu. An peccet mortaliter, et quænam pars temporis censeatur notabilis pro mortali violatione Festi?

Resp. in primis, Agricolam per se peccare mortaliter, et quidem singulis diebus Festis, quibus talia exercet per notabilem dici partem. Ratio est, quia cum hujusmodi opera, utpote servilia, sint die Festo prohibita, quacumque festiva die per notabilem diei partem ab Agricola exercentur, etiam interpolate, notabiliter ab eo violatur præceptum sanctificandi Festum; nam singula illa opera, intra eamdem diem ab eodem exercita, continuantur moraliter, et coalescunt in unum opus notabile: sicuti modicæ comestiones intra eamdem jejunii diem ab eodem pluries repetitæ coalescunt tandem in unam notabilem refectionem, et mortalem fractionem jejunii, ut patet ex contraria 29. Prop. damn. ab Alex. VII. Nec Agricolam excusat prætextus ab eo allatus sic fugiendi otium, ac se expeditiorem reddendi, etc, neutrum enim ipsum justificat. Non primum; quia otium vitari potest per alia media non prohibita, imo honesta, ac præsertim vacando Deo, rebusque Divinis: *Festi enim dies*, ait SS. D. N. Bened. Papa XIV, fel. mem. Tom. 1. Bullar. Const. 60, *ad id instituti sunt, ut fideles in precibus, Divinisque laudibus frequentes, et*

assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem adhibeant, seduloque se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, et ut demum Sanctos una cum Christo regnantes, tanquam Patronos, congruis officiis, et honoribus prosequantur. Non secundum, quia non licet violare Festum, ut quis præcise reddat se expeditiorem ad laborandum sequenti die feriali : alias posset Pictor in die Festo licite conterere, ac miscere colores, et alius quicumque artifex servilibus aliis operibus vacare ad eumdem finem ; quod tamen a DD. comm. reprobatur ut illicitum, ni simul interveniat vera urgens necessitas, vel alia justa causa id peragendi, et quidem recognita (si periculum non est in mora) et probata a Superiore Ecclesiastico ; ut pluries declaravit sacra Congregat. apud Monacellum Form. 1, tit. 5, form. 7, num. 7, imo requiritur, quod sit scripto probata saltem a Parocho, cum in Synodalibus Diœcesanis Constitutionibus decretum id habeatur, ac expresse præceptum in Epistola Encyclica, data 16 Martii 1837, ad universos Archipresbyteros, et Parochos hujus Diœcesis a præfato SS. D. N. tunc nostro Archiepiscopo : quam una cum omnibus, et singulis Notificationibus, ac Edictis, ad bonum Civitatis, ac Diœcesis spirituale regimen spectantibus, die 10 Julii 1755, confirmavit, et in quantum opus erat, innovavit Eminentiss. ac Reverendiss. Princeps Vincentius Cardinalis Malvetius, in præsens Archiepiscopus noster vigilantissimus. Quare cum Agricola soleat prædicta exercere absque approbatione facta saltem a Parocho, dicendum, ipsum per se peccare mortaliter, et quidem, etc. Dico *per se* ; nam si bona fide putarit fugam otii, etc. a culpa excusare, et Parochus, audita tali excusatione, nihil reposuit ; ideoque is in priori bona fide perseverans, prosequitur operari, tunc excusatur a culpa per accidens, ratione bonæ fidei. Sanchez Consil. Tom. 2, lib. 5, cap. 2, dub. 31. = Quænam pars temporis postea censeatur notabilis pro mortali violatione Festi, in jure definitum non habemus. Hinc plures DD. spatium unius horæ ; duarum circiter alii communius assignant, si non parum laboris circa opus impendatur.

CAS. II. — Qu. secundo : An, et pro quot vicibus, et ob quasnam causas possit Parochus suis subditis dare facultatem exercendi opera servilia diebus Festis ?

Resp. Posse Parochum in hac Diœcesi dare in scriptis subditis suis facultatem, ut mane, *audito Sacro*, aut post prandium, *finitis Vesperis*, exerceant diebus Festis opera ruralia, quando, et quoties *id exigit vera urgens necessitas*, *aut publica utilitas*. Ratio est, quia indefinite sic Parocho permittitur in supra citata Encyclica. Nequit tamen dare licentiam imponendi bestiis onera, ut hæc alio transferantur ; nec potestatem facere Mulionibus, ut cum jumentis, vel plaustris, quæ mercibus onusta sint, iter habeant; nec Pistrinariis quibuscumque, ut in Molendinis aliquid molant, vel ad ea quidquam vehant, sive ab eis revehant; cum in ordine ad hæc in eadem Encyclica facultas dandi licentiam reservetur Archiepiscopo, vel ejus Vicario Generali. Ubi postea per Synodales sanctiones, aut per Edicta Episcopalia nihil de hac re decretum reperitur, censeo pariter Parochos, in casu urgentis necessitatis, et absente, aut longe distante Ordinario, posse concedere suis subditis laborandi facultatem, saltem audito Sacro ; quamvis enim dare licentiam ex officio spectet ad Ordinarium, et judicium Ordinarii (si commode adiri potest) requiratur etiam in casu necessitatis, vel alterius justæ causæ, ut declaravit S. Congregatio 12 Martii 1601, apud Pascuccium Comp. Pign. v. de Fest. diebus, Mattheuccium Offic. Cur. cap. 21, num 4, et alios ; tamen cum Ordinarius commode adiri non potest, et aliunde urget justa causa laborandi, tunc rationabiliter præsumitur, eumdem Ordinarium actu ratum habere, quod Parochus examinet justitiam causæ, et, hac justa detecta, licentiam concedat ex interpretativa commissione : non enim alia ratione in hisce casibus requiritur assensus Ordinarii, quam ut ab eo dignoscatur ante permissionem laboris, an vere adsit justa causa laborandi. Cum ergo in defectu Ordinarii possit Parochus dignoscere justitiam causæ, dicendum, quod hic possit, imo in casu teneatur dare licentiam, etc. sicuti ad id teneretur Ordinarius, si rogaretur;

cum, cognita justitia causæ, Episcopus licentiam negare non possit, ut declaravit Sac. Congr. Episc. 10 Maii 1465, apud Pascuccium l. c.

CAS. III. — Novit Villicus superabundare in prædio domini sui folia mororum pro alendis bombycibus, propterea ipsum admonet, ut vel folia quarumdam arborum vendi sinat, vel majorem bombycum copiam poni permittat. Abnuit dominus, subdens, sua parum referre, quod reliquum e foliis marcescat, frustraque pereat. Villicus tamen majorem bombycum copiam ponit, sericum inde extractum vendit, pretiumque illi majori superadditæ copiæ correspondens sibi totum retinet. Qu. An licite?

Resp. negat. Est enim pretium serici, retracti ex bombycibus, quos in substantia aluit ex foliis domini, sicuti cæteros; unde sicuti de pretio retracto ex alio serico debetur pars domino; ita etiam de isto. Nec obstat, dominum dixisse sua parum referre, si reliquum e foliis marcesceret, ac frustra periret : in primis enim credibile est, dominum id non protulisse ex animo, et ea intentione, quod vere frustra periret; sed potius ob timorem, quod si folia quarumdam arborum vendi, aut majorem bombycum copiam poni permitteret, aliam postea foliorum quantitatem ipse quanti pluris emere cogeretur, ut dominis quandoque contingit in hujusmodi casibus. Deinde cum hic agatur de pretio retracto ex fructu mixto, communis est Doctorum opinio, dominum non esse eo privandum, etiamsi illud alias non fuisset percepturus, ut videre est penes Giribaldum de Rest. cap. 2, dub. 5, num. 50, et hoc maxime valet in casu; nam cum Villicus conducatur in utilitatem domini, tenetur ex officio curare pro sua peritia utilitatem ejusdem. Neque dicas, dominum huic suo juri cessisse abdicando dominium per prædicta verba, et derelicta linquendo folia, quæ supererant : non enim proprie abdicat dominium rei, nec rem derelinquit, qui etiam ex animo eam perire sinit; nam sic potius ostendit, se habere circa eam plenum dominium, et in eam plenum dominium exercet.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Petit Sempronius a Parocho, ut sibi det facultatem in certo Ecclesiæ loco faciendi sepulturam pro se, suisque domesticis tantum. Consentit Parochus; sed vult, ut sibi pro eo situ, qui valde honorabilis est, tradantur centum a Sempronio. Qu. An Parochus exigere possit ea centum absque labe Simoniæ ?

CAS. II. — Qu. secundo : Ad quem spectent illa centum ?

CAS. III. — Qu. tertio : An, habens sepulcrum proprium, possit, absque labe Simoniæ, illud alteri vendere ?

Resp. ad I. cum distinct. Vel Parochus vult, ut ea centum sibi tradantur pro situ, quatenus sacro, aut quatenus honorabili per respectum ad aliquid spirituale. Vel vult, ea centum sibi tradi pro ipso situ materiali, seu quatenus honorabili per respectum ad aliquid temporale. Si primum; clare patet, ipsum non posse ea centum exigere absque labe Simoniæ; locus enim quatenus sacer, et prout dicens respectum ad spirituale, spiritualis est, ac proinde absque Simonia nil pro eo exigi potest. Si secundum; dico, quod Parochus absque labe Simoniæ potest ea centum exigere, si hujusmodi materiale una cum illa honorabilitate tanti valet in communi hominum æstimatione. Ratio est, quia ex una parte materiale talis loci solum per accidens est conjunctum cum spirituali, nec amittit suam æstimationem ob talem conjunctionem; ex alia id, quod pro eo exigitur, ut honorabili, per respectum aliquem temporalem, exigitur pro ipso honore temporali, qui non est materia Simoniæ. Nec obstat, S. Gregorium, relatum in Canon. *Quæst.* 13, quæst. 2, reprehendisse Januarium Episcopum Caralitanum, eo quod pro sepultura cujusdam mulieris centum solidos petebat; et in cap. *Abolendæ*, de Sepult. mandari Episcopo, ut inhibeat Clericis, ne quidquam pro terra sepulchri exigere præsumant; ac utrobique

vocari pravam consuetudinem in contrarium. Non obstat, inquam; nam hi, et alii consimiles Canones loquuntur de sepultura, ac terra loci jam deputati ad communem quasi necessariam sepulturam, uti sunt Cæmeteria, ac Sepulturæ communes in Ecclesiis Parochialibus Cæmeterium non habentibus: quæ sunt loca, ut ita dicam, necessaria ad sepeliendum mortuos ritu Ecclesiastico; ac proinde etiam pro terra eorumdem nil ut pretium exigi volunt. At noster casus est valde diversus; loquimur enim de situ non deputato ad sepulturam communem, ac necessariam, et sumpto secundum suum esse materiale; quod cum sit pretio æstimabile, et non connexum essentialiter cum spirituali, hoc invendito, utique vendi potest una cum illa temporali honorabilitate, quam importat: sicuti, juxta S. Thomam in 4, dist. 25, quæst. 3, ad 1, ratione materiæ licite vendi potest alicui Ecclesiæ Calix consecratus adhuc integer; et alicui locari Cæmeterium pro fœno ex eo colligendo, quia colligere fœnum e Cæmeterio est quid mere temporale. Et hæc præcipue valent pro iis locis, in quibus saltem a decem annis, et sciente, et consentiente Episcopo, viget consuetudo aliquid exigendi; quæ juxta Riccium, Naldum, et alios jam est universalis. Moneo tamen, in hac Diœcesi Bononiensi prius consulendum esse Archiepiscopum, antequam ulli familiæ concedatur jus sepulturæ, aut novum substruatur sepulchrum; ita enim decrevit ultima Synodus Diœcesana lib. 3, cap. ult. § *Sub Altaribus*.

Resp. ad II. cum Filliuccio Tr. 45, cap. 3, quæst. 11, num. 16, spectare ad ipsam Ecclesiam. Ratio est, quia proprie hujus est situs, qui fuit concessus; et hæc ea est, quæ subest alicui alterationi, ac mutationi in suo pavimento, et fundo ob ædificationem sepulchri; nec potest deinceps extra casum necessitatis aliter disponere de tali situ, usquequo extant ex domesticis Sempronii. Unde cum ipsa subsit hujusmodi incommodis, ei debetur pretii commodum.

Resp. ad III. Qui habet sepulchrum proprium, hoc est, propriis sumptibus emptum, vel ædificatum, no-

test, interveniente consensu Parochi, vel alterius Superioris, jus habentis in tali Ecclesia, absque labe Simoniæ, ipsum alteri vendere quoad materiale, et pro quanto in eo expendit. Ita Rosignolus de Sim. prænot. 24, num. 17. Ugolinus, Layman, et alii. Ratio est, quia, ut supra diximus, materiale non desinit esse quid pretio æstimabile, ex quo per accidens sit conjunctum cum spirituali : et expensæ factæ in communi opinione suam retinent æstimabilitatem : Ergo sicuti ob hanc rationem potest, juxta dicta, vendi Ecclesiæ Calix, ac Parochus exigere ea centum pro situ materiali, honorabilitate, ac obligatione temporali aliter in posterum non disponendi de eo situ; ita, etc. Nec obstat, quod venditor in casu non habeat dominium, sed tantum usum sepulchri : quemadmodum enim quamvis Ecclesia non abdicet in primo casu dominium situs, sed emptor acquirat solum usum ejusdem, potest, hoc non obstante, Parochus illa centum exigere propter materiale, etc. ita, etc. Deinde etiam Conductor domus non habet illius dominum, sed usum; et tamen, saltem de consensu domini, potest eam alteri sublocare; ergo a pari. Requiritur tamen consensus Ecclesiæ, id est, Superioris ejusdem; cum enim, deficiente familia, vel hæredibus, Sepulchrum pertineat ad Ecclesiam, in præjudicium ejus cedere potest, quod sepulchrum vendatur alteri extraneo pro se, et successoribus ejus. Imo sepulchrum vendi non potest ab hærede, vel successore in præjudicium aliorum hæredum, aut successorum, statim ac a primo institutore pro hæredibus, aut successoribus fuit constructum. Vide Passerinum de Hom. Stat. tom. 2, quæst. 187, art. 4, num. 363, ac 393.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Cajus fœminæ gravidæ ad se adventanti terrorem joco incussit, unde secutus est abortus. Qu. An inciderit in casum reservatum homicidii, factusque sit irregularis ?

Resp. Cajum non incidisse in casum homicidii reservatum; factum tamen esse irregularem. Ratio pr. partis

est, quia homicidium reservatum in hac Diœcesi, est homicidium voluntarium, hoc est studiose, malo animo, et ex intentione occidendi commissum; vel saltem intentum in sua causa proxima, ex qua ordinarie sequitur mors. Jam vero hujusmodi non est abortus, ac mors fœtus animati, secuta in casu ex terrore per jocum a Cajo fœminæ gravidæ incusso : siquidem Cajus intendit quidem illi incutere aliqualem terrorem; at, cum id fecerit ex joco, non intendit eam adeo perterrefacere, ut ob nimium terrorem abortiret; hoc enim, uti supponitur, nullo modo prævidit, et quod secuturum esset, nec suspicionem habuit. Propterea cum dicta mors, neque in se, neque in sua causa proxima, fuerit a Cajo volita, ac intenta, dici debet, ipsum proprie non commisisse homicidium voluntarium, per consequens nec incidisse in ejus reservationem. Ratio sec. partis est, quia licet Cajus non prævideriterit illam fœminam fore adeo perterrefaciendam, et cum abortu mortem fœtus : tamen advertere facile poterat, ac debebat, inopinatum terrorem fœminæ gravidæ incussum posse etiam in fœtu causare alterationem periculosam, et quandoque etiam mortem; ac proinde abstinere debebat ab illo joco, et terrore periculoso, maxime attenta fœminarum natura, quæ admodum timida esse solet. Propterea cum ab hoc minime abstinuerit, censetur voluntarie dedisse causam abortui, ac morti fœtus animati; ideoque est irregularis, ut cum communi docent Sayrus de Censur. lib. 7, cap. 6, num. 31, et Joan. Bapt. Corradus Respons. part. 1, quæst. 344, in addit.

CAS. II. — Seja uxor Caji adulterabatur cum Titio; qui monitus, mortem a Cajo parari sibi, ac prædictæ Uxori, interficit eumdem Cajum. Qu. An dicta Seja possit nubere Titio?

Resp. cum distinct. Vel Titius interfecit Cajum de consensu et consilio Sejæ, aut ad finem ducendi Sejam : Vel in id Seja nullo modo consentiente, et ad puram sui, ac Sejæ cautelam, ac defensionem. Si primum; dico, Sejam non posse Titio nubere, quia in utroque illo casu inter Sejam, et Titium datur impedimentum criminis : si enim interfecerit Cajum de consensu, et consilio Sejæ,

mors Caji secuta est ex machinatione utriusque; nam Titius eam intulit physice per occisionem, et Seja moraliter per consilium, quod sufficit ad contrahendum impedimentum, cum hic attendatur machinatio, qualiscumque illa sit, ideoque etiam moralis, ut cum Pyrrho, Corrado, et Sanchez notat P. Syrus Placentinus Dilucid. part. 2, c. 2, form. 8, in fine. Si postea Titius interfecit Cajum ad finem ducendi Sejam, etiam in tali casu adest prædictum impedimentum ob præcedens adulterium, et machinationem unius, cum effectu, ad talem finem. Si secundum; dico Sejam posse Titio nubere, quia in tali casu ex adulterio, et machinatione unius, facta, non ad finem ducendi, sed ad sui, ac Sejæ cautelam, et defensionem, etiam, occisione secuta, non oritur criminis, aut aliud impedimentum dirimens; et per consequens Seja, quantum ex hoc est, potest utique Titio nubere; ut tradunt Doctores communiter.

CAS. III. — Concessit Uxor Marito, ut votum Castitatis emitteret; eo tamen emisso, pluries illi petenti debitum reddidit. Nunc acta scrupulo, an eidem licite indulgeat, petit a Confessario, an possit illi debitum reddere, et etiam petere?

Resp. Ipsam non posse reddere, nec petere, si, quando id Marito concessit, ipsa renuntiavit juri suo, et Maritus expresse ei remisit obligationem reddendi; nam in tali casu tam reddere, quam petere, esset cooperari fractioni voti, facti a Marito, et per consequens peccatum grave, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si vero eo tunc nec ipsa renuntiavit juri suo, nec Maritus expresse ei remisit etc. dico in tali casu, ipsam posse absolute petere; reddere vero, si Maritus, ab ea monitus ut abstineat, nolit abstinere. Ratio primi est, quia, si non cessit juri suo, etiams Marito indulserit ut voveret, illud adhuc retinet; cum sint duo diversa, consentire Marito ut castitatem voveat, et se privare jure petendi; ac proinde in tali casu libere potest debitum petere, sicuti antea. Ratio secundi est quia licet eo tunc peccet Maritus illi se uniendo per de

biti exactionem, ipsa tamen Uxor non peccat nolenti abstinere debitum reddendo; nam ex una parte dat operam rei sibi licitæ, maxime si id faciat ad servandam fidem datam in matrimonio, ac satisfaciendum juri, quod ille adhuc habet in ejus corpus; aut ne illum ad iram, et odium erga se provocet, neve is contra naturam, aut cum aliis peccet. Ex alia proprie dici non potest cooperari formali peccato Mariti, a quo potius per monitionem conata est ipsum retrahere; sed in casu dicitur mere illud permittere, cum non sit causa, quod Vir debitum exigat, ac peccet. Hinc sicuti habens necessitatem mutui, si hoc non inveniat nisi penes eum, qui mutuare non vult absque usura, proprie non dicitur cooperari formali peccato ejusdem, si ab hoc ipsum accipiat; ut cum communi tradit Giribaldus de Mut. et Usur. cap. 3, dub. 12, ita etc. Dominicus Soto in 4, dist. 31, quæst. 2, art. 3. Perez de Matr. dist. 50, sect. 5. Sanchez cord. tr. lib. 9, disp. 6, num. 7, et disp. 36, n. 10. Bonacina, et alii.

MENSE APRILIS.

CAS. I.— Inierat Petronius cum Geminiana Mutinensi Sponsalia de futuro, cum Paulus, amicus Sponsi, hunc per viam inveniens, eidem jocose ait: Quando contrahis matrimonium tuum? Cui ille: Quando vis tu; volo enim, ut ipsum meo nomine contrahas. Agedum, subjunxit Paulus, trade mihi mandatum, et illico, ad ipsum ineundum proficiscar. Scribere fecit Petronius, Pauloque tradidit speciale mandatum, ficto quidem, ac jocoso animo factum; sed immediate, post Pauli discessum, vero, stabilique consensu ab ipsomet Sponso interne ratificatum. Qu. An Matrimonium per Paulum inde contractum, sit validum?

Resp. negative cum Coninck tom. 2, disp. 24, dub. 9, num. 72, si mandatum, ante Matrimonium, aliquo modo non fuit Paulo serio renovatum. Ratio est, quia semel, ac jocose, et animo ficto Paulo datum fuerat speciale mandatum, proprie hic non erat verus Sponsi procura-

tor, sed fictus; nec habebat verum mandatum, sed fictum, et ex mera falsa suppositione : per consequens neque poterat Sponsi nomine valide operari, et vigore voluntatis ejusdem verum inire Matrimonium. Nec obstat, Petronium vero interiori consensu postea ratificasse mandatum; cum enim iste verus consensus non fuerit Paulo manifestatus, non potuit hic vigore ejusdem facere nomine Sponsi externam illam traditionem, et acceptationem, quæ in actu celebrationis Matrimonii vicissim fit a contrahentibus. Hinc sicuti si Sponsus in actu contractus dicat Sponsæ animo ficto : *Duco te in uxorem*, contractus in foro conscientiæ est nullus, quamvis postea interne in eam consentiat, dum ipsa exprimit suum consensum, eo quia mutua externa traditio, essentialiter requisita ad Matrimonii contractum, ex parte Sponsi in casu non processisset ex vera voluntate ejusdem, et consensus posterior nullo fuisset exteriori signo manifestatus; ita etc. Actus enim externi non sunt in hisce casibus vera signa externæ voluntatis, nisi ab ea proveniant.

CAS. II. — Titius, Sempronius, et Cajus, fratres, omnes uxorati, vivunt simul in communione bonorum. Titius tamen habuit a sua uxore dotem longe ampliorem aliis fratribus, qui sunt etiam onusti filiis, quorum plerique sunt ad laborandum inutiles; cum Titius econtra unum solum filium habeat, pro quo ejus Mater, quæ domum regit, multa sæpe clam reponit, non deducenda in partitionem cum aliis. Qu. An id tuta conscientia facere possit?

CAS. III. — Secundo, quid faciendum, si fratres deveniant ad partitionem bonorum?

Resp. ad I. non posse dictam Matrem id facere tuta conscientia, si ejusdem Maritus vivit cum duobus aliis fratribus in communione bonorum omnium in universum; posse tamen de consensu Mariti quandoque reponere aliquid discretum judicio viri prudentis, si præcise habeant indivisum patrimonium, simulque habitent utentes eadem mensa, cibo, et potu, simulque labo-

rantes. Ratio primæ part. est, quia, inita inter fratres societate communionis bonorum in universum, omnes proventus, et expensæ, omnia lucra, damna, et debita, undecumque advenientia, fiunt communia, dummodo non adveniant ex delicto, aut culpa alicujus ex Sociis. Et si unus ex iis plus aliis expendit, dummodo id faciat ex rationabili motivo, puta, pro alenda prole numerosiore, non possunt illud alii Socii repetere, quia istæ majores expensæ eo tunc non sunt in consideratione, l. *Si Socius pro filia* ff. *pro Socio*, Molina tom. 2, de Just. disp. 421. Propterea cum in isto casu non habeat dicta Mater ullum justum titulum clam aliquid reponendi, id facere non potest tuta conscientia. Ratio sec. partis est, quia tunc inter fratres ad summum censetur tacite inita societas bonorum patrimonialium : propterea cum non veniant in communionem fructus suæ dotis longe amplioris, potest de consensu Mariti, ad quem spectat ejusdem dominium utile, clam reponere excessum fructuum, non quidem libratum judicio suo, sed judicio æqui bonique viri, si aliter conventum non fuerit inter partes, aut diversa non sit consuetudo, quibus indubie standum est. Hinc inferes, quod si fratres deveniant ad partitionem bonorum, in primo casu prius detrahuntur dotes, dein cætera æqualiter dividuntur, si ab initio aliter pactum non fuerit. In secundo ulterius detrahendus excessus fructuum præfatæ dotis, si jam non fuit a Titii uxore surreptus ; quin imo juxta DD. sunt etiam Titio compensandæ illæ majores expensæ ; factæ pro majori numero, ac inutilitate filiorum Semproni, et Caji : dein cætera æqualiter dividenda. Ex quo habes responsum ad alium casum.

MENSE MAII.

CAS. I. — Sergius importunis precibus, et cum promissione Matrimonii, extorsit copulam a Virgine, quæ postea recusata a stupratore, nupsit alteri æque digno, cui ipsa se virginem ita bene simulavit, ut nullam Maritus de ejus violata pudicitia suspicionem habuerit. Qu.

An Sergius teneatur ad ullam restitutionem pro violatione virginis a se facta?

CAS. II. — Qu. secundo, an peccaverit talis fœmina simulando se virginem esse, cum talis non esset?

Resp. ad pr. per se loquendo non teneri Sergium in casu ad ullam restitutionem; non enim tenetur vi legis, quia dispositio cap. 1, de Adult. et Stup. utpote facta in odium seductionis, est pœnalis, ideoque non obligat ante sententiam Judicis. Anacletus in 4. Decr. tit. 1, § 4, num. 76. Neque tenetur ratione ejusdem violationis; nam cum virginitas amissa in se sit irrecuperabilis, restitui non potest; et cum non habeat pretium, pretii solutione non compensatur. Lessius de Just. et Jur. lib. 2, cap. 50, num. 15. Dixi nihilominus *per se loquendo*, eo quia si Maritus successu temporis acquireret notitiam præfatæ violationis, ac ob id uxorem desereret, aut male tractaret, tunc juxta Vasquez opusc. de Resp. cap. 3, § 2, dist. 3, num. 8, et alios, teneretur stuprator aliquid tribuere arbitrio viri prudentis, ad reficiendum tale damnum subsecutum; sicuti tenetur, quando stuprata contra ipsum egit penes Judicem, et hic ad aliquid tribuendum ipsum damnavit.

Resp. ad sec. neg. cum Bonacina circa 8. Decal. præc. disp. 10. quæst. 1, punct. 2, num. 8, dummodo id fecerit mediis licitis, ac positive tendentibus non ad decipiendum, sed ad occultandum proprium defectum. Ratio est, quia cum hic sit ex iis defectibus, qui a contrahentibus non solent manifestari, et si manifestetur, ordinarie constituat personam in eo statu, ut vel nulli, vel non nisi personæ ignobilioris notæ nubere possit, usa est puella jure suo, ita bene tegendo vitium amissæ virginitatis, ut maritus de violata ejusdem pudicitia nec suspicionem habuerit; siquidem nemo tenetur prodere se ipsum, et quisque potest tantum sibi consulere, quantum licite fieri potest. Monet tamen, et quidem recte, idem Author, quod ut puella sic deflorata licite nubat, requiritur, quod vel ita tegat defectum suum mediis licitis, ut verosimile non sit, quod ejus vir unquam sit illum percepturus; vel quod cognoscat,

quod, eo etiam detecto, ob ipsum non concipiet gravem mœrorem, nec ipsam valde male tractabit; nam secus, inquit, ipsa mortaliter peccat ita nubendo, cum det occasionem gravibus inconvenientiis subsequentibus, vel saltem eorumdem grave periculum adstruat, ac exinde facile oriri possit grave damnum.

CAS. III. — Berta effecta gravida a Sacerdote, huic dicit, se velle pharmacum sumere ad abortiendum, ne facinus ad suorum parentum notitiam deveniat. Sacerdos, hoc audito, tacet: ac interim illa pharmacum sumit, et sequitur abortus. Qu. An uterque incidat in casum reservatum, et Sacerdos sit irregularis?

Resp. Si Sacerdos præcise tacet, in casum reservatum incidit quidem Berta, si fœtus erat animatus; non tamen Sacerdos, qui probabilius neque est irregularis. Ita P. Jo. Dominicus Mansi de Cas. reserv. part. 1, quæst. 2, cas. 5, § 2, num. 41. Ratio primi est, quia Berta sic causando abortum fœtus animati, vere commisit homicidium voluntarium, in cujus reservatione cum comprehendantur etiam fœminæ, ideo etc. Ratio secundi est, quia Sacerdos non consuluit procurationem abortus, nec Bertæ resolutionem ullo modo approbavit, sed tantum tacuit, et sic abortum permisit; ideoque cum in casus reservatione ne verbum quidem fiat de mere permittentibus, dicendum, quod ille non inciderit in casum reservatum. Nec obstat, quod teneretur impedire abortum (ut aiunt plures) etiam ex justitia; id enim probat quidem, quod Sacerdos gravissime peccaverit, illum non impediendo (in quo sensu etiam intelliguntur Canones, qui opponi solent); attamen non probat, quod inciderit in reservationem casus, cum hæc, utpote odiosa, extendi non debeat ultra terminorum expressionem. Ratio tertii est, quia irregularitas adstrui non debet, ubi a jure statuta non reperitur. Porro nullus Canon afferri potest, in quo dicatur, eum esse, aut fieri irregularem, qui præcise non impedit homicidium; ut notat Card. de Lugo de Just. et Jur. disp. 10, sect. 11, n. 219 et 222, ubi refert. Dianam, et alios; ideo etc.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Cajus Paterfamilias meretricem domi alit, ideoque sæpe admonitus fuit a filia, ut pellicem domo expellat, alioquin ipsa fugiet. Et de facto, cum Pater non resipisceret, fugit filia e domo Patris, seque ad honestam familiam in alia Parochia existentem recipit, ubi benigne excepta, ac per tres menses commorata, ibi tradita est in matrimonium cuidam adolescenti, commoranti in Parochia diversa, cui Matrimonio adstitit Parochus, non sponsi, nec Patris filiæ, sed illius familiæ, in qua per istos tres menses filia commorata est. Qu. An filia peccaverit nubendo, non præmonito suo Patre?

CAS. II. — Qu. secundo, an istud Matrimonium celebratum ab hoc Parocho sit validum?

CAS. III. — Qu. tertio, an Pater teneatur illi dare dotem suo statui convenientem?

Resp. ad I. Filiam prædicto modo nubere attentatam, non præmonito Patre, utique peccasse, si ultra expositum in casu, ipsi non inerat aliud grave motivum Patrem non præmonendi. Ratio est, quia sic defecit in subjectione, quam habet, ac habere debet maxime filia ad patrem; nec non in veneratione, et honore a filiis debito parentibus; ut inter alios docet D. Ambrosius epist. 64, ad Sisinium lib. 6, ubi loquens de filio, qui uxorem acceperat, inconsulto patre, ait: *Malo culpam fateri: ipsa paterna offensio fuit.* Nec obstat, quod Pater sit improbus: sicuti enim servi tenentur ad amorem, reverentiam, et obedientiam dominis suis, quantumvis improbis, juxta illud I. Petri 2, *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis;* proindeque peccant contra quartum Decalogi præceptum, si in iis deficiant, ut de communi testatur Giribaldus in 4. præc. Dec. cap. 2, dub. 4, ita a fortiori idem dicendum in casu de filia, quæ, non præmonito Patre, nubere tenta-

vit; cum ipsamet ratio naturalis suadeat, quod constituta sub potestate Patris, hunc saltem monere debet, priusquam alteri se obliget. Neque dicas, filios paternæ obedientiæ non subjici in iis, quæ ad status electionem pertinent; nam id quidem verum est in hoc sensu, quod ipsi possunt eligere statum, ad quem se vocatos noverint, et etiam valide nubere cui volunt. At falsum est in hoc alio sensu, quod semper id facere possint etiam licite; si enim nubant personæ infami, cum magno dedecore familiæ, vel alteri, cum prævisione gravium dissensionum etc. tunc peccant ita nubendo. Idem ergo dici potest in casu de filia absque læsione libertatis : libertas namque ipsi inerat conformiter ad bonos mores, ac jus naturale, et divinum; non autem econtra; nam sic non est libertatis usus, sed abusus, uti monuimus anno 1748, ad Cas. I. Aprilis.

Ad II. patet responsio negativa ex Institutione 53. SS. Domini Nostri Benedicti Papæ XIV, nec non ex usu, et praxi continua hujusce Civitatis, ac Diœcesis. Siquidem ut Matrimonium sit validum, debet esse celebratum a proprio Parocho, qualis est Parochus Sponsi, quando contrahitur in Parochia Sponsi; ille vero Sponsæ, cum in Parochia Sponsæ celebratur, vel saltem debet esse celebratum ab alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia. Jam vero Parochus, de quo est sermo, non erat Parochus Sponsi, prout exprimitur in casu, neque Sponsæ; cum enim hæc esset filia sub Patris potestate adhuc constituta, nec unquam cogitasset ibi figere domicilium, ejusdem Parochus proprius erat ille, in cujus Parœcia situm erat domicilium paternum, ut patet ex illis verbis, quæ leguntur num. 16, præfatæ Institutionis : *Sin autem* (loquitur de puellis) *paternum, maternum, vel fraternum domicilium habebit, tunc Parochus, cui domicilium idem subjicitur, pro conficiendo Matrimonio præsens assistet.* Denique deputatus non fuerat, uti supponitur, neque a proprio Parocho, neque ab Ordinario ad tale Matrimonium celebrandum; ergo istud ab hoc Parocho celebratum non est validum. Neque dicas, quod puella reliquerat domicilium Patris novumque ibi acquisiverat; cum enim de

hoc neque cogitasset, Patris domicilium servabat, et in ea domo morabatur per modum depositi, ut dici solet de puellis educationis causa degentibus in Monialium Monasteriis, quarum Parochus proprius pariter ille est domicilii paterni, si hoc habent, vel materni, seu fraterni, ut docet quotidiana praxis.

Ad III. resp. affirm. si tale Matrimonium revalidetur, ac sit cum persona digna. Ratio est, quia, attenta dignitate Sponsi, Pater non potest esse graviter rationabiliter invitus, quod filia sibi eum elegerit pro suis nuptiis, cum nullum dedecus inde Patri, ac familiæ obveniat. Et quamvis juxta dicta ipsa deliquerit huic se spondendo, et cum ipso nuptias attentando, non præmonito Patre; tamen istud crimen non est tale, ac tantum, ut ob hoc filia jure possit a Patre exhæredari, ac dote privari; cum ad summum id jura permittant, quando nuptiæ contractæ vergunt in Patris, ac familiæ dedecus, et infamiam, ut colligitur ex Authen. *Ut cum*, de Appel. cogn. § *Causas*. Bossius de Dote cap. 4. Rosignolus eod. tr. præn. 29. Imo si filia nupsit personæ vili, et indignæ, excedens annum 25 ætatis, adhuc tenetur Pater illi dare dotem, saltem juxta qualitatem viri, cui nupsit, ut ex Auth. *Si post*, C. de inoffic. test. tradunt DD. comm.

MENSE JULII.

CAS. I. — Titius est vere creditor cujusdam Hebræi centum aureorum. At Hebræus id negat, nec potest Titius probare in judicio suum creditum per scripturam, aut testes; instat nihilominus apud Judicem, ut deferatur Hebræo juramentum. Qu. An possit Hebræus cogi ad jurandum juxta suum ritum?

CAS. II. — Qu. secundo, an possit tuta conscientia exigi juridicum juramentum ab eo, qui certo scitur esse pejeraturus?

Resp. ad primum, non posse Hebræum cogi ad jurandum juxta suum ritum. Ratio est, quia cum ritus Hebræorum sit superstitiosus, impius, et falsæ religio-

nis protestativus, si cogeretur Hebræus ad jurandum juxta talem ritum, directe adigeretur ad actum superstitiosum, impium, et falsæ religionis protestativum ; quod certe fieri non potest, cum sit per se, et ab intrinseco malum, ideoque in quocumque casu illicitum. Monent tamen Doctores, posse in casu exigi ab Hebræo juramentum absolute, hoc est, quod simpliciter juret, an sit debitor Titio centum aureorum, nec ne ; si enim id ab eo exigatur, exigitur ob grave motivum, et exigitur aliquid, quod Hebræus, si vult, potest recte præstare jurando verum sine superstitione, et sic vocando verum Deum in testem veritatis ; propterea ab ipso exigens juramentum tali modo, utitur jure suo. S. Thom. 2, 2. quæst. 98, art. 4 Suarez tom. 2, de Relig. l. 3, cap. 13, Filliuccius, et alii communiter.

Resp. Ad secundum. Cum Angelico Præceptore loc. mox cit. personam publicam, sicuti est Judex, utique posse ad instantiam partis illud exigere tuta conscientia; non sic vero personam privatam. Ratio primi est, quia Judex exigens juramentum ad instantiam partis, illud non exigit propria sponte, sed ex necessitate servandi ordinem juris, ac implendi officium sibi commissum ; unde in tali casu non videtur ipse exigere, sed ille, ad cujus instantiam exigit. Ratio secundi est, quia tunc persona privata ipsa est, quæ exigit, ideoque spiritualis homicida est ; licet enim pejerans, ipse suo perjurio se interimat, tamen qui instilit eum jurare, manum interficientis impressit ut loquitur S. Thomas. Quod hisce verbis confirmat S. Augustinus serm. 2, de Decollat. S. Joan. Bapt. *Ille, qui hominem provocat ad jurationem, et scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam ; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas ; et ejus, quem jurare provocavit, et suam.* Docet tamen D. Thomas ibid. non esse peccatum exigere juramentum ab eo, quem nescis juraturum esse falsum. Et in cap. *Ex litteris*, de Jurejur. jussit Honorius Papa exigi juramentum in causa usurarum ad eruendam veritatem. Ex quo DD. inferunt, licere Judici ad instantiam partis exigere a reo juramentum de dicenda veritate, licet criminosi ut plurimum veritatem

non fateantur. Si enim ad præcavendum reorum perjurium non posset ab ipsis exigi juramentum, etiam ad evitandum reorum mendacium, istis fieri non posset ulla interrogatio. Ursaya Instit. Crimin. lib. 3, tit. 2, num. 27.

CAS. III. — Puer moribundus Viaticum petit; quoniam vero rationabiliter dubitatur de sufficienti ejusdem capacitate. Qu. An debeat illi denegari?

Resp. negat. cum Bossio Var. Mor. tit. 2, § 22, n. 6. Lugo de Euchar. disp. 13. sect. 4, et aliis pluribus, dicentibus in tali casu posse illi ministrari, eo quia in dubio favendum est animæ, ac utilitati petentis: et si aliunde puer est capax gratiæ, ac fructus Eucharistiæ cum nullo usu rationis, a fortiori est capax ejusdem cum dubio. Cacheranus eod. tr. cap. 3, § 5, num. 91. Addo, ipsam petitionem Viatici factam a puero, subministrare conjecturam non levem, quod ipse probe discernat hunc cibum cœlestem ac divinum a pane communi; item quod habeat aliquam devotionem, et pro modulo suo firmam fidem, et reverentiam erga hoc Sacramentum. Ergo potius non debet ipsi petenti denegari in periculo mortis; ait enim Angelicus quæst. 80. art. 9, in C. *Aliqui dicuntur non habere usum rationis, quia habent debilem: sicut dicitur non videns, qui male videt. Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum.* Hinc Sanctissimus D. N. Benedictus Papa XIV. de Synodo lib. 7, cap. 12, nov. Edit. inquit: *Recte tamen, et sine reprehensione poterit Episcopus Synodali Constitutione Parochos compellere ad administrandum Sanctissimum Viaticum pueris mox decessuris, si eos compererit tantam assecutos judicii maturitatem, ut cibum istum cœlestem et supernum a communi et materiali discernant.* Et num. 3 ibid. *Iis præbendum præcipiat Episcopus, quos Parochus, diligenti præmisso examine, tanto compererit pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reverenter adorent.* Circa quod in dubio potest etiam Parochus eos breviter instruere semel ac Viaticum petierunt.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Amaryllis capta impuro amore Mirtilli, cum hoc frequenter habuit tactus impudicos. Deinde tamen facti pertæsa, confessa est, et ad confirmandam contra peccatum voluntatem, votum non nubendi, ac perpetuæ castitatis emisit. At paulo post in idem peccatum relapsa, de nuptiis cum Mirtillo tractavit, easque complevit. Qu. primo, an quando facti pertæsa confessa fuit, rite impensa ei fuerit absolutio ?

CAS. II. — Qu. secundo, an validum sit Matrimonium postea ab ea contractum ?

CAS. III.— Qu. tertio, quomodo se gerere debeat circa petitionem ac redditionem debiti, antequam obtinuerit dispensationem ?

Resp. ad primum cum dist. Vel Amaryllis jamdiu solita erat cum Mirtillo frequenter delinquere; vel non. Si non; dico, rite illi impensam fuisse absolutionem, si paratam se ostendit ad removendam occasionem, per recessum alterutrius e domo, si ambo cohabitabant, et occasio erat voluntaria; vel per non coexistentiam solius cum solo, vitationem familiarium colloquiorum cum ipso etc. si erat involuntaria. Ratio est, quia tunc poterat Confessarius prudenter judicare, quod illa haberet verum animum deliberatum ac firmum, adjuvante Deo, amplius non relabendi. Et parum refert, quod non dimiserit occasionem antea; id enim probat, quod non habuerit propositum efficax prius, at non evincit inefficaciam propositi præsentis. Renzius tr. 5, sect. 1, quæst. 15, Viva in 61. Prop. damn. ab Innoc. XI, num. 17. et alii quamplures. Si postea Amaryllis jamdiu solita erat cum Mirtillo frequenter delinquere; tunc dico, absolutionem non fuisse ei rite impensam : ille enim frequens tam diuturnus relapsus cautiorem debebat reddere Confessarium in ea absolvenda; præbebat enim justum ac rationabile motivum eidem absolutionem negandi, ni prius occasionem dimitteret, si hæc erat voluntaria; vel

ei absolutionem suspendendi, usquequo daret signa emendationis, si occasio erat necessaria; ut constat ex damnatione prædictæ Propositionis 61, et communi DD. sententia

Ad secundum resp. Matrimonium postea ab eacontractum esse validum, sed illicitum. Ratio est, quia votum non nubendi, et castitatis perpetuæ ab Amaryllide emissum, erat quidem impedimentum impediens, non tamen dirimens; unde quia hujusmodi Matrimonium fuit initum cum impedimento impediente, illicite ac peccaminose contractum est; quoniam vero non aderat impedimentum dirimens, validum est.

Ad tertium resp. quod si dispensationem non obtinet intra primum bimestre, tenetur tali tempore abstinere tum a petitione, cum a redditione debiti: si vero dispensatio, aut illius executio differtur etiam post tale bimestre, tunc eo elapso (si non deliberavit de statu religioso amplectendo) tenetur sponso petenti debitum reddere; sed ipsa illud petere non potest. Ratio pr. part. est, quia intra prædictum bimestre jus habent Conjuges non reddendi debitum, etiam præciso voto. Hinc cum votum ab Amaryllidi emissum debeat impleri eo tempore, et modo, quo impleri potest, dicendum, quod pro eo tunc ipsa debeat illud implere abstinendo tum a petitione, cum a redditione. Neque dicas, bimestre esse concessum pro deliberatione ingressus in Religionem; unde cum Amaryllis non habeat hanc vocationem, ipsam teneri reddere sponso petenti etiam intra bimestre. Contra enim, si talem vocationem actu non habet, potest aliqua die bimestris hæc ei evenire, adeoque jus habet non reddendi per totum bimestre, prout adversus Layman de Matr. cap. 6, § 2, et alios, docet Basilius Pontius eod. tr. lib. 6, cap. 1, cum aliis. Ratio postea secundæ partis est, quia cum Matrimonium, non obstante prædicto voto, subsistat, et Conjux, elapso bimestri, habeat jus ad copulam cum uxore, hæc debet eidem petenti reddere; non enim potest eum privare jure suo. Ratio denique tertiæ partis est, quia ligatus voto tenetur istud implere, quantum licite fieri potest. Cum ergo,

transacto dicto tempore, Amaryllis adhuc possit ipsum implere ex parte sua non petendo, dicendum, quod usque ad dispensationis executionem ipsa teneatur non petere, quantumvis debeat sponso petenti reddere: sicuti obligatus ad decem, si non potest solvere omnia decem sed quinque, tenetur solvere ista quinque.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Cajus in vitæ discrimine ex morbo constitutus, vovit se daturum Calicem Ecclesiæ, non determinando valorem, ac se singulis diebus quinquies recitaturum Antiphonam *Salve Regina* per tres annos. Distulit autem oblationem Calicis per annum absque ulla causa, et sæpius omisit recitare Antiphonam prædictam. Qu. primo; an peccaverit mortaliter differendo per annum executionem voti, cum in ejus emissione non præfixerit ullum tempus?

CAS. II. — Qu. secundo, ex quanam materia Calix debeat offerri, ut satisfiat voto?

CAS. III. — Qu. tertio, an si nolit recitare illas Antiphonas, peccet mortaliter?

Resp. ad primum, Cajum per se peccare mortaliter. Ratio est, quia quando vovens nullum tempus præfixit, debet votum implere statim ac moraliter potest; proprium namque est promissionis absolutæ, quod statim ac acceptata est, obligationem pariat. Unde adest illa lex de reg. Jur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*, l. 4, ff. de reg. jur. Quod maxime in materia voti pluries in sacris litteris inculcatur: sic Deuter. cap. 23, legitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum;* et Eccles. cap. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Hinc sicuti, quando dilatio sine causa est ad tempus moraliter breve, utpote leviter morosa circa obligationem, non excusatur a veniali; ita quando dilatio sine causa est ad tempus lon-

gum (uti est annus in præsenti) ac in materia gravi, prout est Calix, utpote notabiliter morosa circa obligationem gravem, per se non excusatur a mortali. Dico *per se*, eo quia cum votum sit quædam obligatio particularis, quam sibi vovens imponit, et ab ejus intentione dependens, fieri potest, quod Cajus, eam sibi imponendo, non intenderit se obligare statim, sed post notabile tempus, et prout dici solet, large : quo in casu, etiamsi distulerit executionem ad annum, et amplius, fieri potest, quod peccaverit solum venialiter, imo etiam nullo modo ; unde ad judicandum eo tunc circa gravitatem, aut levitatem, vel etiam nullitatem peccati, servanda est illa regula, quam tradit Cajetanus Comment. in 2, 2, quæst. 88, art. 5, versus fin. nempe : *Tempus executionis, quando præfixum non est, est infra tarditatem juxta conscientiam voventis.*

Ad II. *resp.* Debere offerri Calicem ex illa materia, cujus solent esse alii Calices talis regionis, habito tamen respectu ad facultates voventis : ita Layman lib. 4, tract. 4, cap. 3. Bossius de Consc. Dub. part. 2, tit. I, § 45, n. 607, aliique apud ipsos. Ratio est, quia sicuti verba in votis ambigua interpretationem accipiunt juxta communem patriæ morem, ita et voventis intentio. Et de facto cum Hispani votum Deo fecissent donandi quotannis certas frumenti mensuras Archiepiscopo Compostellano in honorem D. Jacobi Apostoli, et successu temporis amplius non constaret, in qua mensura Antecessores vota persolvissent, re delata ad Summum Pontificem, hic in cap. *Ex parte*, de Censibus definivit, solvenda esse juxta consuetam mensuram : Ergo a pari in casu nostro ; si nullo modo constat, cujusnam materiæ Cajus voverit Calicem, dicendum, quod debeat offerre Calicem ex illa materia, cujus solent esse alii Calices talis regionis ; talis enim præsumitur illius intentio. Addidi postea illa verba *habito tamen respectu, etc.* quia si vovens sit valde dives, rationabiliter præsumi potest, ipsum vovisse donum Calicis ex integro argentei ; secus vero si econtra.

Ad III. *resp.* cum distinct. Vel Cajus, dum vovit reci-

tare quinquies in die talem Antiphonam, affixit hujusmodi obligationem tali diei, adeo ut, hoc elapso, finita quoque esset talis obligatio; et tunc dico, quod si nolit recitare illas Antiphonas, non peccat mortaliter. Vel eas non affixit diei, sed sic eas per dies distribuit pro majori commodo, ut paulatim integram obligationem implendo, tota tandem intra tres annos adimpleretur; et tunc dico, quod si nolit, etc. peccat mortaliter. Ratio pr. part. est, quia statim ac obligatio est affixa diei, et transit cum die omissio recitationis facta una die, moraliter non unitur cum aliis; unde cum quælibet sit materia levis, omittens solum leviter peccat. Ratio sec. part est, quia tunc illæ omissiones moraliter uniuntur, sicque eo tandem deveniunt, ut sint omissio materiæ gravis; sicuti omittens modo unum versiculum, modo alium Officii ejusdem diei, devenit tandem ad omissionem quantitatis notabilis, ideoque tandem mortaliter peccat. Sanchez Oper. Mor. lib. 1, cap. 4, n. 14, et alii comm.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Tarquinius suspicans Uxorem suam cum Clerico adulterari, ut possit de veritate certior fieri, fingit se Mutinam proficisci, et per aliquot dies abfuturum; at domi se cum duobus testibus occultat, ac eventum observat. Videns autem Clericum ingredi cubiculum, et osculari uxorem, statim furore correptus insilit in Clericum, eumque stricto pugione interimit. Qu. primo, an Tarquinius per fictionem illius absentiæ peccaverit, quasi dando occasionem peccandi?

CAS. II. — Qu. 2°, an idem Tarquinius inciderit in Excommunicationem contra percussores Clericorum?

CAS. II. — Qu. 3°, an Testes rei sint peccati mortalis, ac excommunicationis?

Resp. ad I. per fictionem illius absentiæ Tarquinium non peccasse, quasi dando occasionem peccandi. Ratio est, quia ut verificetur, quod quis alteri det occasionem

peccandi, requiritur, quod vel ipsum directe inducat ad malum, vel saltem faciat actionem, ex qua prævideat ipsum sumpturum occasionem mali. Jam vero quamvis Tarquinius suspicaretur de adulterio Clerici cum Uxore, proprie tamen dici non potest, quod prævideret ex fictione itineris sui Mutinam versus, clericum occasionem sumpturum faciendi id quod fecit; ideoque nec dici potest, quod peccaverit quasi dando occasionem peccandi. Imo si ea simulatione intendisset, quod Clericus, et Uxor a se in delicto deprehensi, confunderentur, et in posterum abstinerent, non peccasset simulando discessum, et se domi latitando cum testibus; Maritus namque suspicans de Adulterio Uxoris, jus habet observandi, etiam cum testibus, quomodo ista se gerat; ut cum Palao, et aliis notat Giribaldus de scandalo dub. 4, n. 26, nec id est ad peccandum inducere, aut peccato indulgere; sed non auferre mali occasionem, vel etiam malum permittere ad majus bonum; quod, interveniente gravi motivo, licitum esse docent Dominicus Soto in 4, dis. 36, quæst. un. art. 3, in fin. Sanchez de Matr. lib. 10, disp. 3, n. 32, et alii quamplures.

Ad II. *resp. negat.* dummodo illum occiderit in incontinenti. Ratio desumitur ex cap. *Si vero* 1, de sent. Excom. ubi hoc definitum habetur; eo quia Ecclesia supponit, id factum non fuisse suadente diabolo, sed ex vehementi passione; cum difficillimum sit tunc iram reprimere in hujusmodi repentinis eventibus justumque dolorem temperare. Et hoc valet, cum sponsus Clericum invenit ista peragentem cum Sponsa, etiamsi cum hac nondum ipse consummaverit Matrimonium; item cum filius invenit Clericum ista peragentem cum Matre, vel Pater cum filia, vel frater cum Sorore, dummodo Clericus ad hæc perpetranda non fuerit ab ipsis dolose attractus. Avila de Cens. part. 2, cap. 5, disp. 3, dub. 13, cas. 61. Bonacina, Sylvester, et alii.

Ad III. *resp.* cum dist. Vel testes aliquo modo cooperati sunt occisioni Clerici: vel non. Si primum; dico, ipsos peccasse mortaliter, et esse excommunicatos, quia tunc etiam de ipsis verificatur, quod Clericum interfe-

cerint et sic peccatum, ac Excommunicationem contraxerint, cum Cap. *Si vero* non faciat mentionem de Testibus. Si secundum ; dico, illos peccasse quidem contra Charitatem, si hujusmodi occisionem impedire poterant, et non impediverunt; eos tamen non esse excommunicatos, quia ad talem occisionem mere negative se habuerunt ; unde ipsos illum occidisse dici non potest, per consequens, nec inciderunt in excommunicationem, prout supra diximus de Irregularitate ad Cas. III Maii.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Rusticus dubitans esse grave peccatum manducare diebus festis ante auditionem Missæ, sæpius comedit, nec tamen id in Confessionibus expressit. Accedit mane in Festo Sanctorum Omnium ad Parochum pro reconciliatione, statim cum aliis communicaturus. Qu. 1°, an præteritæ Rustici Confessiones fuerint sacrilegæ?

CAS. II. — Qu. 2°, quid facere debeat Parochus, si ex una parte ob frequentiam populi non sit opportunitas repetendi tot Confessiones, ex alia, si iste abstineat a Communione, nequeat vitari scandalum ?

Resp. ad I cum dist. Vel Rusticus reticendo in Confessione comestiones cum præfato dubio factas, advertit, quod male ac sacrilege confiteretur; vel non advertit. Si advertit; dico, præteritas ejusdem Confessiones, tali modo factas, fuisse sacrilegas, siquidem voluntarie, et, ut supponitur, absque ulla rationabili causa, defecit notabiliter quoad earum integritatem, adeo necessariam ad rite, ac valide hoc Sacramentum recipiendum, ut clare patet tum ex cap. *Omnis utriusque Sexus;* cum ex Tridentino Sess. 14, cap. 5 et can. 7. Si vero non advertit; dico, easdem non fuisse sacrilegas; non enim committitur Sacrilegium, saltem formaliter, nisi sit voluntarium ; nec stat voluntarium sine advertentia, ut tradunt DD. com. Hinc sicuti ex quo comederit cum illo dubio proprie practico peccati mortalis, revera mortaliter peccavit in iis comestionibus, quia in eis aliquo

modo grave malum apprehendit (quamvis sub dubio, et ex dictamine falsæ conscientiæ), et sic comedendo se exposuit periculo peccandi mortaliter; ita vice versa, si reticendo in Confessionibus dictas comestiones, cum eo dubio factas, nullo modo advertit, quod male, ac sacrilege confiteretur, dicendum, præteritas ejusdem Confessiones, tali modo factas, non fuisse sacrilegas; habuerunt enim integritatem formalem, quæ fuit satis in casu ad hoc, ut valide susciperet Pœnitentiæ Sacramentum. Reginaldus lib. 6, n. 151. Suarez, cæterique com.

Ad II *resp.* Parochum debere ipsum monere, ut vel sibi consulat per actum contritionis, perinde ac si Confessarium non haberet; vel in Confessione ea peccata exponat, quæ pro temporis angustia exponi possunt, concepto tamen dolore de omnibus, ut sic absolvatur directe ab expositis, indirecte ab aliis; hæc postea opportuno tempore expositurus. Ratio est, quia utrumque hoc medium in tali casu aptum est ad ipsum constituendum in statu gratiæ, sicque ad eum disponendum pro Eucharistia; cum Confessio materialiter integra sit eo tunc moraliter impossibilis. Neque contrarium evincit damnatio facta ab Innoc. XI, hujus propositionis 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel Indulgentiæ;* nos enim non dicimus, Rusticum in casu posse dimidiate absolvi *ratione magni concursus pœnitentium*, prout male dicebant Auctores, ac Defensores talis propositionis, quæ propterea damnata est; sed dicimus, eum in tali casu sic posse absolvi, quia Confessio materialiter integra eo tunc est ipsi moraliter impossibilis, et quia obviandum est scandalo alias secuturo, si ipse ad Communionem non accedat; quæ, ut patet, sunt duo motiva diversa ab expresso in prædicta propositione; et sunt causæ vere excusantes ab integritate materiali Confessionis, ut tradunt DD. com. ubi agunt de ejusdem integritate.

CAS. III. — Eusebius surripit centum aureos domi-

no, quos negotiationi exponens, superlucratur quinquaginta spatio unius anni. Deinde noscit, illos centum fuisse ablatos cuidam Mercatori. Qu. Cui, et quantum Eusebius restituere tenetur?

Resp., ipsum teneri restituere Mercatori, huic reddendo illos centum aureos; non teneri tamen ei tradere scuta quinquaginta negotiando lucrata, neque ei reficere interesse, si quod forte Mercator passus est, antequam ipsi Eusebio innotesceret ejusdem esse illos centum aureos. Ratio pr. partis est, quia illi facienda est restitutio rei, qui est verus dominus ejusdem, siquidem res clamat ad dominum; sed in casu Mercator est verus dominus illorum centum aureorum, cum ab ipso fuerint per furtum ablati; ergo, etc. Ratio sec. part. est, quia id, quod lucrifit negotiando cum pecunia aliena, non est fructus pecuniæ alienæ, quæ de se sterilis est, sed industriæ, ac laboris ipsius negotiantis, ut optime exemplificat Giribaldus de Restit. cap. 2, dub. 5, adeoque isti debentur. Neque dicas, esse fructum etiam pecuniæ; cum in contractu societatis, in quo unus ponit pecuniam, et alter industriam, postremo lucrum æqualiter dividatur: Contra enim: ideo tunc lucrum dividitur; non quia etiam pecunia fuerit fructifera, sed quia pecuniam apposuit, et ipse fuit industrius eam dando pro negotiatione facienda, et se exponendo periculo lucri, et damni. Giribaldus ibid, n. 47. Ratio denique tertiæ partis est, quia si eo tunc Mercatori emersit aliquod damnum, vel lucrum cessavit, non fuit Eusebius ejusdem causa culpabilis, sed Eusebii dominus; et si Eusebius ipsi damnum intulit, hoc fuit omnino inadvertenter, et per consequens absque culpa, sine qua non datur obligatio restitutionis, seu refectionis damnorum, ut tradunt DD. comm. in Tract. de Restit.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Fortunius ex subita passione, advertenter tamen, impie protulit ista verba: *Possem abnegare Deum, nisi me vindicem: si Deus mihi diceret: Con-*

dona illatam tibi injuriam, mentiri eum dicerem; quid deterius mihi, o Deus, potes facere? Qu. 1° : An hæ tres sint blasphemiæ hæreticales, ideoque reservatæ in hac Diœcesi ?

CAS. II. — Qu. 2°, Quid, si statim ac istas blasphemias protulit, in se reversus pœnituit, signaque contritionis dedit; tenenturne, qui ipsum audierunt, Inquisitori denuntiare?

Resp. ad I neutram esse blasphemiam hæreticalem, adeoque in hac Diœcesi reservatam. Ratio generalis est, quia ad blasphemiam hæreticalem necessario requiritur, quod formaliter, aut virtualiter enunciet, seu contineat aliquid erroneum in fide; quod plane non verificatur de aliqua ex præfatis propositionibus. Siquidem, quantum attinet ad primam, ac secundam, negari nequit, quod exprimant propensionem quamdam ad enuntiandum aliquid contra fidem, et conditionalem quamdam ad id voluntatis tendentiam; hæc tamen non est, sed multum differt a blasphemia hæreticali, ut recte notat Bordonus de Blasphem. Cas. 10. Similiter in tertia ad modum interrogantis quærit quidem Fortunius, quid deterius illi facere possit Deus; at non negat, posse Deum ipsi quid pejus immittere : ergo proprie non sunt blasphemiæ hæreticales, per consequens nec reservatæ in hac Diœcesi. Tambur. in Decal. cap. 6, § 4 et alii. Hinc inferes, quod Fortunius per hoc denuntiandus non sit Inquisitori ut blasphemus hæreticalis, maxime si in se reversus statim pœnituit, signaque contritionis dedit. Monent tamen perbene Bordonus, et alii, quod si Fortunius esset ex iis, quorum vita male morata, et sic loquendi frequentia, non sanæ fidei suspicionem ingerit, tunc, tanquam de hæresi suspectus, esset Inquisitori denuntiandus, non obstante illa exteriori apparentia retractationis, et pœnitentiæ : hæc enim sæpe in male moratis artificiosa sunt. Ex quo habes responsionem ad secundum.

CAS. III. — Parentes Beneficiati defuncti, tempore messis, celant ejus mortem, donec messem fructuum

Beneficii pro seipsis recondant. Qu. An id licite peragant?

Resp. cum dist. Vel hujusmodi messis jam erat a solo separata, cum Beneficiatus obiit; vel non. Si non, dico, parentes illicite id peragere, eo quia illi fructus, qui, obeunte Beneficiato, sunt adhuc pendentes, spectant ad Cameram Apostolicam, et sunt propinæ, quibus ali solent Collectores Spoliorum, quamvis ex iis tradi soleat aliqua portio Successori in Beneficio Parochiali. Si postea jam fuerat a solo separata, dico, quod si parentes sunt etiam hæredes defuncti, id licite peragunt; nam hujusmodi fructus jam erant proprii ipsius Beneficiati; in cujus jura proinde si succedunt parentes, legitime quoque ab his reconduntur pro se ipsis; ut non obscure colligitur ex Opere de Synodo SS. D. N. Benedicti Papæ XIV, lib. 12, cap. 7, n. 3.

ANNO MDCCLVI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius contracto, sed non consummato, Matrimonio cum Berta, deliberat Statum Religiosum amplecti. Ast quia dubitat, id a se licite fieri non posse, eo quod Sponsam cognoverit, antequam eam duceret; ideo consulit Parochum, an licite id peragere valeat? Qu. Quid Parochus respondet?

Respondet, ipsum in casu id licite peragere non posse. Ratio est, quia licet Berta revera meretur linqui a Titio, ob consensum, quem huic ipsa præstitit, ut carnaliter ab eo cognosceretur ante Matrimonium, tamen ab ipso linqui non debet, eo quia hujusmodi culpa præcedens, stantibus Sponsalibus antecedentibus, præsumitur concessa, et habita cum conditione, ac intuitu Matrimonii futuri, et quidem intenti cum suo integro complemento, vel saltem cum ejus successiva continuatione;

prout ipsemet Titius conjicere facile poterat tum ex eisdem Sponsalibus jam initis, cum ex quo Berta verisimiliter ipsi nunquam indulsisset, si nosset futurum, ut ipse a dein contracto conjugio postea resilire tentaret. Quare cum Titius, admissa hujusmodi copula, remanserit Bertæ obligatus juxta intentionem ipsius, ut inter alios docet Passerinus de Hom. Stat. quæst. 189, art. 5, n. 56. ideo dicendum, quod, cum hæc intenderit Matrimonium permanens, ipse quoque quoad hoc eidem manserit obligatus, adeoque quoad personam; et sic nequeat, ipsa invita, Statum Religiosum licite amplecti. Et hoc maxime valet, si Sponsa erat virgo, ac fuit ab ipso deflorata; tunc enim emergit nova obligatio manendi in conjugio, quamvis ea fœta non sit; ut nempe evitetur ejus infamia, quæ ipsi potest, et apta est sequi, si sic dimittatur alteri nuptura: siquidem etiam dato, quod alium Sponsum inveniat, eique nubat, adhuc subest periculo, quod ab hoc dignoscatur ejusdem defectus, ac propterea male tractetur, dimittatur, etc. Unde cum extra initum conjugium, alia via vére tuta non suppetat, ablatæ virginitatis infamiam, et forte etiam gravius malum ab eadem arcendi, dici debet, non posse Titium in casu Statum Religiosum licite amplecti. Sanchez de Sponsal. disp. 44, et Bossius de Effect. Matr. cap. 1, § 5, n. 99. Nec refert, in cap. *Ex publico*, de Convers. Conjug. Sponsis de præsenti, ante consummationem Matrimonii, concedi bimestre ad deliberandum vel Religionis ingressum, vel perseverantiam in Matrimonio. Hoc etenim valet re adhuc integra, et quando non fuit apposita causa obligans persistere in Conjugio, prout in casu; quidquid in contrarium dicant Clericatus, Rotarius, aliique.

CAS. II. — Orta est dissensio duos inter Doctores, affirmante uno, negante alio, quod possit valide capere possessionem Beneficii ante expeditionem Bullarum, seu Litterarum collationis. Qu. Cuinam adhærendum?

Resp. cum dist. Vel beneficium collatum est Parocho a Summo Pontifice; vel est illi collatum ab Ordinario. Si

a S. Pontifice, dico, adhærendum esse neganti : si enim provisus a Papa capiat Beneficii possessionem ante expeditionem, etc. juxta Constitutionem quamdam Julii II, et alias Extravagantes, citatas a Bonacina de Legib. disp. 1, q. 1, punct. 4, n. 50, dicitur intrusus, ac violentus possessor, imo impotens facere fructus suos, quin ei prosit regula Cancellariæ de annuali, vel biennali, vel triennali possessione; et juxta aliam constitutionem Julii III, incip. *Sanctissimus*, privatur ipso jure Beneficio obtento, prout, relata Bulla per extensum, notat Lotterius de re Benefic. lib. 3. q. 19, n. 17, cui consonat Cardinalis de Luca, l. 12, p. 1, de Benefic. disc. 131, n. 4, addens, hoc pariter statutum esse per regulas Cancellariæ Apostolicæ. Si postea Beneficium collatum est Parocho ab Ordinario, dicunt præfati DD. adhærendum esse affirmanti, eo quia quod statutum est circa beneficia obtenta a S. Pontifice, cautum non invenitur pro beneficiis, quæ conferuntur per Ordinarium. Verum quoad hæc dixerim, attendendam esse praxim et consuetudinem locorum, Beneficiorum qualitatem, ac fructum, mensem, in quo vacant, etc. Siquidem hic Bononiæ si in aliquo ex mensibus Pontificiis vacat ex. gr. Beneficium Curatum liberæ collationis, excedens in annuis fructibus 24 scuta auri, vigore Indulti Eminentiss. ac Reverendiss. Archiepiscopo concessi, Beneficiarius ante litteras Apostolicas mittitur in possessionem Beneficii cum litteris provisionalibus Archiepiscopi; fructus tamen interim non percipit ut suos, moneturque, ut intra quatuor menses obtineat litteras Apostolicas, novamque provisionem. Si vero Beneficium non excedit in fructibus prædictam summam, aut non est liberæ collationis, aut non vacat in mense Pontificio; tunc unica provisione mandato Archiepiscopi mittitur in possessionem Beneficii, et fructuum.

CAS. III.—Vix acceptaverat Sergius Parochiale Beneficium, legitime ipsi collatum, cum astitit Matrimonio duorum Parochianorum, quamvis solemniter ab ipso nondum fuisset capta possessio. Qu. An tale Matrimonium, coram eo contractum, sit validum?

Resp. negat. Non quia a Sergio nondum capta fuisset solemnis possessio Beneficii Parochialis ; hæc enim non est necessaria , ut valide quis assistat Matrimonio , etiam per modum testis principalis, et auctorizabilis , ut patet in OEconomo Parœciam administrante : sed quia , ex consuetudine hujus Civitatis, ac Diœcesis , recenter electo in Parochum nulla competit administratio, nullumque exercitium curæ , ante apprehensionem possessionis Beneficii saltem cum provisionalibus ; nec ullo modo externe habetur ut Parochus , prout constat ex praxi. Hinc, cum talis consuetudo, ubi viget, debeat observari, ut ex communi sententia tradit Panormitanus in cap. *Transmissam*, de Elect., et Parochus assistens debeat esse talis externe , eo quia secus ejus testificatio in facie Ecclesiæ nequit cognosci ut attestatio testis principalis ; dici debet , assistentiam Sergii , in casu præstitam Matrimonio duorum Parochianorum , prorsus inanem fuisse ; et per consequens tale Matrimonium , defectu assistentiæ Parochi legitimi , esse invalidum. Cæterum ubi non viget dicta consuetudo , sed jus commune , est opinio satis frequens apud Theologos, et Canonistas, quod Sergius in casu, ante apprehensionem possessionis , possit valide assistere Matrimonio ; quia per acceptionem legitimæ collationis acquiritur jus in re supra Beneficium, ut ex cap. *Si tibi absenti*, de Præben. in 6 , non obscure patet ; et tale jus non est imperfectum , sed vere perfectum ac completum , uti colligitur ex cap. *Nosti* , et cap. *Transmissam*, de Elect. nec ullibi habetur, aut probatur apprehensionem possessionis requiri ad substantiam actus , sed est potius de solemnitate. Panormitanus in cit. cap. *Transmissam* , et Anacletus lib. 3 Decret. Tit. 7, § 2 et 3.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I.—Initis a Cajo Sponsalibus de futuro cum Seja, quam prius spe Matrimonii defloraverat , vellet a Sponsalibus resilire , ac aliam ducere ; at , metu Excommunicationis , cum ea contrahit Matrimonium. Qu. An hoc sit validum ?

Resp. per se validum esse. Ratio est, quia licet Cajus illud contrahat ob metum Excommunicationis: ideoque ex metu gravi, et quidem ei incusso a causa extrinseca libera, nimirum a Judice ecclesiastico, ipsi Excommunicationem minante, ac ex eo fine, ut ipse Matrimonium contrahat cum Seja; tamen hujusmodi metus non est ei incussus injuste, prout opus esset, ut tale Matrimonium esset invalidum; sed juste, ob strictam obligationem, et quidem ex duplici capite ab ipso voluntarie contractam, ducendi Sejam, nempe, ratione Sponsaliorum, ac defloratonis ejusdem sub spe Matrimonii, ob quam culpabiliter dedit Judici ecclesiastico causam, ut juste ipsi talem metum incuteret. Cum ergo Matrimonium ex gravi, sed justo metu contractum, sit validum, uti colligitur tum ex cap. *Ex litteris*, de Sponsalib. cum ex eo, quod justitia potest ipsum præcipere, et ad ipsum cogere; ideo, etc. Addidi postea in responsione *ly per se*, eo quia, si Seja dein apposuisset causam, ratione cujus licuisset Cajo ipsam non ducere; tunc injuste hic fuisset metu excommunicationis adactus ad eam ducendam. Propterea cum Matrimonium initum ex gravi metu, injuste incusso a causa extrinseca libera, et ad talem finem, nempe, ut idem Matrimonium contrahatur, ipsum invalidet; ideo in tali casu Matrimonium Caji cum Seja esset invalidum. Bonac. de Impedim. q. 3, punct. 8. Girib. et alii com.

CAS. II. — Sempronius Parochus, credens anno proxime elapso quod expirasset septennium, pro quo concessa fuerat plenaria Indulgentia in festo Titularis suæ Ecclesiæ, curavit, ut eadem confirmaretur per aliud Septennium, et de facto obtinuit novum Breve, vigore cujus in festo Titularis apposuit tabellam cum solita inscriptione: *Indulgentia Plenaria.* Nunc certior factus, quod pro anno præterito adhuc valebat Breve vetus, petit a Vicario Foraneo, an novum Breve valeat pro septem, an vero pro sex tantum annis. Qu. Quid ei respondendum?

Resp. cum Passerino de Indulg. quæst. 95, num. 270, ac Theodoro a Spir. Sanct. eod. Tract. part. 2, cap. 1,

§ 3, prædictum novum Breve nec valere pro septem, neque pro sex annis, sed in casu nihil valere, proinde ac si non fuisset obtentum. Ratio est, quia cum deest conditio, sub qua rescripta Apostolica expediuntur, hæc pro subreptitiis habentur, ac proinde nullius sunt valoris, ac momenti; ut constat ex regulis Curiæ Romanæ, ac notum efficit quotidiana praxis, et experientia. Porro una ex præcipuis conditionibus, cum quibus renovantur hujusmodi Brevia, hæc est: Dummodo pro tali die, pro qua Breve conceditur, alias concessa non fuerit aliqua alia Indulgentia perpetua, vel duratur ad tempus, nondum elapsum, cum tale Breve conceditur: quæ conditio solet exprimi in ipso Brevi cum hac clausula: *Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus, dictam Ecclesiam tali anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint.* Subintellige: casu, quo de ea in supplici libello, id est, in Memoriali præsentato, facta non fuerit expressa mentio. Atqui præfatum Breve fuit confirmatum ad septennium, quando concessa fuerat alia Indulgentia pro tali die, duratura pro eadem die ad tempus, eo tunc nondum elapsum; et de ea in Memoriali facta non fuerat a Parocho expressa mentio, cum hic putaret, exspirasse septennium, pro quo hæc fuerat concessa; ergo hujusmodi Breve habetur pro subreptitio, proindeque nullius est valoris, ac momenti, perinde ac si non fuisset obtentum; ut clarius etiam declaravit, ac exposuit ipsamet S. Congregatio Indulgentiarum die 25 Junii 1676, cujus Decretum approbavit Innocentius XI. die 18 Martii 1677, ac per extensum refertur a præfato Theodoro a Spiritu Sancto, fuitque de mandato ejusdem Summi Pontificis, stabilitum pro lege in hac materia ab eadem sacra Congregatione.

CAS. III. — Parochus accersitus ad baptizandum infantem in gravi periculo constitutum, hunc abluit aqua frigida, qua ei mortem ecceleravit. Qu. An sit irregularis?

Resp. negat. Si ex una parte erat periculum in mora,

et non erat in promptu aqua tepida; ex alia Parochus fuit circumspectus in modo abluendi circa quantitatem, et qualitatem aquæ, ne noceret infanti. Ratio est, quia in hoc casu, si secuta est infanti acceleratio mortis ex ablutione cum aqua frigida, id est omnino per accidens; cum Parochus nedum id egerit ex necessitate muneris sui, ut scilicet spirituali, ac æternæ ejusdem saluti prospiceret, verum etiam adhibuerit omnem possibilem diligentiam, quæ illa in circumstantia ipsius menti occurrit, ne ullum nocumentum afferret infanti. Neque dicas, quod Parochus, stante gravi periculo infantis, poterat, ac debebat prævidere secuturam accelerationem mortis ejusdem, sicque potius debebat omittere ejus baptismum, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Contra enim: cum in baptizando infante, modicam, uti supponimus, adhibuerit aquam, quantum sufficiebat, ut hæc vere flueret, et sic illum valide baptizaret, obvia certe adeo non erat prævisio accelerationis mortis; nam ordinarie loquendo hæc non sequitur, quamvis baptismus sic conferatur etiam infanti in gravi periculo constituto; et sic jure ac merito hujusmodi acceleratio dicitur casualis, et secuta per accidens. Deinde etiam demus, quod prævisa fuisset exinde secutura: anne propterea potius omittendum baptisma? Minime gentium, aiunt Palaus, aliique Theologi communius; nam sicut Parochus non solum licite potest, sed positive tenetur propriam corporalem vitam mortis periculo exponere, ut baptizet infantem, alias sine baptismate moriturum, prout ex Scriptura, sanctis Patribus, ac ratione ostendimus anno 1748. in resp. ad. 2 Octobris; ita etiamsi Parochus prævidisset periculum accelerandi mortem infanti per ejus baptismum cum aqua frigida, nil mali fecisset, imo prudenter suo munere functus esset, si stante periculo in mora, nec extante in promptu aqua tepida, dicta cum circumspectione ipsum baptizasset cum aqua frigida; etenim *anima præferenda est cæteris rebus, L. Sancimus*, § penult. C. de Sacros. Eccles. *ac salus spiritualis et æterna vitæ corporali.* Hinc cum irregularitas, de qua casus procedit, absque culpa non incurratur, dicendum, quod parochus non

est irregularis, ut cum Zambrano expresse tradit Diana part. 1, de Bapt. res. 68 et 70, num. 3.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Juranti, se in carcerem rediturum, creditur, et dimittitur. Qu. An possit, imo teneatur redire, quamvis injusto supplicio perimendus?

Resp. Probabilius videri quod non, secluso Catholicæ Religionis detrimento, et scandalo. Ratio est, quia semel ac scit, injusto se supplicio perimendum, si redeat, idem est, redire in carcerem, ac semetipsum injustæ morti tradere, vel saltem se certæ mortis periculo exponere, et quidem absque ulla legitima causa. Quæ etenim causa cohonestare id potest? Anne ostensio veracitatis, ac fidelitatis, observando promissum custodi carceris? aut religiosa juramenti executio, quo firmata ab eo fuit promissio reditus? At quis non percipit, etiam sicarium posse hoc modo cohonestare homicidium, dicens, se hoc committere, ut verax sit, ac fidelis mandanti, atque ut juramentum observet, si eo occisionis promissionem firmavit? Dices, hoc non; quia id est contra legem naturalem, divinam, et humanam, quibus virtus non adversatur; proindeque hujusmodi juramentum non tenere, quippe quod non est vinculum iniquitatis, cap. *Quanto*, de Jurejur. Ast idem quoque ego dico in casu nostro; etenim ipsamet natura clamat, quod quisque injustæ mortis periculum evitet, ac semetipsum conservet. Nec obstat, quod quis teneatur juratam latroni pecuniam tradere, etsi injuste extortam, ut diximus ad Cas. 2. Augusti anno 1748. et patet ex cap. *Debitores*, de Jurejur. Disparitas enim est, quia promittens, utpote pecuniæ dominus, licite poterat illam promittere, et dare, ideoque si juramento se obstrinxit ad ipsam latroni tradendam, revera illam ei tradere debet, si ante lapsum termini præfixi non obtinet ab Episcopo relaxationem juramenti. Ab opposito, in casu nostro, qui juravit reditum in carcerem, non est dominus propriæ vitæ, et sic nequit licite mortis periculo ipsam ex-

ponere. Vide Giribaldum de Jurament. cap. 2. dub. 2, num. 18 et seqq.

CAS II. — Qui rem alienam accepit, ac detinet invito domino, et illa identidem utitur. Qu. An quoties ea utitur, committat novum peccatum, ab injusta detentione distinctum?

Resp. cum dist. Vel quoties ea utitur, novam infert injuriam domino; vel non. Si non, puta, quia per hujusmodi usum non efficit rem deteriorem, nec dominum subjicit majoris damni periculo; dico, ipsum non committere novum peccatum ab injusta detentione distinctum; siquidem in tali casu usus, et injusta detentio rei censentur ejusdem rationis, ac speciei moralis, atque unus idemque moraliter actus: sicque non est novum peccatum distinctum in genere moris. Si vero, quoties ea utitur, infert novam injuriam domino, puta, quia per usum efficit rem deteriorem, ut evenit in usu vestium, quæ per usum consumuntur; aut subjicit dominum gravioris damni periculo, ut evenit in expensione pecuniæ furtivæ, facta a paupere, aliunde non habente quo possit domino satisfacere, qui propterea quanto plus expendit, tanto magis fit impotens restituere domino; tunc dico juxta Cajetan. 2, 2, quæst. 66, art. 3. Navar. Man. cap. 17, num. 55. Sotum, et alios, ipsum committere novum peccatum, etc. quia per hujusmodi usum vel res paulatim reducitur ad statum adeo inferiorem, ut dominus cogatur illam amplius non repetere, sed pretium vice illius; vel utens fit impotens restituere domino adæquate, et sic dominus redditur conditionis deterioris, unde fit illi injuria, non illata per simplicem injustam detentionem.

CAS. III. — Metuit cum fundamento Vir militaris, quod si duellum non acceptat, nedum habebitur ut formidolosus, et abjectus, ac pro ipso nulla amplius aderit spes ulterioris, etsi promeritæ, promotionis; verum etiam privabitur officio, quo se, suosque sustentat. Qu. An in hoc casu possit acceptare duellum?

Resp. negat. Ut aperte patet ex prima quinque Propo-

sitionum, quas quarto Idus Novembri anni 1752, in Constitutione incipiente *Detestabilem*, damnavit Summus Pontifex Benedictus XIV, fel. mem. et est hæc : *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* Hujus occasione recenseo alias quatuor, cum non adeo facile obviæ sint apud A. A. Secunda ergo hæc est : *Excusari possunt, etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* Tertia : *Non incurrit ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famæ, et officii.* Quarta : *Licitum est, in statu hominis naturalis, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.* Quinta : *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ; in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.*

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Sergius contractis cum Caja Sponsalibus de futuro, attraxit Sempronium ad copulam mutua promissione nuptiarum. Qu. Quamnam ex his ducere teneatur?

Resp. quamvis opinio docens, Sergium in casu teneri ducere Sempronium, sit valde probabilis, attamen censeo, quod, si hæc gravida non sit, aliisve nota ejus defloratio, adhuc teneatur ducere Cajam. Ratio est, quia ex una parte secundæ facta promissio non tenet, cum sit contra justitiam, et in præjudicium tertii. Ex alia, ob defloratione Sempronium postea factam, non debet, nec potest auferri jus a Caja prius vere acquisitum; nec ista in facta hypothesi tenetur tali juri cedere, cum cha-

ritas obliget solum ad præcavendum malum proximi, quando id fieri potest sine proprio incommodo, et damno, quod in Casu non evenit; amissio enim juris quæsiti damnum est, ut ostendit Gonzalez ad Reg. 8. Cancel. Neque dicas, actualem traditionem rei conferre majus jus ipsam accipienti, quam conferat promissario simplex promissio ejusdem rei; unde cum Sergius per copulam fecerit Semproniæ quamdam anticipatam traditionem sui corporis, potiorem rationem pro ea inde exurgere: eo modo, quo exurgeret major ratio pro Sponsa de præsenti, si Sponsus post Sponsalia iniret Matrimonium cum alia fœmina. Ne dicas, inquam; licet enim hæc ratio valeat, quando traditio rei fit cum vera translatione dominii, ut evenit in Matrimonio, in quo contrahens transfert dominium proprii corporis in alterum conjugem; et in actuali traditione rei, in qua venditor transfert ejusdem dominium in emptorem; tamen non valet, quando dominium non transfertur: sic si quis mihi promittat vendere suum equum, etiamsi illum postea alteri commodet, ego habeo majus jus respectu equi, quam commodatarius; licet enim hic possit equo uti, tamen respectu equi commodati nec habet jus in re, nec jus ad rem: ego vero respectu illius habeo jus ad rem. Cum ergo Caja ratione Sponsalium cum Sergio vere acquisiverit jus ad rem; Sempronia econtra, sive per Sponsalia, sive per copulam, nec acquisierit jus in re, quod solum acquiritur per Matrimonium; nec jus ad rem, eo quia secunda promissio non tenet, utpote contra justitiam, ac de re jam alteri stricte obligata; ideo dicendum, quod Sergius in casu teneatur ducere Cajam, ac Semproniæ reficere damna modo possibili: cum duas simul ducere nequeat. Nec oppositum evincit paritas de eo, qui, post votum Religionis, defloratam sub spe Matrimonii puellam teneatur ducere, non obstante prioritate voti. Nam in primis expresse id negant Navarrus Cons. 1. *Qui Cler. vel Voven.* Laurea tom. 3, in 4. disp. 36, § 2, num. 182. Sanchez, Layman, Coninchus, Sylvius, Diana, et alii. Et si id contendas, ex quo obligatio justitiæ strictius urgeat, quam illa religionis; id falsum esse inquit cum Emi-

nentissimo de Lugo, et aliis Passerinus de Stat. Hom. quæst. 180, art. 3, n. 60 et 65. Deinde hoc transmittamus ut verum : ex hoc ipso eruitur disparitas. Ideo enim qui voverat Religionem, tenetur ducere postea defloratam sub spe Matrimonii, quia in ordine ad Religionem non est obstrictus vinculo justitiæ, sicuti puellæ; sed vinculo minori, cujus obligatio propterea suspenditur. Econtra Sejus jam erat obstrictus Cajæ vinculo justitiæ; et sic, utpote jam huic stricte obligatus, non poterat se amplius obligare Semproniæ; maxime cum illa, utpote prior in tempore, sit etiam potior in jure. V. Not. 44. Emin. Lambert. postea S. Pont.

CAS. II. — Mævius confidenter dicit amico suo, Juliam Virginem fuisse violatam; quod, an verum sit, iste omni diligentia scrutatur : cumque id verum cognovit, aliis quampluribus narrat. Qu. An Mævius illa manifestatione peccaverit mortaliter? Secundo. An etiam amicus Mævii reus sit peccati mortalis ob illam inquisitionem?

Resp. ad primum, seclusa rationabili causa manifestandi, Mævium probabilius peccasse mortaliter; et quidem etiamsi id non protulerit ex odio etc. nec Juliæ calumniam impegerit, dummodo ejusdem violatio esset occulta. Ratio est, quia talis relatio lædit notabiliter famam Juliæ penes talem personam, cum aliunde ipsa jus haberet, ut apud eamdem conservaretur propria fama; ut patet ex dictis anno 1749. ad 2 Augusti. Hinc sicuti mortalis est reus, qui temerarie judicat in re gravi de alio, quamvis ipse solus judicet, ac tale judicium alteri non manifestet; ita etiam reus mortalis est Mævius per hoc, quod confidenter soli amico dixerit, Juliam virginem fuisse violatam; ex quo enim id huic dixerit confidenter, non desinit penes hunc fama Juliæ esse corrupta, necnon bona existimatio, quam de eadem prius habebat. Nec refert, quod amicus id statim non omnino crediderit, ut patet, ex quo ejusdem veritatem inquirebat : nam in primis id est per accidens, cum Mævius sua relatione fecerit, quantum sufficit ad famam Juliæ penes eum corrumpendam. Deinde negari

non potest, quod ob talem relationem fama, et existimatio Juliæ in animo Amici transierit de positive bona in dubiam, et quidem in re graviter ipsam lædente, utpote in materia inhonestatis. Item quod si ipsamet Julia fieret conscia hujusmodi relationis de se factæ, ac dubii propterea orti in amico Mævii circa ipsius honestatem, rationabiliter gravem exinde mœrorem concipere, utpote quæ prius, etiam penes hunc, bonam existimationem habebat, eamque deperdidit. Cum ergo ex levitate, aut gravitate contristationis, quæ apta est rationabiliter sequi, inferatur a Theologis gravitas, aut levitas culpæ in referente alterius crimen occultum, dicendum est, Mævium in casu reum esse peccati mortalis. Giribaldus in 3 præc. Dec. cap. 1, dub 2, n. 18. Card. de Lugo, et alii.

Ad secundum resp. quod si amicus Mævii diligentem hanc facit inquisitionem ex eo præcise fine, ut certo sciat, an Julia vere fuerit violata, idque facit tali cautela, et circumspectione, ut aliis non ingerat dubium, aut suspicionem inhonestatis ejusdem, reus non est peccati mortalis; quia ex una parte, stante notitia, quam aliunde jam habet quoad substantiam violationis Juliæ, et attenta ex alia parte cautela, quam adhibet in inquisitione veritatis, ac exclusione finis ulterioris, per hoc non irrogat Juliæ gravem injuriam; et tale peccatum est meræ curiositatis, in hisce circumstantiis levis. Si vero faciat hanc diligentem inquisitionem, ut violationem Juliæ securius aliis referre possit, sive ut huic securius objiciat gravis notam infamiæ, aut ex aliquo alio fine graviter peccaminoso: tunc ex ipsomet objecto patet, ipsum reum esse peccati mortalis. Vide Layman lib. 3, tr. 4, part. 1, cap. 5.

CAS. III. — Hebræus, vel Turca, Constantinopoli natus, sed jamdiu habitans Centi in Parochia S. Rochi, ibidem instructus in fide petit Baptismum. Qu. An sit baptizandus a Parocho Ecclesiæ Matricis S. Blasii, an vero a Parocho S. Rochi. 2. An talis baptizatus licite promoveri possit ad Ordines, et Beneficia. 3. Cujusnam Episcopi hic dici possit subditus ratione originis?

Resp ad I. Talem esse baptizandum a Parocho S. Rochi, in cujus Parochia jamdiu habitat. Ratio est, quia juxta pluries definitum a Sacra Concilii Congregatione, in hujusmodi casibus spectat ad Parochum domicilii conferre Baptismum; non autem ad Parochum Ecclesiæ Matricis loci, in quo quis baptizatur: sic anno 1687, contigit casus omnino similis Neapoli, ac orta controversia inter Parochum Ecclesiæ Cathedralis, ac Parochum, in cujus Parochia degebat baptizandus, ad quem ex ipsis pertineret conferre Baptisma, habitus fuit recursus pro dubii definitione ad prædictam S. Congregationem, quæ die 27 Septembris declaravit, spectare ad Parochum domicilii, servata forma Ritualis Romani, ut expresse constat ex lib. Decret. 37. fol. 587. idemque confirmavit eadem S. Congregatio die 21 Febr. anni sequentis 1688, ut ex lib. Decr. 38, fol. 91, adnotavit D. Joan. Baptista Argyro Disceptat. Ecclesiast. lib. 7. Discept. 6, n. 10. Quantum ad 2, dico, talem baptizatum de jure communi posse utique per se licite promoveri sive ad Ordines, sive ad Beneficia; licet, prius quam id fiat, bene probari debeat, an in eo sint tum qualitates ad id in aliis requisitæ, cum ea virtus, ac constantia in fide, ut illi manus imponi, atque Ecclesiastica ministeria tuto committi valeant, ut recte admonet fel. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diœc. lib. 12, cap. 1, n. 6. Ratio desumitur ex aperto textu Alexandri III. in cap. *Eam te*, de Rescript. ubi in Canonicum eum recipi jussit, qui ex Judaismo ad Christianam fidem fuerat conversus, hisce verbis scribens ad Episcopum Tornacensem: *Mandatum dedimus, et præceptum, ut P. (qui de gente Judæorum originem duxit, et divina gratia fidem Christi suscepit) in Canonicum reciperent, et præbendam sibi conferre deberent... Pro eo vero, quod Judæus extiterit, ipsum dedignari non debes;* etenim (quod ibidem notat Glossa) *de Judæis conversis Ecclesia fundata fuit.* Hinc S. Congregatio Concilii die 13 Februarii 1683, reprobavit consuetudinem, quæ in Civitate Charchiensi invaluerat, ab Ordinibus excludendi descendentes ab Indis, seu, ut vocant, *a Mulatis;* definivitque, Indos, Nigros, omnesque ab

illis, sive per paternam, sive per maternam lineam descendentes, ab Ordinibus recipiendis prohiberi non posse, si cæteris polleant qualitatibus, animique dotibus, a sacris Canonibus præscriptis : cumque Archiepiscopus Ulyssiponensis renuisset Ordines cuidam conferre, qui a Mauris trahebat originem, suas prætexens Synodales Constitutiones, ab Ordinibus excludentes quotquot a Mauris, Nigris, alteriusve nationis Infidelibus provenirent; re mature discussa in S. Congregatione Concilii, die 13 Januarii 1685, responsum fuit, præfatas Synodales Constitutiones, utpote obsistentes Juri communi, nullius esse roboris, ut in terminis tradit laudatus Benedictus XIV. l. c. n. 5. Nec relevat id, quod 1, ad Timoth. 3, ait Apostolus, vetans in Episcopum ordinari *Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*, ex quo ipsos Neophytos, id est, recens ad fidem conversos, irregulares pronunciarunt Concilium Nicænum can. 2. Laodicenum can. 3, Arelatense 11, 1. Nam id solum evincit, non licere, ut qui erat heri Catechumenus, hodie fiat Episcopus, prout explicat textum Apostoli S. Hieronymus, relatus in summa 48 dist. in, quo sensu etiam Origines lib. 5, contra Celsum inquit : *Qui ex Gentili, vel Judæo fit Christianus, aut ex vita prava ad honestam convertitur, ne statim Episcopus fiat.* Propterea aliqui ex DD. asserunt, per annum expectari debere, antequam hujusmodi baptizatus promoveatur ad Ordines, alii per biennium, per decennium alii, alii denique id relinqui autumant arbitrio Episcopi, cum nullum hac de re sit certum tempus definitum a Jure. Cæterum cum prudenti judicio Episcopi satis probatus fuerit humilis moribus, doctrina, ac integræ legis Evangelicæ institutione præditus, uno verbo habens qualitates requisitas, absque ullo timore impactæ irregularitatis utique potest ad Ordines, ac Beneficia promoveri. Majolus de Irregular. lib. 1, cap. 32. Barbosa de Episcop. part. 1, tit. 2. Glossa 17, n. 6. Quod si Sixtus V. Clemens VIII. ac S. Congregatio S. Officii statuere, ne in Regno Portugaliæ descendentes a Judæis promoveantur ad Ordines, teste præfato Sanctissimo Benedicto XIV. ibid. num.

4, id non inficior recte factum fuisse, ac valide; cum enim Summus Pontifex, interveniente justa ac rationabili causa, plenum jus habeat statuendi aliquid, etiam contra jus commune Ecclesiasticum, pro aliqua regione, quando id conferat ad animarum salutem : id eos fecisse in casu credendum est; habet enim Pontifex in hoc sensu omne jus in scrinio pectoris sui : quod tamen de particularibus Episcopis, etiam in Synodo leges statuentibus, non verificatur; ac proinde, absque licentia et approbatione summi Pontificis, nil contra jus commune possunt statuere. = Quantum ad 3, censeo, hujusmodi baptizatum dici posse subditum ratione originis, illius Episcopi, in cujus Diœcesi Baptismum suscepit, uti cum Lamparez num. 400, probabile dicit P. Morenus Opusc. in Bullam *Speculatores*, Innocent. XII. de tit. Originis post dub. 6, num. 135, cui quoad hoc consentire videtur Monacellus Formular. part. 3, in appendice pag. penes me 325, num. 40. Cum enim Baptismus sit spiritualis nativitas, subrogari potest loco nativitatis naturalis.

MENSE MAII.

CAS. I. — Vidit Brutus committi grave furtum in telonio Mercatoris; at quia fures dederunt ei quamdam summam, ne eos manifestet, interrogatus a Mercatore, an fures viderit, negat se illos vidisse. Qu. Primo, an Brutus licite possit sibi retinere summam a furibus acceptam? 2. An si, eo fures manifestante, Mercator facile rem furatam recuperasset, idem Brutus teneatur reficere damnum Mercatori?

Resp. ad primum cum dist. Vel talis summa est pars furti; vel est res quæ erat propria furum. Si primum; dico, Brutum non posse sibi eam licite retinere; cum enim per furtum non transierit ejus dominium in fures, consequens est, quod neque hi potuerint ejusdem dominium in Brutum transferre, qui propterea tenetur eam restituere vero domino, ad quem clamat. Si se-

cundum, dico, Brutum per se posse sibi eam licite retinere, eo quia supposita non manifestatione furum ex parte ipsius, acceptio ac detentio talis summæ injusta non est; et ideo licite potest ab ipso retineri, ut docet S. Thomas in 4, dist. 15, quæst. 2, art. 4, q. 2.

Ad II. *resp.* Brutum ad id teneri in hac hypothesi, solum si tenebatur clamare, seu fures manifestare ex justitia; secus vero si ex sola charitate. Ratio utriusque partis est, quia obligatio reficiendi damnum, sive positive, sive negative illatum, oritur solum ex violata justitia, ut fert communis Doctorum consensus; ergo si Brutus tenebatur ex justitia fures manifestare, ob non factam eorumdem manifestationem tenetur mercatori reficere damnum; non sic vero si tenebatur eos manifestare ex sola charitate; in hoc enim secundo casu violavit quidem charitatem, sed non justitiam. Et hoc valet etiamsi fures non manifestasset ex odio, vel alio pravo affectu; et probabilius etiamsi ex ipsius taciturnitate fures facti fuissent animosiores, ac securiores in furando; ex neutro enim capite peccasset in toto rigore contra justitiam; et nonnisi improprie, ac lato modo posset dici consentiens in damnum, quatenus nempe illud non impedivit, prout tenebatur ex charitate, non vero quatenus illud non impedierit ad id obligatus ex justitia, sicuti requiritur ad hoc, ut quis dicatur, ac sit proprie consentiens, eo scilicet consensu, per quem habetur verus influxus in damnum, et ex quo proinde emergit onus ipsum reficiendi. Navarrus in Man. cap. 17, num. 21. Giribaldus, Rosignolus, et alii.

CAS. II. — Beneficiarius quantum est diligens in recolligendis fructibus e prædio sui beneficii, tantum est negligens in ponendis arboribus, vitibus etc. ubi desunt, se hoc prætextu excusans; quod neque ipse in tali situ invenit arbores, vites etc. Qu. An hoc vere ipsum justificet?

Resp. negat. ut apertissime constat ex ultima Diœcesana Synodo lib. 3, cap. 10, §. *Beneficiati;* idque etiam ipsamet ratio suadet: siquidem Beneficiati sunt bono-

rum Beneficii curatores, ut ibidem legitur; seu procuratores, et certo quodam modo comparari possunt usufructuariis, prout non semel fit comparatio apud Authores. Propterea sicuti procuratoris officium exigit, ac usufructuario incumbit onus plantandi novas arbores, aut vites, ubi desunt, vel demortuæ sunt, ut inter alios tradit Giribaldus de Just. et Jur. cap. 2, num. . . . - ita consimilis obligatio inest Beneficiato in pari casu, in nihilo ipsi suffragante adducto prætextu; licite enim tolerare nequit incultos agros, vitibusque suis viduatas ulmas, sine dote fructifera squalere vineas etc. Hinc enim fit, ut successores plerique in Beneficio congrua sustentatione priventur, et oneribus suis satisfacturi, angustiis premantur, uti prosequitur præfata Synodus: inde progrediens ad remedia, ac comminationem pœnarum contra negligentes melioramenta. Et de facto si contra notabiliter negligentem fiat instantia, hic, aut ejus hæredes adiguntur ad reparationem damnorum; ut constat ex praxi, quod denotat præcedentem obligationem Beneficiarii.

CAS. III. — Applicito casualiter igne horreo frumentario Sempronii, Sejus inde extraxit aliquot corbas tritici, quas sibi retinuit, eo prætextu, quod ignis eas simul cum aliis combussisset. Qu. An id tuta conscientia facere potuerit?

Resp. negat. cum Giribaldo de Restit. Cap. 2, dub. 3, n° 35, aliisque comm. Ratio est, quia res quomodocumque supersit, domini sui est, ac ad ipsum clamat; et servans illam non habet jus nisi ad refectionem expensarum, si quas fecit pro ejus conservatione, et ad mercedem pro opera ad illam servandam præstita, juxta meritum laboris, ac periculi ad eamdem eripiendam. Propterea hisce refectis tenetur Sempronio extractas tritici corbas restituere, utpote domino earumdem. Neque dicas, quod triticum eo in casu, ac statu erat nullius valoris, et habebatur tanquam res derelicta: utrumque enim falsum est; nam quousque frumentum in suo esse existit, suum habet valorem; nec derelictum a Sempronio proprie dici poterat, cum ejusdem dominium

nunquam abdicasset, ac totum, si potuisset, perquam libenter a flammis eripuisset. Deinde quamvis Sejus ipsum fecerit melioris conditionis, nihil refert; status enim ad rem ipsam pertinet, quæ domino suo debetur.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Rusticus occasione Missionum factus est certior, quod per biennium omisit in Confessionibus plura lethalia, quæ ex conscientia erronea, sed vincibili, ipse putabat venialia. Qu. An debeat iterare hujusmodi Confessiones ?

Resp. per se loquendo ipsum iterare debere hujusmodi Confessiones. Ratio est, quia semel ac omissio plurium lethalium in Confessionibus ortum habuit ex conscientia erronea vincibili, per se non fuit immunis a culpa; nam stante vincibilitate illius erronei dictaminis, tenebatur prius inquirere, an illa peccata mortalia essent, nec ne, antequam eorumdem Confessionem omitteret; ut docent Theologi communiter, ubi sermo est de conscientia erronea vincibili; eaque omittere in Confessionibus non adhibita tali diligentia, et inquisitione, idem erat, ac voluntarie se exponere periculo confitendi absque debita integritate, prout de facto contigit. Propterea cum hoc fuerit male ac sacrilege confiteri, dicendum est, Rusticum in casu iterare debere hujusmodi Confessiones; ut tradunt Leander de Sacr. Pœnit. disp., 5, quæst. 70. Philippinus de Privil. Ignor. cap. 15, privil. 4, num. 887, ac Puteobonellus de Pœnit. quæst. 3, art. 7, num. 5. Dixi tamen ab initio *per se loquendo*, eo quia fieri potest, quod rusticus, non obstante illa conscientia erronea vincibili quoad prædicta peccata, habuerit tempore illarum Confessionum conscientiam erroneam, seu ignorantiam invincibilem quoad præceptum et obligationem inquirendi veritatem, aut de iis se accusandi in Confessione; dantur enim, teste Philippino l. c. privil. 3, n. 883, et aliis, homines adeo rudes, ut id invincibiliter ignorent; idque quandoque evenire etiam in pueris, ac puellis, testantur

Fagundez de 2. Eccl. præc. lib. 3, cap. 3, ac Henriquez de Pœnit. lib. 2, cap. 12. Quare si Rusticus revera laborasset hac invincibili ignorantia, tunc non inficior, quod per accidens, ac ratione ejusdem ignorantiæ, prædictæ Confessiones fuissent integræ formaliter; sicque nulla adesset necessitas easdem repetendi, sed tantum exponendi lethalia prius omissa, ac postea ab eo cognita ut necessario clavibus subjicienda; ut docet Bonacina de Pœnit. disp. 5, quæst. 5, sect. 2, punct. 2, § 3, diffic. 4, num. 2.

CAS. II. — Constitutus in gravi periculo mortis, metuens sibi superesse modicum temporis, exposuit quidem peccata sua distincte quoad speciem, ex. gr. *Commisi plura perjuria etc.* sed non quoad numerum. Nunc, cum convaluerit, suæque velit animæ prospicere, petit a Confessario, an teneatur iterum confiteri, exprimendo etiam numerum? Quid respondet Confessarius?

Respondet, quoad mortalia teneri. Ratio est, quia ad integritatem Confessionis spectat, ut non solum manifestentur peccata specie distincta; sed etiam, ut quantum fieri potest, distincte manifestetur numerus peccatorum mortalium in qualibet specie, non quidem numerando singula peccata, quod esset molestum, et inutile, sed uno verbo explicando numerum cujuslibet speciei: puta, decies pejeravi; duodecies blasphemavi etc. nam secus nequit Confessarius rite, ac recte exercere munus suum, ut aperte insinuat Tridentinum sess. 14, cap. 5. Cum ergo Pœnitens, dicendo, *Commisi plura perjuria etc.* distincte non expresserit numerum, quinimo nec numerum verisimilem; sed tantum in confuso dixerit, se pluries peccasse, in tali et tali specie; ideo dicendum ipsum teneri etc. prout est usus, et praxis totius Ecclesiæ, ac communis consensus DD.

CAS. III. — Marculfa defert ad mercatum ova, quorum aliqua sunt recentia, alia vero non; omnia tamen sunt carbone signata. Interrogata, an sint recentia, tangens illa quæ vere sunt, affirmat cum juramento, ac credit se hoc posse facere. Quid dicendum?

Dicendum, Marculfam non posse id facere, sed male se gerere tum deferendo singula ova carbone signata, quando omnia recentia non sunt, tum affirmando cum juramento, ea esse recentia; ipsamque a vero aberrare, si credit, se hoc posse facere. Ratio primi est, quia deferre singula ova carbone signata, quando etc. clare denotat animum decipiendi proximum, vendendo pro recentibus quæ talia non sunt; nam obsignatio cum carbone hic est consuetum signum distinguens ova recentia a non recentibus. Unde cum talis animus pravus sit, ac peccaminosus, dicendum, ipsam id faciendo male se gerere. Ratio secundi est, quia in primis sic se gerendo non videtur excusabilis ab usu illicitæ restrictionis mentalis : nam quamvis, dum affirmat cum juramento ova esse recentia, manu tangat ea, quæ vere talia sunt; id tamen ita facit, ac in talibus circumstantiis, ut etiam vir prudens, et oculatus, eo tactu non obstante, facillime decipiatur, nec venire possit in cognitionem veritatis, nisi ad summum per suspicionem quamdam, stantibus ex adverso universali obsignatione ovorum, absoluta ac indefinita affirmatione, et juramento, quod illa recentia sint. Deinde tunc non intervenit ullum grave motivum, nec ulla causa vere gravis, et rationabilis utendi ea locutione amphibologica. Hinc cum omnes conveniant, teste Giribaldo de Juram. et Vot. cap. 3, dub. 2, num. 19, non esse licitum uti verbis æquivocis, et amphibologicis absque gravi et rationabili causa, et multo minus juramento firmare ea, quæ sub æquivocatione, et amphibologia dicuntur, quia tota destrueretur civilis, et politica societas, ac humanum commercium, si absque justa, et rationabili causa posset homo loqui, et jurare in sensu diverso ab eo, quem audientes communiter percipiunt, multisque dolis, et fallaciis aditus aperiretur, cum gravissimo præjudicio humanæ societatis, ac humani commercii; ideo dicendum, etiam ob hoc, non posse Marculfam id facere, et per consequens ipsam a veritate aberrare, si oppositum putat.

MENSE JULII.

CAS. I. — Paterfamilias filio suo perpetuo amenti præbet carnes comedendas etiam diebus Veneris, et Sabbati; eumque laborare facit diebus festis. Qu. An licite? 2, An hoc idem fieri possit cum eo, qui actu habet lucida intervalla? 3. An sit mortale excitare actu amentem ad iram taliter, ut quid turpe, aut blasphemum proferat?

Resp. ad I. affirm. cum Layman de Legib. cap. 10, num. 1 et 3. Giribaldo, aliisque comm. dummodo tamen absit scandalum, contemptus legis, et alius quilibet pravus finis; ac simul cum amente non occupetur alter, qui teneatur ad legis observantiam. Ratio est, quia perpetuo amens, utpote impotens operari humano modo, non subditur legibus ista vetantibus; nam lex, seu præceptum, est vinculum rationis, ut ait Angelicus quæst. 17, de Verit. art. 3. Propterea ministrare illi carnes ad comedendum diebus Veneris, et Sabbati, ac facere ipsum laborare diebus festis, non est illum inducere ad violationem legis, cum ei non subsit; sed est ipsum inducere ad actionem, in eo statu ipsi licitam, ut recte inquit P. Cuniliati de leg. § 8, in 5, ac proinde in hoc nullum est malum. Dixi tamen, *dummodo absit etc.* nam certe, si id faciendo interveniret scandalum, aut etc. id facere non liceret, ut explicuimus ann. 1749, ad 2 Febr.

Ad II. *resp.* licite fieri non posse, ut habens lucida intervalla laboret in die festo; posse tamen, etiam eo tunc, illi ministrari carnes die Veneris, et Sabbati. Ratio primæ partis est, quia, cum tunc sit sui compos, ac proinde capax, ac potens servare legem, hæc pro ea circumstantia ipsum adstringit: quemadmodum juxta Sanchez in Decal. lib. 2 cap. 12, num. 4, et de Matr. lib. 1, disp. 8, num. 23, amentes in una sola materia, a lege adstringuntur quoad reliqua, circa quæ sunt sui compotes, ac usu rationis perfruuntur. Ratio sec. part. est, quia licet amens quandoque habeat lucida intervalla, non per hoc est liber a suo morbo, ad cujus curationem

non ita conferunt alii cibi, ut carnes, et ideo etiam tunc possunt ei ministrari. Vide Sanchez l. 2, num. 13 et 16, ac Layman. ibid. num. 3.

Ad III. *resp.* esse mortale excitare actu amentem ad iram taliter, ut proferat quid blasphemum, vel graviter turpe, aut scandalosum ; nam hæc gravia sunt ex genere suo. Esset tamen leve, ipsum excitare ad levem iracundiam, ac aliquid veniale. Ratio utriusque est, quia ex una parte nunquam caret culpa excitare ad id, quod malum est; id enim est positive inducere ad malum ; ex alia ipsa excitatio est gravis, aut levis, prout est malum ipsum, ad quod inducit ; siquidem per inductionem ad illud, participat, imo ponitur in eodem genere mali. Nec refert, quod amens eo tunc, utpote sui impos, nullo modo peccet ; nam si non peccat ipse, peccat tamen inducens, qui eo utitur, tanquam instrumento, ad malum perpetrandum, ac est causa principalis, et quodammodo per amentem malum faciens. Layman ib. num. 13, aliique comm.

CAS. II. — Conscius Filiusfamilias, quod suus Pater plura legaverat ad pias causas, importunis precibus eumdem induxit ad mutationem Testamenti, et ad relinquendum ipsum hæredem absque ullo onere. Qu. An peccaverit, ac teneatur aliquid restituere iis, quibus Pater prius Legatum reliquerat ?

Resp. negat. si solis precibus, licet importunis, ac proinde seclusa vi, metu, mendaciis, ac dolo, id præstitit. Ratio est, quia in tali casu non peccavit contra justitiam, neque contra charitatem. Non contra justitiam; quia etiamsi Pater jam plura legasset ad pias causas, tamen nec ulla persona, nec ullus locus adhuc acquisiverat aliquod jus supra sibi legata : et de facto si Pater a semetipso Testamentum mutasset eodem modo, nulli fecisset injuriam, atque injustitiam. Propterea cum per inductionem Patris ad mutationem Testamenti Filiusfamilias nullius jus proprie violaverit, consequens est, quod etiam ipse non peccaverit contra justitiam; cujus læsio solum intervenit, quando læditur jus alie-

num. Hinc cum obligatio restituendi, ratione damni dati, sine violatione justitiæ non emergat, ut supra notavimus ad 2 Maii; ideo dici debet, quod Filiusfamilias in casu ad nullam restitutionem teneatur iis, quibus Pater prius Legatum reliquerat. Bonacina de Restit. disp. 1, qu. 2, punct. 12, num. 5. Barthol. a S. Fausto Spec. disp. 18, quæst. 1, et clare decisum videtur in l. ult. *C. Si quis aliquem testari prohibuerit*, ubi dicitur, eum, qui blanditiis, sine vi, metu, mendaciis, vel dolo, Testamentum mutari, aut Legata transferri in alterum fecit, ad restitutionem non obligari. Neque peccavit contra charitatem; nam potius ordinata Charitas postulat, ut quisque sibi velit bonum aliquod, quam aliis, præcipue si Filius habeat familiam numerosam etc. Excipe tamen casum, quo Filiusfamilias id fecerit ex odio, vindicta, vel alio pravo animo; tunc enim certum est, quod ratione istius pravi animi peccasset contra charitatem.

CAS. III. — Insolescentibus filiis, Materfamilias quandoque jurat per Deum, se ipsos verberaturam; nec tamen id unquam exequitur. Qu. An, et qualiter peccet?

Respond. cum dist. Vel Materfamilias, talia proferens, eadem profert cum animo vere jurandi, ac implendi id, quod jurat: vel non. Si non, sed hisce verbis utitur veluti quodam modo usurpato ad deterrendos filios, ut ab insolentiis desistant, ac recte se gerant; dico, ipsam quidem peccare, quoties id facit, peccato irreligiositatis, quatenus irreligiose, ac ex passione sic nominat Deum, cujus sanctum, ac terribile nomen vel debita cum veneratione nominandum, vel omittendum est; sed non peccare mortaliter: tum quia id facit ex quodam passionis impetu, advertentiam ac deliberationem in malum minuente; tum quia non habet animum formaliter abutendi nomine Dei, ipsumque injuriandi. Si postea prædicta profert cum animo vere jurandi, ac implendi id, quod jurat; subdistinguo: vel talia proferendo jurat, se filios verberaturam verberatione discreta, et proportionata insolentiæ filiorum; et in tali casu dico, quod quoties id non exequitur, absque rationabili, ac vere urgenti motivo,

peccat mortaliter contra Religionem, eo quia in re gravi violat promissionem juratam, de re licita, imo præcepta parentibus ; item mortaliter peccat contra obligationem officii sui; cum parentes teneantur ex officio objurgare et castigare filios discolos, ad eorumdem emendationem ac salutem ; nam discreta verberatio expedit ad Dei obsequium, filiorumque emendationem. Sanchez in Decal. lib. 5, cap. 9, num. 16. Vel jurat, se illos verberaturam verberatione indiscreta, et improportionata insolentiæ filiorum; et tunc dico, ipsam peccare mortaliter sic jurando, nisi defectus plenæ advertentiæ, aut deliberationis ipsam excuset : sicuti enim mortale est, ipsos verberare indiscrete, ac immoderate, juxta Bonacinam in Decal. disp. 6, quæst. un. punct. 6, num. 5, ita quoque mortale est, plena cum advertentia ac deliberatione jurare verberationem indiscretam, ac immoderatam ; proinde talis verberationis omissio Matrifamilias in casu non est culpabilis ; quemadmodum neque esset culpabilis omissio verberationis etiam discretæ, si hæc omitteretur ob interpositionem amici, veniam pro aliqua vice obtinentis, ne sequatur aliquod gravius malum. Vide Sanch. l. c. ac Girib.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Ruffilius invisendæ amasiæ causa fecit in die jejunii longum, ac laboriosum iter ; unde postea valde fatigatus jejunium fregit. Qu. An fractio jejunii sit ei imputabilis ad culpam?

Resp. cum dist. Vel Ruffilius, suscipiendo tale iter longum, ac laboriosum, prævidit, quod illud faciendo fieret moraliter impotens ad jejunandum tali die ; vel non prævidit. Si prævidit ; dico, fractionem jejunii esse illi imputabilem ad culpam, eo quia, stante tali prævisione, tenebatur abstinere ab illo itinere longo, et laborioso ; cum præceptum obligans ad aliquid, simul et semel obliget ad non apponendum voluntarie impedimentum executioni rei præceptæ, ac virtualiter prohibeat omnes actus, qui sunt causæ non rationabiles omittendi ejusdem præcepti

observantiam ; ut docent innumeri DD. apud Bossium disceptat 4. Si non prævidit; dico, fractionem jejunii, etiamsi ex ejus culpa proficiscentem, non esse illi imputabilem ad culpam ; quia impotentia vere talis excusat ; nam ad impossibile nemo tenetur, quocumque ex capite isthæc impossibilitas proficiscatur, ideoque etiamsi proveniat ex causa aliunde culpabili.

CAS. II.— Vivit Sergius cum paupere Concubina, perinde ac si esset sua Uxor; et de facto in tota vicinia legitima ejus uxor reputatur; Sergius enim eidem consignavit nedum clavem domus, verum etiam omnes alias claves, quas tenere solent legitimæ uxores. Jam vero contigit, quod illa, inscio Sergio, plures ejusdem res domesticas vendidit, puta, vestes, linteola, subuculas, aliaque hujusmodi, cum Sergii damno notabili, quorum etiam pretium consumpsit. Qu. An qui penes se habent hujusmodi res emptas, inconfusas, aut a propriis discernibiles, teneantur eas Sergio reclamanti restituere ?

Resp. cum communi affirmat. Res enim clamat ad dominum, et sic in casu ad Sergium, qui est verus dominus hujusmodi rerum adhuc extantium; nam, cum Concubina earumdem dominium non haberet, non potuit tale dominium transferre in emptores, qui propterea tenentur eas restituere Sergio. Nec istos eximit ab hoc onere consignatio clavium ab eo facta Concubinæ ; etenim non per hoc ipsam effecit dominam rerum domesticarum, sed tantum custodem ; proindeque ementes ab ipsa, excusantur quidem a peccato, si bona fide emerunt, non tamen ab onere restitutionis, si penes ipsos res adhuc extat : ut patet in eo, qui bona fide aliquid emit a fure, quem (saltem in casu, quo nequit emptionis contractum rescindere, ac pretium a se solutum recuperare) DD. communiter obligant rem domino restituere.

CAS. III. — Commisit Ammonius incestum cum propria Sorore; cum tamen confitetur, reticet Sororis circumstantiam, exprimitque, se peccasse cum Consanguinea. Qu. An irrita sit talis Confessio?

Resp. In sententia admittentium necessitatem exprimendi circumstantias notabiliter aggravantes, talem Confessionem per se irritam esse, eo quia incestus cum consanguinea in primo, et etiam in secundo gradu, importat quid plus (et quidem notabiliter) deformitatis, irreverentiæ, ac impietatis, quam cum consanguineis in aliis gradibus; ut ex eo fit manifestum, quod Episcopi communiter incestum sibi reservant in primo et secundo gradu, non sic in aliis. Quoniam vero patroni sententiæ contrariæ suam quoque opinionem dicunt in praxi tutam, ut videre est apud Cardenam Cris. dissert. 2, c. 6, art. 3, eamque ultra Scotum, et D. Bonaventuram, tradidisse videtur S. Thomas in 4, dist. 16, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 3, et alibi; ideo cohærenter ad hanc sic distinguo : vel Ammonius confessus est penes Confessarium simplicem; vel penes habentem facultatem etiam in casus reservatos. Si primum; dico, talem Confessionem esse irritam, si forte non concurrerint, quæ dederint locum validæ, ac licitæ Absolutioni indirectæ præfati incestus. Ratio est, quia simplex Confessarius carebat facultate ipsum absolvendi a tali casu reservato, et sic non potuit ipsum valide absolvere. Si secundum; dico, talem Confessionem per se non esse irritam, sed validam. Ratio est, quia licet incestus cum Sorore vere gravior sit, quam cum consanguinea ulterioris gradus; tamen magis ac minus non variant speciem, et malitia specifica utriusque in ambobus casibus consistit in gravi injuria facta sanguini per illicitam copulam; unde, exprimendo se peccasse cum consanguinea, expressit Ammonius totam malitiam specificam peccati a se commissi. Hinc cum confessus fuerit, ac obtinuerit absolutionem a Confessario, qui valide poterat ipsum absolvere ab incestu, etiam cum Sorore, valida dici debet talis Confessio.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Titius Mercator, ut daret mutuum amico, reliquit certam quamdam negotiationem, ratione cujus illi cessat lucrum; sed ratione suæ industriæ tantumdem

acquirit ab alio exercitio, cui se applicuit, ac si pecuniam implicasset. Qu. An juste possit exigere a Mutuatario lucrum cessans ob negotiationem omissam ?

Resp. affirm. Ratio est, quia lucrum, quod Titius percipit a novo exercitio, nullo modo dependet ab Amico mutuatario, cum hic nullum præstet influxum in tale exercitium ; nec proprie Titio provenit ratione mutui, sed ratione exercitii, cui ipse se applicuit, et in quo se exercet ; propterea non impedit, quominus Titius juste exigere valeat ab amico pactam compensationem lucri sibi cessantis ob negotiationem omissam : ex quo enim tali novo exercitio lucrativo se applicuit, non cessit juri suo in ordine ad dictam compensationem, quam proinde licite exigere potest. Neque dicas : Non facta mutuatione Titius percepturus non fuisset hujusmodi lucrum ex tali exercitio ; ergo mutuatio est causa talis lucri, quo proinde compensatur non perceptum ob omissam negotiationem. Contra enim : in hoc argumento intervenit fallacia *a non causa, ut causa*, ut inquiunt Dialectici : hinc sicuti recte non concluderet dicens : Si tibi furtum factum non fuisset, non laborasses, neque ex labore tantum lucri percepisses, quantum tibi per furtum fuit ablatum ; ergo furtum est causa talis lucri, sicque fur nihil restituere tenetur ; ita nec recte concludit objecta ratio ; per consequens Titius Mercator potest utique exigere, etc., quidquid in contrarium dicat Lessius de Just. cap. 20, dub. 11, n. 85. Vide Rosignolum de Mut. et Usur. disquis. 6, § 5.

CAS. II. — Parochus excommunicatus denuntiatus assistit Matrimonio Parochiani, qui in articulo mortis ducit Uxorem, quam ante habebat Concubinam. Qu. An valide, ac licite assistat ?

Resp. valide, ac licite assistere ; dummodo tamen non sit hæreticus, vel actu a Beneficio depositus. Ratio quoad valide in primis desumitur ex declaratione S. Congregationis, relata a Fagnano in cap. *Quod a prædecessore* n. 81, de Schismat. tom. 6. Deinde assistentia Parochi non est actus jurisdictionis, sed auctoritas præ-

stita per præsentiam testis auctorizabilis; ut patet ex eo, quod actus jurisdictionis nequit fieri ab invito, et contrariam intentionem habente; et tamen valet Matrimonium contractum coram Parocho invito, ac Sponsos increpante : ut pluries declaravit eadem S. Congregatio. Ergo cum, non obstante Excommunicatione, adhuc in eo perseveret cum Beneficio isthæc auctoritas, valide assistit, etc. Ratio postea quoad licite hæc est, quia talis assistentia non est mala ex genere suo, cum non sit exercitium Ordinis, aut jurisdictionis, quod per Excommunicationem tantum impeditur; nec est mala, quia prohibita, cum non constet de jure id prohibente : ergo tali Matrimonio assistit etiam licite. Neque dicas, hanc assistentiam esse communicationem, ab Ecclesia prohibitam excommunicatis. Contra enim : ut hæc fiat licite, non requiritur necessitas absoluta, sed sufficit necessitas ad melius esse, imo et utilitas, ut constat ex illis causis excusantibus, *Utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*. Porro quis neget, inesse contrahentibus in præfato casu hanc necessitatem, vel saltem utilitatem, præcipue si degant in loco valde dissitø ab Ordinario? Rosign. de Matr. 1, prænot. 29, n. 1, et 4.

CAS. III. — Sergius initurus Matrimonium per Procuratorem, mittit speciale mandatum fœminæ, ut hæc nomine ipsius illud contrahat cum Sponsa; quod illa de facto peragit. Qu. An tale Matrimonium sit validum?

Resp. affirm. Ratio est, quia nullibi reperitur præscriptum, quod nequeat fœmina ad id deputari, et ad id peragendum aliud non requiritur, quam quod habens speciale mandatum, nomine sui principalis, deferat, ac respective acceptet ab altera parte consensum in Matrimonium; quod, ut patet, æque effici potest a Fœmina, ac a Mare; ideoque dicendum, quod si in casu id fiat, tale Matrimonium est validum. Sanchez, Rosignolus, et alii comm.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Eustorgius, vir improbus, sæpissime sollicitat ad turpia Rosam suam Cognatam, in eadem domo manentem, quæ multoties ob ejus importunas preces, et minas, assentitur, et absque ulla dispensatione reddit, ac etiam petit debitum a Viro suo. Accedit tamen frequenter ad Sacramentum Pœnitentiæ cum animo vere abstinendi a nefario concubitu Cognati. Qu. primo, an Rosa sit capax Absolutionis; et quæ remedia sint ei assignanda a Confessario, ut impediat tale peccatum? Secundo. An Confessarius teneatur eam admonere de impedimento Affinitatis, contracto cum Marito in ordine ad copulam? Tertio. An de licentia Rosæ possit Confessarius monere ejus Cognatum, ut abstineat a tali nefario incestu; et quomodo in tali monitione debeat se gerere Confessarius?

Resp. ad prim. cum dist. Vel Rosa multoties peccato consentiens, et ad Pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedens cum animo, etc., dat aliquod signum emendationis; vel non. Si non; dico, ipsam pro eo tunc non esse capacem Absolutionis; illa enim nullimoda emendatio, non obstante frequenti accessu ad Pœnitentiæ Sacramentum, satis denotat, ejusdem animum abstinendi a nefario concubitu Cognati proprie non esse verum, sed apparentem, ac imaginarium; ac proinde, usquequo vere non dat aliquod emendationis signum, illi suspendenda est Absolutio, eidem suggerendo, quod procuret non stare sola cum solo; et si Cognatus eam insequitur, ipsique minatur, ejusdem minas non timeat; et si hic eas exequi tentat, quod vocet domesticos, et si opus est, quod, sumpto aliquo prætextu, hortetur Virum suum ad habitandum divisim a fratre; interim Deo enixius se commendans, qui adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione. Si postea ipsa dat aliquod signum emendationis; tunc dico, ipsam esse capacem Absolutionis, hancque ei posse licite impertiri, si vere ostendit animum abstinendi, etc., ac adhibendi præscripta remedia; nam tunc efformari potest judicium prudens, quod

ipsa habeat de præcedentibus verum dolorem, ac firmum propositum amplius non peccandi in illa occasione, eamque, Deo opitulante, avertendi; maxime cum non sit volita, ipsaque faciat quod potest ad illam evadendam. Cardenas dissert. 40, cap. 5, n. 123.

Ad II resp. pariter cum distinctione. Vel monitio speratur profutura; puta, quia hæc in posterum eam magis avertet a peccando cum Cognato, et ipsa probabiliter non petet debitum a Marito ante obtentam dispensationem; et tunc dico, Confessarium teneri ipsam admonere, quod debet quidem reddere Marito petenti, ipsa tamen non potest ab illo petere debitum, ob incestum commissum cum Cognato, antequam obtinuerit dispensationem ab Episcopo, vel Confessario privilegiato. Ratio est, quia sic melius præcludit aditum novo relapsui Pœnitentis. Vel munitio non speratur profutura; et tunc dico, Confessarium non teneri ipsam monere, imo melius ac consultius esse tacere, si ea quoad hoc est in bona fide, ac invincibiliter ignoret affinitatem cum Marito contractam. Ratio est, quia ipsam monere in tali casu, esset potius ipsi injicere laqueum ad peccandum; quod plane cavendum est, ut de se patet.

Resp. ad III. posse, supposito quod Rosa sua sponte, ac expresse id ei commiserit. Ratio est, quia sigillum Sacramentale ex se participat naturam cujusvis alterius secreti, cujus usus pendet ex prudenti voluntate deponentis. Hinc sicuti fidens aliquod aliud secretum alicui, potest huic permittere, ut in aliqua honesta circumstantia, pro sua prudentia, eodem cum aliquo utatur; ac deponens indulgere, ut depositarius in aliquo peculiari casu utatur re penes ipsum deposita; ita et Pœnitens, in cujus favorem inductum est sigillum Sacramentale, potest, etc.; sicque, de expressa, et spontanea commissione Rosæ, potest Confessarius monere Cognatum illius, ut abstineat etc. præcipue cum nulla extet lex id prohibens. Suarez, de Pœnit. disp. 34, sect. 4, aliique comm. In hac tamen monitione facienda, opus est Confessario magna prudenti; correcto in primis leniter manifestando notitiam, quam habet de delicto ab eo commisso cum Ro-

sa; dein faciendo illi cognoscere, quam grave sit istud peccatum, ac scandalum Rosæ datum; quanta ob id ipsius simul, ac Rosæ spiritualis miseria, cui periculo subsint æternæ damnationis, ni resipiscant etc. eumque sic hortando ad Confessionem quamprimum, ac veram emendationem, practice ostendet, quomodo in tali monitione debeat se gerere Confessarius.

CAS. II. — Cum ex promissione nuptiarum, et adulterione, factis, stante eodem Conjugio, oriatur impedimentum Criminis. Qu. I. An hoc oriatur casu, quo promissio intervenerit sub uno Matrimonio, et adulterium sub alio? Et dato quod tunc non oriatur, ad promissionem, et adulterium prærequiratur Matrimonium consummatum? II. An dicta promissio debeat esse mutua, sincera, et absoluta; an vero sufficiat (cum adulterio) promissio ab una alteri facta, vel etiam promissio ficta, aut conditionalis? III. An simul cum promissione sufficiat copula absque immissione seminis intra vas; aut copula completa, sed habita cum ignorantia crassa actualis Conjugii? IV. Denique an tale impedimentum incurrant, qui fecerunt quidem promissionem et adulterium, sed inscii, quod his annexum esset tale impedimentum.

Resp. ad I *neg.* quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia licet Sacri Canones expresse non dicant, utrumque occurrere debere sub eodem Conjugio: tamen id exprimunt æquivalenter, et quantum sufficit ad id percipiendum; nam cap. fin. *De eo, qui duxit etc.*, sic dicitur: *Si quis, Uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum: vel cum ipsa de facto contraxit.... tolerari non debet* (subintellige Matrimonium) *si prius, vel postea* (nempe, si antequam, vel postquam cum hac secunda contraxit) *dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Ubi notandum, quod ibi est sermo de eadem prima uxore vivente; et de promissione, ac adulterio, factis *dum vixerit uxor ipsius;* et per consequens de promissione, et adulterio, factis cum eodem Conjugio. Nec valet id, quod ibidem inquit celebris Joannes Andreas, scilicet quod, etiamsi quis dederit alteri fidem in primo Conjugio, et commiserit adulterium

in secundo, adhuc verum est dicere, quod, constante Matrimonio legitimo, dedit illi fidem, et eam cognovit; et sic quod secundum Matrimonium non habet remorari impedimentum. Non valet, inquam; in primis namque ad hoc respondet Abbas Panormitanus ibidem, quod semel ac, non obstante fide uni data stante primo Matrimonio, contrahit postea secundum cum alia, jam per hoc videtur recessisse a fide, ac promissionem ipsomet facto retractasse; et sic, constante hoc secundo Conjugio, superest solum adulterium, quod se solo non inducit istud impedimentum: præcipue cum ideo Jura istud induxerint, ne quis uxori viventi machinetur mortem spe illam ducendi, cui fidem dedit: quæ ratio cessat, statim ac, mortua uxore, non istam, cui promisit, sed aliam ducere voluit. Deinde si promissio in uno, et adulterium fuit in alio Conjugio commissum, jam hæc duo non intervenerunt *uxore vivente* in singulari, sed viventibus successive *uxoribus;* neutrius enim respectivo tempore evenit utrumque, prout cæteroquin et utroque fit mentio in præfato cap. fin. tanquam secuto *vivente uxore*, *ac dum vixerit uxor ipsius*. Ergo, ut oriatur dictum impedimentum, debet utrumque concurrere, stante eodem Conjugio, prout canonicam sanctionem intelligunt Theologi et Canonistæ communiter. Ratio postea secundæ partis est, quia etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum, tamen carnalis concubitus cum alterius sponsa de præsenti, est verum adulterium, simul involvens etiam malitiam stupri, si hæc erat virgo; est enim adulterium, quatenus est carnalis concubitus cum alteri nupta. Anacletus in 4. Decret. tit. 7, n. 6. Consensus namque, et non concubitus, nuptias facit, ut ait Ulpianus in l. *Cum suorum* ff. de Reg. Jur. Cumque Matrimonium definiatur, Conjunctio viri ac mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens, ly *Conjunctio* animorum conjunctionem significat. Propterea Matrimonialis contractus, per textum in l. *Nuptias* ff. de Nuptiis, solo animorum consensu perficitur; ideoque inter Sanctissimam Virginem ac S. Joseph verum extitit Matrimonium. Unde colligitur, quod si talis concubitus est verum adulterium, quamvis Matrimonium nondum

fuerit consummatum, eodem simul ac promissione concurrentibus, utique emergit Criminis impedimentum. Addidi postea, dictum carnalem concubitum simul involvere etiam malitiam stupri, si fuerit cum virgine; eo quia in casu, ultra injustitiam factam sponso, habenti jus in re, et injuriam irrogatam Sacramento, intervenit defloratio, ac propria fractio claustri Virginalis, etc. quæ est circumstantia specifica, diversa ab illa adulterii, et proinde necessario exprimenda; ut inter alios tradit Puteobonellus de Pœnit. q. 3, art. 4, num. 19, necessitatem hujus expressionis propterea extendens simul ad circumstantiam, et qualitatem personæ, dum agitur de copula cum Sponsa de futuro.

Quantum ad II. *resp.*, necesse non esse, quod promissio sit mutua; sed satis esse, quod ab uno sit alteri facta, dummodo ab hoc sit acceptata. Ratio in primis desumitur ex cap. *Significasti* 6. *De eo, qui duxit;* ubi legitur: *Si alter fidem eorum dederit de Matrimonio contrahendo:* quæ verba, ut recte notat Anacletus l. c. num. 1, unius promissione verificantur. Deinde nullibi habetur necessitas repromissionis in casu ex altera parte, cujus etiam acceptatio satis inducit periculum captandæ mortis Conjugis (ad quod præcavendum hujusmodi promissionem jura vetarunt), et sic quoad effectum, ac finem, acceptatio æquivalet repromissioni. Non sufficit tamen simplex pollicitatio, nempe promissio absque acceptatione; tum quia sine hac non ita facile inducitur spes futuri conjugii, et successive votum captandæ mortis; tum etiam quia, cum simus in casu delicti admittendi, et obligationis personalis, taciturnitas non habetur pro consensu; ideoque requiritur vel repromissio, vel saltem acceptatio expressa promissionis factæ ab altera parte; quamvis hæc acceptatio exprimi possit verbis, vel signis æquivalentibus, ut cum Menochio, et aliis tradit Marcus Paulus Leo in Praxi ad Lit. M. Pœnit. part. 2, de form. dispens. Matr. pag. 199. Non est quoque necesse, quod promissio in casu sincera sit, et facta cum intentione adimplendi quod promittitur; siquidem ad inducendum Criminis impedimentum non requiritur,

quod promittens interne ex animo sincero et valide promittat, alias cum hujusmodi promissio, quantumvis facta cum juramento, utpote dans ansam captandæ mortis, ideoque a Jure reprobata, nunquam valida sit, nunquam induceret istud impedimentum. Sufficit ergo, quod sit seria externe, adeo ut, quando fit, non appareat facta ex joco, ac ficte, sed omnibus circumstantiis rite perpensis, parti promissariæ videatur vera, et ab ea proinde acceptetur; tunc enim apta est provocare ad votum captandæ mortis conjugis, et sic una cum adulterio sufficit ad pariendum impedimentum, ut cum Jo. Andrea, et Sanchez, docent laudatus M. Paulus Leo ibid. pag. 198. et Continuator Oper. Tournely de Dispen. in Spec. part. 1, cap. 5, num. 1, in fine : Ecclesia namque, ut ab his perpetrandis, imo et machinandis, ac intendendis, deterreret, apposuit hoc Criminis impedimentum. Denique non est necesse, quod præfata promissio sit absoluta, sed sufficit conditionalis, quamvis conditio apposita esset turpis, aut impossibilis, vel etiam contra substantiam Matrimonii, dummodo sit acceptata. Ratio est, quia, ut per promissionem inducatur præfatum impedimentum dirimens, non est necesse, ut promissio sit valida; cum, sive sit absoluta, sive conditionalis, nunquam valida esse possit, ut dictum est, ac aliunde det ansam captandæ mortis, etc., quod leges cavere voluerunt. Ita post alios Continuator Oper. Tournely l. c. num. 2, casum excipiens, quo conditio tali modo apponeretur, ut ipsam promissionem subverteret : puta, si vir puellæ promittat sub conditione, quod eam virginem deprehendat, et in concubitu clare comperiatur ipsam jam diu a virginitate excidisse.

Quantum ad III. *resp.* cum communi, non sufficere cum promissione copulam absque immissione seminis intra vas, quidquid sentiat in contrarium Anacletus loco supra cit. num. 13. Adulterium namque est species naturalis luxuriæ consummatæ intra vas fœminæ generationi deserviens, ac proinde hujusmodi consummatio requiritur ad inducendum impedimentum, præcipue cum simus in materia pœnali; ut tradit etiam Anacletus ipse

in sua Theologia Moral. tract. 14, dist. 14, quæst. 4. § 9, num. 95, simplex namque penetratio, non est adulterium, nisi inchoatum; et quando lex inducit aliquid ex facto aliquo, requiritur, ut illud factum sit perfectum, et non inchoatum tantum, maxime in pœnalibus; ut docent Panormitanus l. c. num. 2, Innocentius de Spons. aliique passim. = An postea sufficiat copula completa, sed habita cum ignorantia crassa actualis Conjugii, affirmat l. c. præfatus Continuator Tournely, quia ignorantia voluntaria, nec a crimine, nec a criminis pœna excusat; et hanc inquit esse communem DD. sententiam. Negat nihilominus Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 79, num. 38, et M. Paulus Leo cum aliis, quia adulterium debet esse utrinque formale; imo ignorans non committit adulterium, ut colligitur ex cap. 1, *De eo, qui duxit*, ubi Glossa in v. *Insciam*. Nec refert, quod in casu ignorantia Conjugii, utpote crassa, fuerit culpabilis; nam cum hic agatur de ignorantia facti, quælibet ignorantia, etiam crassa, excusat a formali adulterio, juxta cap. *Ignorantia* 15, de regula Jur. in 6, et ideo ab incursione hujus impedimenti; nam adulterium non committitur sine dolo malo, l. penult, ff. ad leg. Jul. de Adult.; ubi autem requiritur dolus, non satis est lata culpa, juxta Glossam communit. receptam in l. *Magna negligentia* 266, v. *Dolus* ff. de verb. de signif.; ideoque qui habuit copulam completam cum ignorantia actualis Conjugii, quantumvis crassa, non contraxit impedimentum. Ita præfati DD. quorum sententia, quamvis revera sit minus communis, mihi tamen videtur valde probabilis, ob rationes allatas. Et ad rationem in contrarium dico, ignorantiam voluntariam eo tunc nec a crimine, nec a pœna excusare, quando delictum est commissum sub ea formalitate, cum qua prohibitum est sub tali pœna; secus vero quando commissum fuit absque tali formalitate; prout explicari posset innumeris exemplis. Porro impedimentum, de quo est sermo, utique inductum est in pœnam, etc.; ast in pœnam promissionis cum adulterio formali, nimirum positive cognito ab utroque concumbente, prout clare colligitur ex illis verbis cap. 1. *De eo, qui duxit: Quia*

dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet, ubi notandum ly *scienter*, quod plane exprimit, ac importat non ignorantiam voluntariam, sed positivam certam notitiam. Insuper ante mox citata verba habentur hæc alia : *Quod tam mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, etc.* dicitur, nedum posse inter eam et illum virum consistere Matrimonium, sed insuper, si ipsa velit, tenetur hic eam ducere. Ergo signum evidens est, quod impedimentum emergit ex promissione et adulterio utrinque cognito positive.

Ad IV. et ultimum *resp. affirm.* Si enim Censuras excipias, ad quas incurrendas requiritur contumacia, ideoque earumdem notitia, omnes aliæ pœnæ, sive statutæ per modum inhabilitatis, sive etiam appositæ principaliter in pœnam delicti, incurruntur ab eo, qui delictum, cui annexæ sunt, commisit materialiter ac formaliter tale; ut patet in impedimento affinitatis orto ex copula fornicaria, quod ex una parte impositum est in pœnam delicti carnalis, ex alia, teste Pichler contrario lib. 4. Decr. tit. 7, contrahitur etiam a fornicantibus cum ignorantia ejusdem. Ergo idem dicendum de reliquis, adeoque etiam de impedimento Criminis : Canones namque statuentes impedimenta, nullibi requirunt vel hujus, vel aliorum impedimentorum notitiam, ut hæc contrahantur : eaque est universalis consuetudo, ac praxis, ut qui voluntarie posuere delicta, quibus hæc impedimenta annexa fuere ab Ecclesia, his irretiti habeantur, ac propterea dispensatione indigentes; quamvis delinquendo ignoraverint, se in hæc incurrere. Vide Pyrrhum Corradum Prax. Dispens. Apostol. lib. 8, cap. 9, num. 7.

CAS. III.—Vacante pingui Beneficio jurispatronatus, duo ad illud præsentati fuere, unus a patrono Ecclesiastico, alter a compatrono laico, prætendente, se habere duas nominationes; cumque post dispendium in lite hic id probare non posset, facta fuit per transactionem secreta compositio inter partes, ut etiam compatronus laicus nominaret præsentatum a patrono Ecclesia-

stico, ac postmodum Institutus in Beneficio, patrono laico reficeret expensas factas in lite, et quotannis solveret modicam pensionem jam præsentato ab eodem laico compatrono. Qu. I. An licita fuerit hæc compositio? II. An patrono liceat post præsentationem unius, alium præsentare? III. An jus patronatus partim laicalis, et partim Ecclesiastici, Ecclesiasticum sit, an vero laicale?

Resp. ad I. negative. Siquidem in cap. *Constitutus, de Transact.* expresse habetur, quod *hujusmodi transactiones speciem continent simoniæ*, ideoque illicitæ sunt; ut etiam ex eo patet, quod obligatio, quæ imponitur instituendo, nempe reficiendi patrono factas expensas in lite, priusque ab hoc præsentato solvendi quotannis pensionem, est onus grave temporale eidem impositum pro re spirituali, eoque ad hanc ipsi viam aperire, et quodammodo istam emere; quod apertam continet simoniam. Hinc sicuti illicitum est, ac simoniacum, etiam legitima authoritate resignare Beneficium in favorem alterius, quando resignans ab hoc recipit expensas factas in illo obtinendo, ut constat ex cap. *Cum pridem, de Pactis*, quia pecunia, quæ datur, recipitur pro re spirituali, quæ resignatur, ut ibidem ait Glossa v. *Non duximus*; ita, etc., maxime cum aggravare pecunia, ac pensione instituendum, solius sit Ecclesiasticæ Potestatis, ac jus huic competens. Ergo illicita fuit dicta compositio.

Ad II. *resp.*, licere Patrono laico (si id faciat, antequam præsentatus fuerit ab Episcopo institutus) non vero Ecclesiastico, ut constat ex cap. *Cum autem de Jure patron.* cujus discriminis hanc rationem assignat Glossa in cap. *Si laicus, eod. tit. in* 6, quia nempe Patronatus Ecclesiasticus plus temporis habet ad inquirendum de Clerico aliquo digno, et habili; nam a die habitæ certæ notitiæ vacationis Beneficii, habet sex menses ad præsentandum; Patronus vero laicus quatuor menses tantum, ut ex eod. cap. *Si laicus*. Hic tamen nota, quod cum dicitur, Patronum laicum posse variare, ac alium præsentare, id non intelligitur *privative*, quatenus pos-

sit jam præsentatum excludere, et alium loco illius substituere ; id enim facere non potest; sed intelligitur *cumulative*, hoc est, cumulando secundum cum primo, et sic etiam alium nominando, ac præsentando. Neque id facere potest toties, quoties voluerit, sed semel tantum ; nam Jura loquuntur de duobus, et non de pluribus successive præsentatis, ut notatur in d. cap. *Cum autem ;* ubi v. *Verum Collegium* e contrario dicitur, quod si Patronus Ecclesiasticus etiam cumulative alium præsentet, præsentatio non tenet ; sed prior sustinetur, dummodo sit idoneus, ea ratione, quod *qui prior est tempore, jure potior esse videtur*, ut concludit præf. cap. *Quod est* 24, de Jurepatron. in 3.

Ad III. *resp.*, in se esse proprie mixtum ; sed, quantum ad formam examinis per concursum, censeri laicale, ut apud Fagnanum in 3, ad præcit. cap. *Cum autem* n. 80, respondit S. Concil. Congregatio, etiam in casu, quo Compatroni Ecclesiastici essent plures, et Patronus laicus unus tantum, hisce verbis : *S. Cong. Conc. re diligenter examinata, censuit, jus patronatus mixtum Laicorum pro una parte, Ecclesiasticorum pro duabus, censeri laicale, quoad hoc, ut non requiratur forma examinis per Concursum.* Propterea, licet in Parochiali de jurepatronatus ecclesiastico, examen fieri debeat per Concursum, ut statuit Tridentinum sess. 24, cap. 18, tamen forma concursus non requiritur in collatione Parochialium jurispatronatus mere laicalis, ut apud eumdem Fagnanum ibid. n. 21, declaravit præfata sacri Conc. Congregatio; neque in collatione Parochialium jurispatronatus mixti, ut constat ex Decreto supra relato per extensum. Hinc qui præsentatus fuit a Patrono, vel (si Patroni plures sunt, ac discordes) qui habuit plures voces, ac in sufficienti numero, ille præfertur, si per simplex examen (ipsi tamen factum ab Examinatoribus Synodalibus) et quoad ætatem, mores, aliaque requisita, judicetur idoneus, et ab Ordinario approbetur. Dixi, *si habuit voces in sufficienti numero*, casu enim, quo nemo ex præsentatis fuerit præsentatus a pluribus partibus comparatione minorum, puta, ex decem vocibus decem Patronorum discrepantium,

non habuerit saltem quinque, præsentatio valida non est, ac in eo casu subintrat necessitas formæ examinis per Concursum inter ipsos præsentatos tantum, prout ab eadem S. Congregatione decisum refert Pax Jordanus Elucubr. lib. 10, tit. 8, de Collat. Parochial. n. 56, hisce verbis *Veniente vacatione Parochialium de jurepatronatus Laicorum, quando plures sunt præsentati, requiritur examen per Concursum inter ipsos præsentatos tantum ; ex his, qui, facto examine, idonei ab Examinatoribus renunciati fuerint, Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illum, et non alium instituet :* hic enim subintrat inspectio, quod quoties Patroni plures præsentant, quorum neuter sufficientem vocum numerum reportat, censentur ea intentione id facere, ut dignior ex approbatis, ad mentem Concilii d. cap., et Constitutionis *In conferendis* 33, S. Pii V, ab ipso Episcopo eligatur. Si tamen in discordia decem Patronorum, ut præfatum est, quis præsentatus quinque voces reportaverit, tunc præsentatio valida est, tanquam facta a majori parte Patronorum respectu minoris, licet non sit facta a majori omnium : siquidem in hoc differt præsentatio ab Electione, quod in hac non sufficit, quod quis eligatur a pluribus partibus comparatione minorum, sed requiritur major pars Collegii cap. *Ecclesia l.* 1, *de Elect.* et *Clement. Exivi, de Verb. signif.*, in illa vero sufficit, quod quis eligatur a pluribus partibus comparatione minorum, cap. *Quoniam*, de Jurepat.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — portunius, cum advertentia, et deliberatione, sufficienti ad mortale, has protulit propositiones: *Possim abnegare Deum, si me non vindicem de inimico meo.* = *In contemptum Dei volo me vindicare.* Qu. An utraque sit blasphemia hæreticalis ?

Resp. primam non videri blasphemiam hæreticalem ; potius namque videtur imprecatio quædam cum irreverenti Fidei nominatione, aut species quædam juramenti execratorii, quam blasphemia : sicuti cum dici-

tur ; *Possim mori, ni te percutiam.* non est blasphemia, sed species quædam juramenti execratorii, lato modo sumpti. Neque dicas cum Giribaldo in 1, Præc. Decal. cap. 6, dub. 3, n. 33, in præfata propositione tacite includi propositionem affirmativam negandæ fidei, si in eo eventu non sequatur vindicta ; item includi pravum affectum negandi fidem, cum conditio non imponatur ex parte negationis, sed ex parte rei ; sicque in actu conditionali poni in esse aliquid, nempe, voluntatem de præsenti negandi fidem ; et, ex blasphemia illa conditionali, significari, fidem nostram non esse firmam, cum possit ab eventu pendere. Contra enim, nego assumptum quoad utramque partem : sicuti enim ex quo aliquis dicat : *Possim mori, si te non percutiam*, inde non infertur, in hac propositione contineri affectum de præsenti in ordine ad optandam sibi mortem, vel eidem semetipsum subjiciendi, si non sequatur percussionis effectus ; sed tantum intervenit illa dictio verbalis, ac voluntas inefficax ; ita hoc idem dicendum in casu illius propositionis : *Possim abnegare Deum, etc.* ; tunc namque verum non habet animum unquam Deum denegandi, sed potius hujusmodi propositio hunc facit sensum : Tam firmam voluntatem habeo sumendi de meo hoste vindictam, quantam, data proportione, teneo voluntatem non negandi Deum. Tamburinus in Decalogum lib. 2, cap. 5, n. 22. = Quantum ad II. Respondeo cum distinctione : Vel Fortunius proferens ; *In contemptum Dei volo me vindicare*, protulit hanc propositionem, intendendo, quod Deus impedire non posset ejus vindictam : et tunc certe fuit blasphemia hæreticalis, cum negaverit Deo, posse ipsi impedire vindictam, quam indubie impedire poterat, utpote omnipotens, adeoque valens, ante vindictam, ipsi mortem immittere, vel, etc., et si vindictam impedire. Vel eamdem protulit, intendendo præcise sumere vindictam, quantumvis hæc Deo displiceret, utpote sui ac proximi ejusdem offensa ; et tunc dico, hanc non esse blasphemiam hæreticalem, cum nihil exprimat contra fidem, sed tantum in proferente ostendat perversam, ingratam, ac obstinatam voluntatem peccandi, ulciscendo ; ita Suarez, aliique.

CAS. II. — Maritus negat debitum Uxori petenti; vel, ipsa invita, dissolvit actum cum ea cœptum ante seminationem utriusque, ne multiplicentur filii, quos in majori numero alere non possunt. An licite id faciat? II. An complendo actum conjugalem, eidem liceat desiderare non concipi prolem?

Resp. quoad primam prioris quæsiti partem cum distinctione: vel Maritus negans debitum Uxori petenti, id facit interveniente in ea periculo incontinentiæ, vel secluso ab ea tali periculo. Si primum; dico, ipsum illicite id facere, quia salus spiritualis Uxoris multum præponderat amotioni mali, cui per debiti negationem Maritus in casu obviare prætendit, siquidem ibi intervenit periculum animæ Uxoris, et agitur de avertendo gravi malo morali; non sic vero hic; unde urget illud divinum præceptum 1, ad Corinth. 7, inculcatum per Apostolum iis verbis: *Uxori vir debitum reddat. Nolite fraudare invicem..... revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Et hoc eo vel maxime; quia si Maritus, in hac circumstantia, hunc actum justitiæ simul et charitatis erga uxorem exerceat, ipsomet Domino teste, cætera necessaria ipsi adjicientur; qui enim Cœli volatilia, et alia irrationabilia pascit, rationabilia curare non desinet, ideoque et Maritum cum tota ejus familia, si faciet, quantum est in se, jactabitque curam suam in Dominum, juxta illud: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Si secundum; dico, plures affirmare tunc id licite fieri a Marito, eo innixos fundamento, quod, sicuti magna incommoditas, ac summa difficultas solvendi propria debita, in aliis materiis excusat ab horum solutione, ita et a solutione seu redditione debiti conjugalis in casu; præcipue cum per aliorum liberorum procreationem grave inferretur damnum jam procreatis. Probabilior tamen, atque communior videtur negativa sententia; in primis, quia, etiam in hoc casu, valet ratio mox adducta de non deficientia divinæ Providentiæ, quæ nulli deest facienti quantum est in se; vel enim Deus faciet non concipi prolem ex concubitu habito cum uxore; vel

etiam proli exinde habitæ providebit aliunde, si parentes eam alere non poterunt a semetipsis : Deus namque est *adjutor in opportunitatibus*, nec ulli deest in necessariis. Deinde negatio debiti petiti directe opponitur fini, si non unico, saltem principali ipsius Sacramenti, ac frustraneam reddit illam mutuam potestatem, quam de jure divino, ac ratione contractus, uterque conjux habet in corpus alterius. Denique primaria conjugum obligatio est præferenda secundariæ illorum obligationi, ad alendos filios tendenti, maxime cum impotentia eos alendi, ob nimiam multiplicitatem, sit valde dubia, et incerta, et, ut colligitur ex dictis, potius apprehensa, quam realis, attenta infinita Dei providentia in creaturarum gubernatione ; ubi e contra obligatio reddendi debitum rationabiliter ac discrete petenti, indubia est, vera, ac certo juri innixa ; et quoad prolem nasciturarn melius est, quod sit, quamtumvis inops, quam quod nullo modo sit ; si enim eam alere non poterunt parentes, ali poterit ex piorum eleemosynis ; ergo prædictum motivum est causa insufficiens negandi debitum Uxori petenti, et sic Maritus probabilius id illicite facit. Nec relevat ratio in contrarium adducta ; in primis enim, ut præfata incommoditas, seu necessitas excuset a solutione debiti, requiritur, quod ea sit præsens, ac certa, nec possit aliter averti, et amoveri, quam desistendo a solutione ; nam secus urget solutionis obligatio, etiam quoad alia debita. Porro in casu incommoditas, seu necessitas, non est præsens, ac certa, sed tantum metuitur futura ; imo est mere possibilis, ac dubia, cum fieri possit, ut, debito etiam pluries Uxori persoluto, non sequatur prolis conceptio, vel interim, Deo disponente, contingat pinguior fortuna. Item requiritur, ut incommoditas, vel impotentia sit circa ipsam solutionem debiti. Jam vero in casu nostro res ita se non habet : non enim est circa ipsam solutionem debiti, sed circa aliquid, quod mere potest sequi ad illam, nempe, quoad sustentandam prolem adhuc suscipiendam, imo conceptibilem : quod onus emergere potest, et non emergere ; et si emergat, suppleri potest subsidio, etiam aliunde habito, puta eleemosynis, etc. Ergo ista causa

proprie non videtur satis excusans a redditione debiti petiti; ut inter alios recte tradit Rosig. de Effect. Matr. præn. 3, sect. 3, n, 5. Quod subditur postea de damno emergente jam natis, dico, nimis probare; probat enim, mendicos non posse coire cum Uxore, vix enim quandoque habent, quod ipsis, et Uxori sufficiat; nec tamen ullibi eis interdictum asseritur maritale commercium, ac summa Dei providentia ipsos, cum magna persæpe succrescente familia, alit. Deinde nil refert, quod de novo geniti aliquod damnum ingerant majoribus natu; huic enim præponderat bonum prolis, ad cujus procreationem de se ordinatur Matrimonium. Hinc ex mutuo consensu possunt quidem Maritus et Uxor a copula abstinere; et, secluso periculo incontinentiæ, in allato casu utique melius est, quod de communi consensu a copula abstineant; supposita tamen seria Uxoris petitione, longe probabilius videtur, quod huic Maritus nequeat debitum licite negare, ob rationes supra recensitas, quidquid in contrarium cum aliis doceat Giribaldus de Matr. c. 19, dub. 14, n. 101. = Quoad 2 postea prioris quæsiti partem, respondeo negative, et quidem etiamsi non interveniat periculum (quo interveniente plane non liceret) cæteroquin in casu regulariter imminens, quod ipse, vel Uxor, vel uterque, postea corrumpatur. Ratio est, quia sicuti Uxor ob præfata motiva jus habet, ne Maritus in casu ei debitum neget, proindeque ipsi petenti tenetur, juxta dicta, positive hoc reddere; ita ex quo talia motiva urgeant quoad opus completum, ac perfectum, Uxor quoque jus habet ad operis complementum; sicque Maritus actum, cum ea cœptum, nequit, ipsa invita, licite dissolvere. Giribaldus l. c. dub. 7, n. 48, dicens, id esse mortale. Et Rosign. l. c. prænot. 5, n. 3. solum casum excipit, quo in prosecutione operis Viro immineat magnum vitæ periculum, vel subito alii superveniant concubitum inspecturi, ni Conjuges a cœpto opere desistant: tunc enim, inquit, licita est desistentia, cum periculo pollutionis, seu effundendi semen extra vas, quia ex una parte, in tanto vitæ, aut honestatis discrimine, cessat obligatio prosecutionis; ex alia corruptio, seu effusio eveniens, non est vo-

lita, sed præter voluntatem se retrahentis, cum det operam rei licitæ. ad vitam, naturalemve honestatem tuendam. Rosign. ibid. n. 6, et seq. Quod si Conjuges desistant de communi consensu ante seminationem utriusque, ac secluso ab utroque periculo corruptionis, tunc id licere ad instar aliorum tactuum partium verendarum, tenent Sanchez, Pontius, Palaus, aliique, quos refert, ac sequitur Giribaldus, cit. n. 48.

Quantum ad II. *Resp.* cum Giribaldo ibid. dub. 3, n. 20, in eo casu ipsi non licere id desiderare desiderio efficaci, ac positive exclusivo finis generandæ prolis; ista enim positiva exclusio directe opponitur fini primario per illum actum intento a natura, et ad quem principaliter ordinatur Matrimonium. Ex quo inferes, multo magis esse illicitum generationi apponere impedimentum, ne proles sequatur. Si tamen hic finis positive non excludatur, sed tantum (attenta inopia, qua ipsi parentes laborant, ac difficultate, qua iidem premuntur in alenda prole) ob id desiderent desiderio mere inefficaci prolem non concipi; tunc dico, satis communiter licitum affirmari hujusmodi desiderium : quia ex una parte, cum nemo teneatur prolem optare, desiderium, quod proles non concipiatur, secundum se, ac ex objecto suo, non est quid malum, sed indifferens; proindeque, si tale desiderium mere concipiatur ex motivo egestatis, ac difficultatis, quam quis postea experitur in alenda prole, malum non est : siquidem, semel ac parentes non tenentur prolem procreare, possunt etiam in ordine ad proprium bonum optare, ne ea concipiatur, dummodo non ponant obstaculum ad conceptum; nam cum hic versemur in mero jure parentum, ipsorum conditio potius est attendenda, quam prolis conceptæ. Rosignolus I. suprac. disp. 2, § 1, n. 3, maxime cum finis præcepti non cadat sub præcepto. Joan. Angelus Bossius de Effect. Matr. c. 7, n. 44. Sanchez de Matr. lib. 9, disp. 8, n. 10. Unde etiamsi Maritus actu vacet copulæ completæ, potest ex dicto fine se liberanci ab incommodis, in inope non modicis, sustentandæ prolis, inefficaci desiderio optare, quod illa non concipia-

tur, cum non teneatur velle, quod concipiatur; nec ejus conceptioni, ut supponitur, ullum apponat impedimentum.

CAS. III. — Diuturna ægritudine Canonicus factus est impotens exercere munus suum. Qu. An ipsi debeantur integri fructus sui Beneficii, necnon quotidianæ Distributiones? II. An eidem, Choro ob infirmitatem non interessenti, liceat percipere portionem quotidianarum distributionum, quæ amittitur a Canonicis, absque legitimo impedimento a Choro absentibus, ac præsentibus accrescit?

Resp. ad I. tali Canonico impotenti deberi integros fructus sui Beneficii, et etiam quotidianas Distributiones, dummodo ante ægritudinem solitus fuerit Choro interesse. Ratio desumitur ex ipsamet dispositione juris in cap. *Cum percussio*, de Cler. Ægrot. ubi habetur: *Secundum ejus ordinem, quæcumque ei, si sanus esset, poterunt ministrari*: ubi notandum ly *quæcumque;* quod verbum omnia includit, ac nihil excludit. Hinc sicuti si sanus esset, ac Choro interveniret, perciperet omnes fructus Beneficii, ac Distributiones quotidianas; ita etc. Abbas in d. cap. num. 6. Faganus ibid. num. 11, et concordat textus in c. unico de Cler. non resident. n. 6. Infirmus namque, quoad hæc, ficte, ac juris interpretatione, habetur pro præsente in Choro, ad textum in cap. mox cit. Covarruvias Var. Resol. lib. 3, cap. 15. Addidi tamen, *dummodo ante ægritudinem solitus fuerit Choro interesse;* quia, ut ægroto debeantur Distributiones, duo requiruntur: I. Quod sit vere infirmus, et, attenta sua infirmitate, nequeat Choro interesse. II. Quod ante infirmitatem solitus fuerit Choro interesse, ut declaravit Rota Romana coram Bichio Decis. 16, ac docent Moneta de Distrib. quot. part. 2, quæst. 5, n. 21. Barbosa de Pot. Episc. alleg. 53, num. 167, et alii.

Ad II. *resp.* pariter *affirmat.* Ratio est, quia in materia juris accrescendi, portio portioni accrescit, non autem personæ, l. *Cum ex filio*, § fin. ff. de Vulg. et

Pupil. substit. nam portio est illa, quæ portionem ad se trahit, ut declarat Ripa in l. *Re conjuncti* ff. de Legat. 3. Quemadmodum ergo, ex quo ratione infirmitatis fictione, ac interpretatione juris, censeatur præsens, ipse potest licite percipere portionem principalem Distributionum, quinimo hæc ei debetur, ut dictum est; ita ex quo hæc assumat naturam portionis, cui accrescit, potest, ob eamdem rationem, hanc licite percipere, imo ipsi debetur. Ripa l. c. num. 200. Fagnanus in cap. *Licet*, de Præbend. num. 139: lex enim hic loquens de casu vero, extenditur ad casum fictum; et præsentia ficta æquiparatur præsentiæ veræ, adeo ut ficte præsens consequi debeat ea, quæ vere præsentibus tribuuntur; ut tradunt Joann. Andreas, et Franchus in cap. *Cum in tua*, n. 2 et 4 de Consuetud. in 6.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Peccator publicus, non multo post a gravi peccato commisso, correptus fuit apoplexia adeo gravi, ut illico obmutuerit, nec ullum dederit, aut det externum signum doloris, etiam dubium, ac tenuissimum. Qu. An possit absolvi sub conditione?

Resp. Satis probabile esse, quod possit, ex auctoritate, ac doctrina D. Augustini lib. 1, de Adult. Conjug. cap. 29 postquam enim S. Doctor ibi exposuit, se baptizandos putare Catechumenos, qui viventium Conjugiis copulati retinent adulterina consortia, si morbo lethali correpti pro se respondere nequiverint; subdit, eamdem rationem valere de reconciliandis Deo per absolutionem peccatoribus, in proximo mortis periculo constitutis. En verba S. Doctoris: *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, si desperati, et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad Baptismum statuerant retineri? Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si forte Pœnitentem*

finiendæ vitæ periculum præoccuparerit: quibus verbis præsuppositis, sic argumentor. Eadem causa, nimirum, finiendæ vitæ periculum, juxta S. Doctorem, sufficit ad absolvendum sub conditione Pœnitentem, qui ex se ad extra nullum dedit, nec dat signum doloris præcedentium peccatorum, quæ sufficit ad baptizandum Catechumenum, qui ex se ad extra nullum dedit, aut dat signum detestationis, ac doloris præcedentium delictorum. Atqui imminens mortis periculum sufficit, ut Catechumeno, peccatori notorio ac publico, conferatur Baptisma, ex quo in eo statu fortasse sit intra se pœnitens: ergo ex quo etiam peccator publicus fortasse sit in eo statu intra se pœnitens, eidem imminens mortis periculum sufficit, ut possit absolvi sub conditione: siquidem in hoc casu, vel hic est vere interne dispositus, et tunc prospicitur ejus æternæ saluti. Vel non est dispositus, et tunc cum Minister solum intendat conficere, ac conferre Sacramentum in suppositione debitæ dispositionis, hac non interveniente, Sacramentum non conficitur, cum in tali casu Minister nihil intendat operari; et sic nulla fiat injuria Sacramento. Neque dicas, Sacramentum ne quidem sub conditione esse conferendum, quando non intervenit prudens motivum saltem dubitandi de actuali dolore, ordinato ad Confessionem, cum tunc imprudenter credatur intervenire materiam proximam Sacramenti, quod proinde, neque sub conditione, tunc potest ministrari. Contra dico, in eo casu intervenire prudens motivum dubitandi de hujusmodi actuali dolore, quantumvis ad extra non manifestato: cum enim Deus nolit mortem peccatoris, sed ut hic convertatur et vivat, et ad hunc finem sit adjutor in opportunitatibus, pie credi potest, quod tunc Deus peccatorem illuminet quoad statum suum, ipsique gratiam conferat interne detestandi ex toto corde vitam male actam, et quod hic, saltem eo tunc non immemor suæ æternæ salutis, interne vere detestetur, ac doleat, quamvis id ad extra non manifestet; unde quid vetat, quod Minister hoc in casu ipsum sub conditione absolvat? Et sane sicuti ad Confessionem requiritur dolor, ita etiam ad Baptismum in adulto, qui actualia commisit: sed juxta

S. Augustinum potest hic baptizari, si *intra se pœnitens jacuerit;* ergo etiam absolvi sub conditione peccator, qui intra se pœnitens jacuerit. Nec replices, S. Doctorem ibi loqui de dolore ab extra manifestato; nam quoad hanc manifestationem ibi S. Augustinus ne verbum quidem apponit, et clare loquitur de pœnitentia *intra se,* adeoque interna. Unde ibi innuere vult, fieri posse, quod, quamvis externe pœnitentia seu dolor non manifestetur, tamen habeatur interne; et sic quoad hoc sufficit, ut Catechumeno Baptisma, et peccatori Absolutio impertiatur sub conditione; prout colligitur ex iis verbis : *Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebris usque ad Baptismum siatuerant retineri? Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* V. Alphonsum De Ligorio de Pœnit. num. 483.

CAS. II. — Mater, vel Nutrix, quamtumvis monita a Confessario, ne noctu teneat infantem in lecto absque debita cautela, prosequitur ibi eumdem tenere, hac excusatione, quod ibidem semper alios tenuit, nec ullius unquam secuta est suffocatio. Qu. An hoc justificet prosecutionem hujusmodi detentionis? II. An Pater, vel Nutritius, ibidem cum Uxore cubans, et hanc detentionem non impediens, peccet? III. Quandonam detentio infantis in lecto a peccato excusetur?

Resp. ad I. *neg.* Ratio est, quia licet ipsi nunquam evenerit casus suffocationis quoad alios sic detentos in lecto, tamen id ipsi evenire potest quoad hunc, imo et evenire poterat quoad alios; cum omissio debitæ cautelæ regulariter exponat infantem detentum tali periculo: quod sufficit, ut Mater, vel Nutrix teneatur vel non detinere infantem in lecto, vel, si ibi eum tenet, saltem adhibere debitam cautelam; puta, interponendo cervical, aut quid simile, sufficiens ad tale periculum removendum; nam secus evincitur amare periculum infantis, ideoque peccat, et quidem mortaliter, etiamsi non sequatur suffocatio; ut tradunt Navarrus Man. cap. 15, num. 14. Rosignolus de Effect. Matr. prænot. 3, num. 1,

et regulariter cæteri; quia sic tenens exponit se periculo ejusdem suffocationis, adeoque occidendi hominem, contra legem naturæ, dictantem hujusmodi periculum esse evitandum : quamobrem in C. *Consuluisti* 2, q. 5, et C. *Quæsitum*, de Pœnit. et Remiss. irregularitati subduntur parentes, ex negligentia culpabili, infantes in lecto detinentes, cum periculo suffocationis; ac pluribus in Diœcesibus apposita est contra hujusmodi detinentes pœna Excommunicationis, vel latæ, vel ferendæ sententiæ, prout in hac Diœcesi Bononiensi; ut constat ex ultima Diœcesana Synodo, alibi citata : quæ pœna, utpote gravis, gravem quoque et mortalem culpam supponit.

Ad II. *resp. affirmat.*, quando id impedire commode potest; cum enim ipse sit caput Uxoris, et Familiæ, ad ipsum spectat Uxorem corrigere, et obviare cuicumque damno, quod inde contingere potest, removendo periculum. Proindeque si in casu potens infantis detentionem in lecto commode impedire, et eamdem non impediat, peccat. Addo, id etiam constare ex citatis Canonibus; imo quamplures docere, etiam ipsum incurrere in reservationem, ubi detentio infantium in lecto, absque cautela, est casus reservatus, si et ipse cubet in eodem lecto cum infante; siquidem reservatio (ait P. Dominicus Mansi ad 6, cas. reserv. Tabellæ Lucanæ, num. 7), non afficit solum detinentes, ad quos alias spectat cura infantis, uti est Mater, vel Nutrix (nam secus si extraneus cum infante cubaret, et non Mater, vel Nutrix, ab eadem reservatione extraneus immunis haberetur, quod omnes negant), sed est intelligenda de quocumque detinente cum periculo suffocationis. Propterea cum in casu, quo in eodem lecto cubet etiam Pater, vel Nutritius, detentio periculosa detur etiam respectu ejusdem Patris, ac Nutritii; ideo non est, cur hic, vel ille a reservatione eximatur, et per consequens a peccato. Quoniam vero quoad hoc oppositum sentiunt Rosignolus loco citato num. 3. Mazzuchellus, et alii, si Pater ac Nutritius considerentur ratione sui, ac præcisive ratione capitis respectu Uxoris, ac familiæ, ideo, saltem ex hoc capite, verum est, quod

Pater, aut Nutritius, hujusmodi detentionem non impediens, peccat.

Ad III. *resp.* excusari a peccato. I. Quando ad hujusmodi detentionem compellit necessitas, seu impotentia aliter faciendi; puta, cum Mater, vel Nutrix, est adeo inops, ut cunas non habeat, aut alium locum aptum, ubi infantem reponat; vel culcitras, quibus ipsum in cunis positum a frigoris asperitate defendat; nec ipsi facile est eas invenire. Tunc enim, si adhibeat possibilem diligentiam ad præcavendum suffocationis periculum, detinendo infantem in lecto non peccat, eo quia necessitas legi non subjacet, et sic ipsam eximit a contraventione, et peccato : præcipue cum ratione diligentiæ adhibitæ remotum censeatur suffocationis periculum. Quod si inquiras, cujusnam diligentiæ usus censeatur facere remotum tale periculum : Dico, remotum hoc toties reputari, quoties inter cubantes in eodem lecto, et infantem, apponitur repagulum, ab hoc eos disjungens et arcens, uti est arcus ligneus solidus, ac consistens; et juxta Panormitanum, Cajetanum, ac Navarrum, cervical, vel quid simile; et aliunde infans ita ponitur in lecto, ut culcitræ et linteola non stent immediate supra ejus, os seu taliter, ut ipsum suffocare valeant. II. Quando a Matre, vel Nutrice, vigilante, detinetur ad modicum tempus, ne ejulet; aut usquequo ipse lactetur; si enim, interim detinens, stet vigilans, tunc amotum est suffocationis periculum. Cautæ tamen ac circumspectæ quoad hoc debent esse lactantes, facile interim somnum capientes; istæ enim, ne somnum capiant, ac infantem dicto periculo exponant, tenentur aliquantulum e lecto assurgere, eidemque assidere, infantemque lactatum, ac compositum, cito cunis restituere. Idem dic, si qua infantem acceperit, ut ipsum aliquantum calefaceret. III. Quando detinetur infans in die, alio ibi minime cubante, vel, si ibidem cubat, eo vigilante; tunc namque non adest suffocationis periculum. Hoc extendit Panormitanus cap. fin. *De his, qui fil. occid.* ad casum, quo cum infante in die cubet, qui non solet dormire, si hic præter consuetum dormiat, ac puerum opprimat, quia est casus omnino fortuitus, ac præter intentionem,

nec volitus in se, nec in causa. Idemque dicunt etiam Navarrus et Cajetanus, si Mater, vel Nutrix, compertum habet ex successiva experientia, quod dormiens nunquam locum soleat mutare, sed ubi semel se collocat, ibidem soleat persistere, et semper se invenire; quia tota ratio prohibitionis consistit in illo periculo, quod propterea ubi cessat, cessat quoque ratio prohibitionis, proindeque peccatum. Unde inferunt, quod si lectus sit magnæ latitudinis, ac infans reponatur procul, ubi stare non solent, nec pervenire alii cubantes, tunc peccaminosa non sit ibi detentio infantis?

CAS. III. — Antequam Titius fieret Clericus, Chirurgiæ, ac Medicinæ studuit; et in eisdem adeo profecit, ut, post lauream, earumdem exercitio quamplura lucratus fuerit. Nunc tamen Clericatui adscriptus, ac in Sacris constitutus premitur paupertate; cui propterea occurrere intendens, quærit: an dictum exercitium ipsi repetere liceat? Quid ei respondendum?

Respondendum, id ei minime licere, non obtento prius a Papa Brevi Dispensationis. Ratio est, quia licet antiquitus tale exercitium indifferenter liceret omnibus, sive Clericis, sive laicis, ut luculenter ostendit fel. mem. Benedictus XIV, de Syn. Diœc. lib. 13, cap. 10, justis tamen, ac urgentibus de causis, illud postea fuit interdictum Majorum Ordinum Clericis, imo et Minoribus tantum initiatis, qui Ecclesiasticum Beneficium possiderent; ut tradit idem Pontifex ibidem n. 5, quibus propterea, inquit, nunc esse necessarium Apostolicum Indultum, ut medendi artem valeant exercere. Ergo tale exercitium huic Clerico repetere non licet, Brevi Dispensationis a Papa prius non obtento: quod aliter non conceditur, quam certis servatis conditionibus, quæ quandoque hæ sunt: Dummodo non adsit copia Medicorum, et dummodo gratis, et pro amore Dei exerceatur. Aliquando vero apponitur hæc clausula: *Dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus recipias.* Et difficilius conceditur quoad exercitium Chirurgiæ, maxime cum facultate incisionis, vel adustionis. Hinc bene considerandæ sunt Clausulæ in Indulto expressæ, nam dispensatus

servare omnino debet conditiones in Brevi appositas. Et de facto olim exorto dubio, an Clericus, qui obtinuerat Breve cum illa clausula, *dummodo nihil petas, sed a sponte dantibus recipias*, licite posset convenire cum aliqua Communitate, ut, pro sua opera et labore, Universitas ipsa eidem præstaret certam annuam, seu menstruam summam vulgo *ob pactum*, *ob ejus meritum*. Sacra Congregatio Episc. et Regul. in una Terracinens. die 6 Sept. 1697, negative respondit, eo quod fortasse non omnino gratis datum reputavit tributum *ob pactum*. Vide caput decimum, supra indicatum, Benedicti XIV, ubi perdocte, more solito, a n. 1 ad 11, inclusive, materia hæc pertractatur.

ANNO MDCCLVII.

MENSE JANUARII.

CAS. I.—Mulier exponit Parocho in Confessione, quod cum ipsam Communicans fortuito dedisset ei duplicem formulam, ipsa detulit unam ex his domum suam, qua sequenti die semetipsam communicavit. Qu. Quot peccata commiserit, et an Parochus valeat ipsam absolvere?

Resp. cum distinct. Vel Mulier, talia peragens, operata est bona fide, putans nempe, ex quadam simplicitate, aut invincibili errore, ea sibi licere; et in tali casu dico, ipsam talia agendo formaliter non peccasse, sed solum materialiter; ideoque nihil intervenire, a quo Parochus eam non absolvat: cum deficiente formali malitia in operante, desit quoque materia Absolutionis. Vel talia peragens operata est mala fide, sciens nempe, aut practice dubitans, ea sibi non licere; et tunc dico, ipsam quidem multipliciter peccasse; Parochum tamen posse illam absolvere. Peccavit multipliciter; eo quia commisit, primo, peccatum gravis irreverentiæ erga SS. Eucharistiæ Sacramentum, temere sacram formulam manu propria ex ore extrahendo. Secundo, gravis inobedientiæ contra Ecclesiæ præceptum, eamdem tangendo, domumque asportando. Tertio, inobedientiæ simul et sacrilegii,

eam sibi ministrando. Quarto, alterius sacrilegii, in statu mortalis peccati eam sumendo. Enimvero licet antiquitus per plura sæcula viguerit disciplina, ut Laici, qui sacra Communione reficiebantur, in nudas manus Eucharistiam exciperent, suisque itidem manibus in os inferrent; ac fœminæ illam susciperent in album pannulum, eamdemque subinde suis et ipsæ manibus ad os transferrent; prout, ex Card. Bona, Martene, ac Morino, tradit SS. D. N. Benedictus Papa XIV, tum de Syn. Diœces. lib. 13, cap. 19, num. 27, cum de Can. Sanct. lib. 3, cap. 38, n. 17, ac de Sacrif. Missæ pluribus in locis; tamen nunc temporis id obsolevit, ut idem advertit; et ob contrariam consuetudinem, posterioresque Constitutiones fuit abrogatum; et laicis, ac mulieribus vetitum est etiam tangere Eucharistiam, extra casum ejusdem ab injuria tuendæ, vel alterius gravissimæ necessitatis, ut colligitur ex cap. *Pervenit*, de Consecr. dist. 2, ac notant Giribaldus tr. 4, de Euch. cap. 6, dub. 4, Sporer, et alii; quinimo nec eis licet tangere vasa, in quibus Eucharistia continetur (Cap. *Non oportet*, 1, dist. 21). Quidquid postea sit, an vasa Eucharistiam minime continentia, ex moderna consuetudine, tangi licite possint a laicis Regularibus, Monialibus, Sacristis, ac Clericis simpliciter tonsuratis : circa quod vide Alphonsum de Ligorio de Euchar. ut Sacrif. dub. 5, num. 382. Edit. Venetæ. Si prædictis peccatis addas aliud sacrilegium a muliere commissum, cum antecedenter in statu mortalis trajecit alteram formulam ad stomachum (quo tempore nondum erat completa, sed adhuc fiebat cœlestis panis manducatio), habes, quot peccata commiserit indigna mulier, quæ propterea in foro fori punitur, ac si Eucharistiam asportaverit, aut retinuerit ad malum finem, nisi ipsa concludentibus, ac juridicis probationibus clare ostendat, se ad malum finem non asportasse, ac retinuisse : ut patet ex Constit. *Ab Augustissimo*, quam die 5 Martii 1744, edidit laudatus SS. D. N. Benedictus XIV, potest nihilominus a Parocho absolvi, eo quia nihil egit superstitiosum cum abusu Sacramenti.

CAS. II. — Fictus Sacerdos, per plures annos functus

officio Capellani in Ecclesia Parochiali, morti proximus in Confessione exprimit Parocho, se neque habere primam Tonsuram. Qu. Primo, quo reatu se inquinaverit celebrando; et an ob id incurrerit aliquam pœnam? Secundo, quid agendum a Parocho, si prædictus nedum Parochianorum Confessiones excepit, verum etiam sui loco alicui Matrimonio astitit?

Resp. ad primum quoad primam partem, hujusmodi fictum Sacerdotem triplici saltem nefario reatu se celebrando inquinasse; sacrilegæ nimirum temeritatis. idololatriæ saltem externæ, ac gravissimi scandali, per inductionem populi ad idololatriam materialem; uti colligitur ex Constit. 81. Clementis VIII. incip. *Et si;* ubi, inter alia, hæc habentur: *Ad coercendam nefariam*, et sacrilegam *quorumdam hominum* temeritatem, *qui cum ad sacrum Presbyteratus Ordinem minime promoti sint, Missarum celebrationem usurpare præsumunt. . . . non solum* actus idololatriæ, saltem per externa et visibilia religionis, et pietatis signa exercent; *sed etiam, quantum in ipsis est*, efficiunt, ut Fideles, *qui credunt eos ordinatos esse, et rite conficere Sacramentum Eucharistiæ*, idololatriæ crimen *ignoranter incurrant, etc.* His adde reatum injustitiæ, si pro Missæ applicatione eleemosynam accepit: cumque sit suspectus de hæresi, diligenter inquirendum est, an celebraverit cum errore aliquo in intellectu contra fidem; ac pertinacia in voluntate; puta, quod, licet non Sacerdos, celebrare potuerit; tunc enim incurrisset etiam reatum hæresis formalis, et quidem externæ per ipsum actum celebrationis. = Quoad secundam partem dico, quod si talis fictus Sacerdos celebrare præsumpsit cum mox dicto errore, ac pertinacia, incurrit in Excommunicationem Summo Pontifici reservatam in Bulla Cœnæ. Si vero id fecit secluso errore, etc., nullam invenio pœnam spiritualem, contra ipsum latam; et a pluribus eximitur etiam ab irregularitate. Cap. I. de Cler. non ord. ministr., cum ipse, utpote nec habens primam Tonsuram, non sit Clericus, imo in hoc secundo casu nec invenio reservationem delicti: quamvis enim sit casus spectans ad

Tribunal S. Officii quoad pœnam ipsi debitam in foro externo; tamen quoad Absolutionem in foro Sacramentali, etiam extra mortis articulum, spectat ad quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum, cum nullibi constet de hujusce casus reservatione; ut notat P. Syrus Placentinus Dilucidat. part. 1, cap. 1, dub. 10. Dixi supra, me nullam invenire pœnam spiritualem; quoad temporalem namque, si ejus crimen detegitur extra Sacramentum, tanquam suspectus de hæresi denuntiandus est Inquisitori, penes quem nisi aliunde, aut per ipsum, concludenter, et clare probetur, ipsum esse vere Sacerdotem, traditur Curiæ Sæculari ultimo supplicio afficiendus; ut aliqualiter indicat ultima Diœcesana Synodus lib. 1, cap. 5, § ult., et plenissime statuit, ac exponit SS. D. N. Benedictus Papa XIV, in celebri sua Constit. *Sacerdos in æternum*, edita die 20 April. 1744. quæ est 97. tom. I. Bullari ejusdem.

Resp. ad sec. Parochum in hoc casu debere omnimode servare sigillum Sacramentale, ac summopere cavere, ne ullo modo ipsum violet. Ad prospiciendum nihilominus modo possibili, ac licito, animabus Fidelium, qui penes prædictum nulliter plane confessi sunt, debet efficaciter ostendere in generali, tam de Altari, quam in Confessionali, necessitatem Contritionis sæpe excitandæ, etiam de peccatis, quorum in foro pœnitentiæ Absolutionem obtinuisse confidimus; cum nulli certo constet, dum vivimus, se apud Deum esse vere justificatum, Salomone dicente Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit;* et repetente Apostolo 1 ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* quantumque utilitatis afferat, generalem aliquando totius vitæ peccatorum instituere Confessionem, ut præteritarum, si qui intervenerint, confessionum defectus corrigantur. Et quamvis revera evenire possit, quod aliquis ex prædictis neque adsit hujusmodi parochi concionibus, neque penes illum confiteatur; tamen id parum refert, si postmodum saltem una vice apud aliquem valide confiteatur cum dolore universali de omnibus a se commissis; sic enim, etiam nulliter confessa penes fictum Sacerdotem, re-

manent absoluta eodem modo, quo invincibiliter oblita : quam ob causam censeo, Sacram Concilii Congregationem die 1 Decemb. 1683. respondisse Eminentiss. Georgio Barbadico Episcopo Patavino, nullas quidem esse Confessiones, quæ factæ fuerant Sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, sed *non inquietandum populum;* ut referunt Clericatus de Pœnit. decis. 31, num. 14, et SS. D. N. Benedictus XIV. Notific. 17, tom. 4. = Circa Matrimonia postmodum, quibus prædictus astitit, dico, Parochum non teneri esse adeo anxium, quia sicuti Matrimonium est validum, etsi contractum coram Parocho mere putativo, vel habente collationem nullam, ob nullitatem concursus, propter defectum Examinatorum Synodalium, ut in Centensi declaravit S. Concilii Congregatio die 31 Julii 1627, penes Barbosam de Offic. et Potest. Par. cap. 21, num. 51, ita quoque valida sunt, quæ fuerunt contracta coram Sacerdote mere putativo, si hic simul habebat titulum coloratum licentiæ ipsi datæ a Parocho cisdem assistendi ; ut cum Sanchez, Bossio, Guttierez, Bonacina, et aliis docet Giribald. de Matr. cap. 7. dub. 8. num. 67. Neque dicas, ex Tridentino contrahi debere coram Parocho, *vel alio Sacerdote.* Nam sicuti, quamvis Concilium apponat ly *coram Parocho*, id intelligitur coram Parocho vel vero, vel putativo ; imo etiam de Parocho, qui non sit vere Sacerdos, ut cumulatis DD. concordantibus notat Barbosa l. c. num. 60, et duplici Sac. Congreg. Decreto comprobat De Ligorio de Matr. cap. 2, dub. 1, num. 1081, ita quamvis Concilium apponat ly *vel alio Sacerdote,* id intelligitur de Sacerdote vel vero, vel putativo, hoc est, tali communiter existimato. Et ratio fundamentalis est, quia ex una parte etiam hic, in foro externo, et apud homines, qui vident ea, quæ parent, majorem habet auctoritatem, majoremque reportat fidem in testificando, quam laici; et sic est testis auctorizabilis : ex alia parte veritas Sacerdotii non requiritur de jure Divino ad valide assistendum Matrimonio, sicuti requiritur ad absolvendum ; sed solum requiritur ex dispositione Ecclesiæ ; quæ propterea in casu dictæ qualitatis defectum supplere potest, cum

interveniat error communis una simul cum titulo colorato; ut etiam dicitur in casu Confessionis, bona fide factæ, ac exceptæ a Sacerdote, cui expiraverat facultas.

CAS. III.— Obtinuit Sacerdos ab Episcopo facultatem excipiendi Confessiones in sua Ecclesia Parochiali. Qu. An, si eas excipiat etiam in aliis Ecclesiis Diœcesis, ibi valide absolvat? Et quid, si facultas fuit eidem concessa sub hac forma; *Concedimus tibi facultatem audiendi Confessiones in Ecclesia Parochiali, et etiam in aliis, consentiente Rectore, vel Parocho earumdem*, an in hoc casu ibidem audiendo Confessiones absque licentia, et consensu Rectoris, vel Parochi, eas valide excipiat?

Resp. utriusque difficultatis solutionem vere ac proprie pendere ab ipsamet Ordinarii voluntate; item a circumstantiis, et conjecturis particularibus; vel etiam a Constitutione Synodali, si quæ alicubi quoad hoc facta est. Præcisive tamen ab hisce omnibus, et perpensis terminis propositi casus secundum se, ad I dicunt Giribaldus de Sacram. Pœnit. cap. 14, dub. 3, num. 24, aliique, Sacerdotem Confessiones excipientem in aliis Ecclesiis valide absolvere, quia ly *in Ecclesia Parochiali* non est Particula taxativa, seu limitativa jurisdictionis; sed est modalis, ac loci demonstrativa; ut de communi testatur Sanchez lib. 3, de Matr. disp. 24, n. 2. Et assignatio loci non pertinet ad valorem exceptionis Confessionum, sed ad reverentiam debitam Rectoribus aliarum Ecclesiarum, quatenus absque ipsorum licentia, et consensu, nemo debet in eorum Ecclesiis Sacramentum administrare, ut observant Aversa de Pœnit. quæst. 16, sect. 6, ac Bordonus tom. 1, var. Resol. resol. 36, quæst. 6 et 16. Quidquid tamen sit de probabilitate hujus opinionis, longe probabilius mihi videtur oppositum. Sicuti enim, quando Episcopus approbat Sacerdotem ad certum tempus determinam, puta, ad sex menses; vel ad certum sexum personarum, nempe, ad Mares, nequit ultra tale tempus, vel personarum diversi sexus, nempe Mulierum, Confessiones valide excipere: item quando approbat Sacerdotem pro una Diœcesi, non potest hic excipere Confessionem in alia Diœcesi,

quamvis idem sit Episcopus utriusque Diœcesis ; quia approbatio pro una, non est approbatio pro alia ; ita etc. Ratio est, quia cum approbatio sit Episcopo commissa, ista non valet ultra quod ab eo facta est ; ut expresse docent Reginaldus lib. 1, num. 200. Suarez, et aliis omissis, Jo. de Cardenas qui in Crisi dissert. 2, cap. 6, art. 1, q. 1, refert, S. Congregationem anno 1593 sic declarasse : *Approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter : ac proinde non potest virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæorum, eligi ad audiendas Confessiones aliarum personarum, vel extra illas Ecclesias ipsi designatas.* Accedit, praxim hujus Curiæ esse (cum quis non approbatur pro certa tantum Ecclesia) ponere in Litteris patentibus, huic concedi facultatem audiendi Confessiones *in Civitate*, aut *in Diœcesi*. Porro ad quid inserviret ista diversitas, si approbatus ut audiat Confessiones in sua Ecclesia Parochiali, esset approbatus simpliciter, seu posset Confessiones excipere etiam in aliis Ecclesiis intra Diœcesim, ibique valide absolvere ? Dicendum est ergo, illam clausulam *in tua Ecclesia Parochiali* non esse modalem, sed taxativam, ac limitativam loci : nam dictio *in* est omnino, ac proprie ejusdem significationis ac dictio *intra*, ut ait Tiraquel. de Utroque Retr. § 1, gloss. 11, n. 72 et 74, unde idem est dicere, in tua Ecclesia Parochiali, ac intra tuam Ecclesiam Parochialem. Propterea cum dictio *intra* sit diametraliter opposita dictioni *extra*, consequens est, quod Sacerdos vigore præfatæ clausulæ nequeat confessiones excipere, ideoque nec valide absolvere extra suam Ecclesiam Parochialem, seu in aliis Ecclesiis intra Diœcesim ; non enim potest fieri extensio ab uno loco ad alium, importatum per dictionem diametraliter oppositam. Et ex his patet responsio ad rationes sententiæ contrariæ, cum ly *in Ecclesia Parochiali* sit clausula non mere modalis, et demonstrativa, sed vere taxativa, ac limitativa jurisdictionis, proindeque in casu exigens nedum consensum Rectorum, vel Parochorum, sed et positivam approbationem Episcopi, ut in aliis Ecclesiis Sacerdos valide excipiat Confessiones.

Ad II. dico, in hoc casu Sacerdotem ibi valide excipere. Ratio est, quia tunc vere habet approbationem, et facultatem ab Episcopo, etiam ibi Confessiones audiendi; et consensus respectivi Rectoris, vel Parochi, in eo casu mere requiritur, ut his exhibeatur debita reverentia, petendo ab ipsis licentiam administrandi Pœnitentiæ Sacramentum in ipsorum Ecclesiis. Neque dicas, ly *consentiente Rectore*, *vel Parocho* reddere facultatem conditionatam, cum sit ablativus absolutus, solitus importare conditionem, l. *a Testatore*, ff. de Condit. et Demonstr. Contra enim nego, quod reddat in casu facultatem conditionatam; nam ablativus absolutus pluries connotat solum modum licite ac debite agendi, ut ostendit Sanchez l. c. disp. 33, et patet ex Trident. sess. 24, cap. 1, ubi pro Matrimonio præcipiuntur Denuntiationes cum ablativo absoluto: *Quibus denuntiationibus factis*, et tamen, etiam illis illicite omissis, matrimonium est validum, ut pluries declaravit S. Congregatio, ac signanter in Mediolanensi die 28 Sept. 1591. Ex illo ergo ablativo absoluto solum erui potest, Sacerdotem in iis Ecclesiis audiendo Confessiones absque licentia Rectoris, vel Parochi, id illicite facturum; at non quod invalide, cum habeat expressam facultatem ab Episcopo, requirente quidem consensum respectivi Parochi, aut Rectoris, sed ad evitandas querelas, et jurgia, ac ut his exhibeatur debita convenientia, et reverentia.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Advenit circa meridiem Peregrinus in locum, ubi fit Vigilia Festi localis de præcepto; ibidem mansurus usque ad meridiem sequentis die. Qu. An, si pransus est, teneatur ad Vesperam jejunare; ac die sequenti Missam audire?

Resp. Secluso scandalo, probabilius videri quod non. Layman lib. 1, tract. 4, cap. 12, num. 24. et alii satis comm. Ratio utriusque partis est, quia præceptum, sive jejunandi ad vesperam, sive audiendi Missam in tali Festo, utpote affixum tali loco, seu territorio, non obli-

gat eos, qui sunt ibi per transitum; sed eos, qui habent ibi domicilium, vel quasi domicilium, necnon eos, qui ibi vere, ac proprie habitant. Jam vero Peregrinus ibidem hospitans a meridie unius diei usque ad meridiem alterius diei subsequentis, certe ibi non habet domicilium, vel quasi domicilium, sed potius dicitur esse ibi per transitum, quam vere, et proprie ibi habitare; siquidem, ob tam brevem moram, moraliter itinerans dicitur; cum id continuo fieri dicatur, quod fit intra biduum, vel triduum, l. fin. C. de Judic. et l. ult. C. de Error. Advocat. Ergo nec tenetur ad vesperam jejunare, nec die sequenti Missam audire. Et parum refert, quod interim non teneatur legibus suæ Patriæ, a qua abest; ex hoc enim legitime non infertur, quod propterea teneatur legibus loci, in quo est per transitum; absurdum namque non est, quod in quantum ad hoc eo tunc teneatur solo jure communi. Busembaum de Leg. cap. 2, dub. 3, prout dicitur de itinerantibus, qui isthac transeuntes prætergrediuntur; hi siquidem non subduntur jurisdictioni Superioris loci, per quem transeunt, l. *Hæres absens*, § *Proinde*, ff. de Judic. nec legibus particularibus ejusdem loci. Quod si opponas canonem *Illa* dist. 20, ubi refertur illud celebre D. Ambrosii : *Cum Romam venio, Sabbatum jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno; sic et tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva*; dico, S. Doctorem ibi loqui in casu, quo secus intervenit periculum scandali, ut patet ex ejusdem verbis subsequentibus : *Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*; quam ob rem apposui initio responsionis ea verba, *secluso scandalo*, cui certe est obviandum; ideoque Apostolus 1 ad Cor. 8, dicebat : *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

CAS. II. — Sacerdos, obtenta ad annum facultate excipiendi Confessiones, transtulit se in aliam Diœcesim, animo vere ibi figendi domicilium. Sex tamen nondum elapsis mensibus ad hanc remeavit. Qu. An sine nova approbatione valeat hic Confessiones excipere ?

Resp. affirm. cum Suarez de Pœnit. disp. 28, sect. 7, num. 9. Giribaldo eod. Tract. cap. 14, dub. 5, in fine, de Lugo, et aliis, dummodo approbatio non fuerit interim revocata ab Ordinario, aut ab ipsomet Sacerdote renuntiata, neque hic mutaverit s'atum. Ratio est, quia approbatio concessa ad tempus determinatum non cessat, nisi vel per revocationem ejusdem factam ab Ordinario; vel per lapsum ipsius temporis determinati; vel per voluntariam Confessarii renuntiationem ab Ordinario acceptam; vel denique, ut aliqui dicunt, per hoc, quod Confessarius elegerit alium statum. Sed neutrum ex his verificatur in casu; ergo sine nova approbatione potest idem Sacerdos hic Confessiones excipere. Neque dicas, ex ipsomet Suarez l. c. num. 8. Lugo de Pœn. disp. 21, sect. 2, num. 15, aliisque, approbationem cessare etiam mutatione Diœcesis; præcipue si mutatio fiat animo alibi figendi domicilium, quia tunc Sacerdos censetur cedere juri approbationis, quæ propterea manet extincta. Contra enim: cessat mutatione Diœcesis, quatenus jam habita approbatio non valet pro alia Diœcesi, ad quam divertit, concedo; quatenus amplius non valet, si ante lapsum termini revertatur ad Diœcesim, pro qua ipsam habuit, nego. Suarez, Lugus, aliique dicentes, approbationem cessare mutatione Diœcesis, loquuntur cohærenter ad celebrem Constitutionem *Superna*, vigore cujus approbatio, habita in una Diœcesi, non inservit pro alia; unde dicunt, approbationem cessare, quatenus pro audiendis Confessionibus in nova Diœcesi requiritur nova approbatio. At nullibi negant, eamdem Sacerdoti sufficere, si ante lapsum termini eo revertatur, unde discesserat, imo expresse hoc affirmant, ut videre est apud Suarez ibid. num. 9. Lugum pariter ibid. num. 44, aliosque, ubi de hoc agunt. Nec refert, quod Sacerdos alio abierit animo ibi figendi domicilium; nam imprimis hoc non probat, quod cesserit prædicto juri etiam pro casu, quo reverteretur intra tempus determinatum; siquidem hujusmodi cessio est quædam donatio, quæ non ita facile supponitur. Deinde, quamvis cessisset, si renuntiatio non fuit ab Ordinario acceptata, Sacerdos regressus jus suum prosequi potest; etenim approbatio

habet quodammodo rationem privilegii, ut inter alios docet Bonacina de Legib. disp. 1, quæst. 3, num. 8, § 4, num. 3. Jam vero de ratione privilegii est, quod si ejusdem renuntiatio non fuerit a Principe acceptata, adhuc duret; cum enim vim habeat a voluntate Concedentis, si superior ejus renuntiationem non acceptat, semper vivit; et ideo potest Privilegiarius, mutata voluntate, illo uti privilegio, cui prius renuntiavit, ut cum eodem Bonacina, Nugno, et Sanchez, docent Donatus in Praxi Rer. Reg. Tract. 12, quæst. 4, num. 1. Giribaldus, aliique comm. Et de facto praxis ac usus communis est, quod Sacerdotes redeuntes ad Diœcesim, et locum, pro quo sunt approbati, ibi absque nova approbatione Confessiones excipiant, si facultatis tempus nondum expiravit.

CAS. III. — Relicta fuit pauperi Clerico non modica pecuniæ summa, cum prædiolo, quercubus, iisque arboribus abundante, ex quarum foliis aluntur bombyces. Propterea ad congrue sustentandum se, suamque familiam, statuit dare Mercatori, aut Campsori pecuniam in societatem; emer, ac alere sues, eosque postea utiliter revendere et cum foliis mororum in æde propria arti sericæ operam dare. Qu. An licite?

Resp. Non posse licite facere primum; bene vero secundum, et tertium, modo infra dicendo. Ratio primi est, quia etiam Cambium activum est species quædam negotiationis, quæ neque per interpositam personam licite potest a Clericis exerceri; ut docet SS. D. N. Benedictus Papa XIV, Syn. Diœc. lib. 9, cap. 9, num. 4 et 5, ubi non obscure declarat, etiam ob hoc incurri pœnas, quæ a sacris Canonibus, suisque in litteris Apostolicis, datis die 25 Febr. 1741, nec non ab aliis Constitutionibus Apostolicis statutæ sunt contra Clericos negotiatores. Ratio secundi, ac tertii desumitur ex responsionibus datis a Sac. Cong. tertiæ, ac quartæ interrogationis, ipsi factæ a Presbyteris, et Clericis Terræ Madiæ Neocastrensis Diœc., quarum prima hæc erat: *An ii, qui in propriis terris habent quercus, et castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues*

emere, eosque alere, et pro familiæ sustentatione vendere. Alterum : *An iidem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, etc.* Sac. Cong. Conc. respondit ad 3. *Itidem posse pro sua, et familiæ suæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suibus, nihil sordidum, aut indecens ordini Clericali exerceant.* Ad 4. *Licere Clerico earumdem arborum foliis per se ipsum, absque sui officii detrimento, duntaxat pro sua, ac familiæ sustentatione, arti sericæ operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi personas suspectas non adhibeat, et quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.* Vide Matthæuccium offic. Cur. cap. 33.

MENSE MARTII.

CAS. 1. — Dispensatus ut possit comedere carnes in Quadragesima, modicum quandoque in comedendo sentit appetitum; propterea ad hunc excitandum, iis diebus, queis carnem edit, eamdem comedit intinctam in halece destructa in jure, cum modico aceto, saccharo, et cinnamomo. Qu. An carnis comestio cum hoc intinctu eidem liceat in Quadragesima ?

Resp. videri quod sic, usquequo aliud non declaretur. Ratio est, quia licet præfatus SS. D. N. tam in suis Litteris Apostolicis, datis die 30 Maii, et 22 Augusti 1741, quam in Rescripto ad Postulata Archiepiscopi Compostellani, facto die 8 Julii 1744, vetuerit pro tempore Quadragesimæ, aliisque diebus jejunii de præcepto, promiscuam comestionem carnis, ac piscium; tamen utrobique utitur vocabulo Epularum : sic in Encyclicis ait : *Licitas, atque interdictas epulas promiscue, minime apponendas esse.* Et in Rescripto : *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, respondemus esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse.* Sed intinctus ex halece destructa in jure, cum modico aceto, saccharo, et cinnamomo, non est epula; *Epula* tamque

ex Calepino idem est ac italice *Vivanda;* prædictus vero Intinctus non est quod italice *Vivanda*, sed potius ejusdem condimentum, salsa quædam, aut sapor, prout etiam de Intinctu in generali inquit idem Calepinus V. *Intinctus ;* ergo, etc. Neque dicas, etiam jus carnis non esse epulam carnis; et tamen tempore Quadragesimæ illicitum esse non dispensato quidquam juris sumere simul cum piscibus, eo quia in ipso jure reperitur substantia carnis. Unde, cum etiam in dicto Intinctu reperiatur substantia halecis, parum referre, quod non sit epula piscium, ad hoc ut dispensato illicita sit sumptio cum carne. Contra enim ; concesso antecedente, nego consequentiam ; et dico, disparitatem esse, quia non dispensatis nedum tunc prohibitum est comedere epulas piscium una simul cum epulis carnis, verum etiam quidquid carnis substantiam aliqualiter includit, aut originem ducit a carne ; ut probant DD. in Tract. de Jejun. ; hinc cum jus carnis includat' substantiam carnis, nil mirum, quod a non dispensatis sumi nequeat tempore Quadragesimæ, sive simul, sive sejunctim ab epulis piscium. Ab opposito, dispensatis hactenus solum prohibita est promiscua comestio epularum ; quæ proinde cum non interveniat, quando dispensatus comedit carnem simul cum dicto Intinctu ; ideo dico ipsi licere in Quadragesima, usquequo aliud non declaretur.

CAS. II. — Quis vere infirmatus, sed absque præjudicio stare potest ad vesperam cum collatiuncula ex cibis, quos adhibent viri recte meticulosæ conscientiæ, non dispensati. Qu. An diebus jejunii debeat hac esse contentus ?

Resp. affirm. Ratio est, quia a lege jejunii tantum quis deobligatur valetudinis causa, quantum exigit necessitas, aut gravis indigentia opositi ; pietas namque S. Matris Ecclesiæ quoad legem jejunii, aliasque leges ab ipsa statutas, in hoc sita est : Primo, quod si lex observari nequit absque gravi præjudicio, vel incommodo, tunc Ecclesia non intendit obligare ; secus vero si legis observantia secum defert aliquod leve incommodum. Secundo, quod cum lex habet pro objecto aliquid

divisibile in partes, si nequit observari quoad totum, bene vero quoad aliquam partem. Ecclesia obligat solum quoad illam partem, cujus observantiæ ac executioni propterea quis tenetur : ut patet ex damnatione Propositionis 24, facta ab Innocentio XI, quoad recitationem Officii. Hoc præmisso : Cum lex jejunii habeat pro objecto aliquid divisibile in partes (ut expresse colligitur ex Litteris Apostolicis 19, 27, 55 et 99. SS. D. N. Bened. XIV, tom. 2. Bullar. ejusdem, ubi injungit Episcopis, ne ulli permittant diebus Quadragesimæ, valetudinis causa, carnibus vesci, ni adjecta lege unicæ comestionis) ; et ex altera parte is, de quo est sermo, stare possit ad vesperam, sine præjudicio, cum collatiuncula ex cibis, quos adhibent viri recte meticulosæ conscientiæ, non dispensati, ut exponitur in casu proposito : inde infertur per legitimam consequentiam, quod hic tali collatiuncula debeat esse contentus; siquidem tenetur observare jejunium in ea parte, qua potest sine præjudicio ; sicuti non potens recitare Matutinum et Laudes, bene vero reliquas Horas, has recitare tenetur. Neque dicas, esse per accidens, quod hic stare possit absque præjudicio cum tali collatiuncula ; ideoque cum leges communiter respiciant id, quod communiter, ac in pluribus evenit, l. *Omnes populi*, ff. de Just. et Jur., ipsum non teneri ea esse contentum. Contra enim ; est per accidens, si recenseatur inter infirmos adeo graves, ut sint omnino viribus destituti ; concedo : hi enim sunt absolute impotentes ad observandam quamcumque partem jejunii ; ac propterea de his non loquor. Est per accidens, si recenseatur inter infirmos, habentes adhuc vires sufficientes ; nego : hi enim cum adhuc possint servare dictam jejunii partem absque præjudicio, non video, cur ab ejus observantia eximi debeant. Vide, quæ dixi ad III Januarii 1748 ; iis namque confirmatur præsens responsio.

CAS. III. — Scrupulis angitur Sergius circa observantiam jejunii, eo quia domi suæ prandetur per horam ante meridiem. Qu. An hæc horæ anticipatio in prandendo, secluso rationabili motivo, sit peccaminosa ?

Resp. esse peccaminosam, sed non excedere Veniale. Ratio primæ partis est, quia licet hora prandii, quæ ætate hac nostra est in meridie, seu circa meridiem, non sit de essentia jejunii; est tamen conditio, seu circumstantia ab Ecclesia, vigore legitimæ consuetudinis, præscripta; cujus propterea transgressio, si fiat absque rationabili motivo, importat aliquam deordinationem a lege, seu præcepto, et sic est peccaminosa. Quamobrem D. Thomas in 4. Sent. dist. 15. quæst. 3. art. 4. q. 3. inquit: *Cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi a jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit;* non quidem quoad substantiam (cum enim, ut dictum est, hora non sit de essentia jejunii, sed mera circumstantia, et conditio, ejusdem mutatio jejunii substantiam non destruit; ut patet ex ipsamet pluries facta horæ variatione in Ecclesia secundum diversitatem temporum,) sed quoad complexum eorum omnium, quæ ad perfectam jejunii observantiam requiruntur, inter quæ etiam hora præscripta enumeratur, sicuti enumeratur inter requisita ad perfectam recitationem Officii, quamvis non spectet ad hujus essentiam. Ratio sec. partis est, quia licet tempus refectionis sumendæ sit unum ex præscriptis a præcepto jejunii, tamen præscribitur, et a jejunio importatur, non tanquam essentia, aut pars essentiæ, prout importantur unica comestio, et abstinentia a carnibus, sed ut mera conditio, et circumstantia accidentalis, quæ variari potest, manente jejunii substantia, prout pluries in Ecclesia, juxta dicta, variata est. Unde respicit jejunium per accidens. Et quamvis dicta anticipatio aliquid minuat de jejunii austeritate, et carnis mortificatione, tamen ista diminutio non est gravis, imo compensatur per diuturniorem temporis subsequentis, ut passim monent DD. addentes, eamdem anticipationem excusari etiam a Veniali, si fiat ad evitandum aliquod grave, ac notabile incommodum, sive corporale, sive civile, sive temporale, quod aliter evitari nequeat a jejunante. Cuniliati de Præc. Eccl. cap. 1, § 2, num. 3. Giribaldus de Jejun. Eccl. dub. 7, n. 62, aliique comm.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Ob rationabile motivum dispensatus est Titius, ut possit in Quadragesima comedere ova, et lacticinia. Qu. An huic licitum sit etiam in vespertina refectiuncula comedere parum casei?

Resp. negat. Cum enim Summus Pontifex Benedictus Papa XIV. per quemdam Confessarium fuerit supplicatus, ut explicaret, an iis, qui in Quadragesima, et Vigiliis sunt dispensati ad lacticinia, revera liceret sumere in serotina refectiuncula parum casei: Pontifex supplicationem transmisit ad S. Pœnitentiariam, quæ sic rescripsit: *Sacra Pœnitentiaria optime conscia mentis Sanctitatis suæ, ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere;* rationem afferens, quod illud *jejunantes*, expressum in Bulla *Libentissimi* ejusdem Summi Pontificis, ubi dictum fuit, dispensatos ad carnes, vel lacticinia, *opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur omnes jejunantes recte meticulosæ conscientiæ* intelligitur de rigorose jejunantibus Quadragesimali jejunio, in quo tam carnes, quam ova, et lacticinia vetantur. Cumque dein subortum fuerit dubium, an illud *optime conscia mentis, etc.* S. Pœnitentiaria dixerit ex sua interpretatione, vel ex proprio oraculo Pontificis; idem Confessarius Papam iterum supplicavit, ut ipsemet mentem suam explicaret; atque hoc venit responsum: *Sacra Pœnitentiaria de mandato Sanctissimi Domini, qui suis ipse oculis retroscriptam epistolam dignatus est legere, respondit, vera esse, et pro veris habenda quæ constat ab eadem Pœnitentiaria fuisse rescripta. Dat Romæ in S. Pœnit, die 23 Julii* 1756. Cujus rescriptum authenticum nedum observasse, verum et apud se habere, refert P. Alphonsus de Ligorio lib. 3. Tract. 6, cap. 3, dub. 1, n. 1027, subdens hujusmodi declarationem promulgatione non indigere ut obliget; eo quia et facta est ab ipsomet Legislatore, et totus sensus ejusdem jam inest in lege, ab eodem lata. V. ipsum Alphonsum ibid.

CAS. II.—Cum in hac Diœcesi sit reservatus casus Parochi cum Parochiana. Qu. Primo : An Parochus incidat in reservationem, si rem habeat cum ruri degente per duos, aut tres menses, recreationis gratia ; vel etiam cum vaga, quæ degit in Parochia per unicam noctem. II. An dicta reservatio afficiat Parochum, electum tantum ; aut qui Curam gerit cum solis Provisionalibus?

Resp. ad primum, non incidere in reservationem ob rem habitam cum ruri degente; bene vero ob rem habitam cum vaga. Ratio pr. part. est, quia semel ac illa ruri degit per duos, aut tres menses meræ recreationis gratia, proprie non est ejus Parochiana ; cum ipsa in tali Parochia nec habeat domicilium, nec quasi domicilium ; et per consequens neque ipse possit ejus Matrimonio valide assistere, ut pluries declaravit S. Concilii Congreg. teste SS. D. N. Benedicto Papa XIV. Notif. 13, tom. 2, num. 7 et 11, quæ inter Instit. Latin. est 33. Ratio sec. part. est, quia respective ad fœminam vagam, ipse est ejus Parochus, quousque ipsa degit, ac versatur in ejus Parochia : siquidem Parochus vagorum, est Parochus loci, in quo hi actu degunt; prout tradit, tanquam regulam certam, præfatus Sanctissimus in cit. Notif. num. 10, ac docent Sanchez de Matr. lib. 3, disp. 25, num 11. Barbosa, Pirhingius, Cabasutius, aliique, propterea dicentes, Parochum loci, post adhibitam diligentem inquisitionem quoad statum liberum, ac obtenta prius licentia Ordinarii, valide posse assistere Matrimoniis vagorum, qui sunt in sua Paræcia ; uti etiam colligitur ex Tridentino Sess. 24. cap. 7. Sed si prima non est ejus Parochiana, bene vero secunda, Parochus non incidit in reservationem ob rem habitam cum prima ruri degente, etc. bene vero ob rem habitam cum vaga, quæ degit in Parochia per unicam noctem ; eo quia Casus est reservatus *cum Parochiana ;* ergo, etc.

Resp. ad II. dictam reservationem non afficere Parochum electum tantum, bene vero illum, qui post legitimæ Collationis acceptationem, curam gerit cum solis Provisionalibus. Ratio primi est, quia per puram electionem ad Beneficium super hoc non acquiritur jus in

re, sed ulterius requiritur saltem legitimæ Collationis ejusdem acceptatio, cap. *Si tibi absenti*, *de Præbend. in* 6, imo ex hujus Civitatis, ac Diœcesis consuetudine (quæ uti monuimus anno proxime elapso ad III Januarii, hic debet observari) recenter electo in Parochum nulla competit administratio, nullumque exercitium Curæ, ante apprehensionem possessionis Beneficii saltem cum Provisionalibus, nec valide assistit Matrimoniis, eo quia hic nullo modo habetur ut Parochus. Quare cum adhuc sit Parochus in fieri, et nondum in facto esse, ipsum non afficit dicta reservatio : hæc enim, utpote odiosa, intelligitur de Parocho in facto esse. Ratio secundi est, quia missus in possessionem Paræciæ de Mandato, et cum Provisionalibus Eminentissimi Archiepiscopi, est vere Parochus, communiter habetur ut Parochus, habetque omnes honores, et onera Parochorum. Et quamvis intra quatuor menses debeat obtinere Litteras Apostolicas, novamque Provisionem ; alias iterum vacet beneficium ; tamen non ideo hoc est, quia ante obtentionem hujusmodi Litterarum, novamque Provisionem, nondum sit Parochus : sed quia indulto concesso Eminentissimo Collatori solet uniri Decretum de obtinendis præfatis Litteris, novaque Provisione ; quod Decretum alias inficit titulum, ac possessionem, ut declaravit Rota Romana in Ulyssiponensi Beneficio 19 Decembris 1619, coram Ubaldo : vel quia invaluit consuetudo, ut intra tantum temporis obtineantur eæ Litteræ, novaque Provisio, sub vacationis pœna : quamobrem notat Gonzalez Gloss. 14, num. 128. Beneficium tale non vacare ut prius, sed propter non expeditionem induci novam vacationem. Cæterum cum regens, electus modo prædicto ad Beneficium, ac gerens curam cum Provisionalibus, sit vere Parochus, dicendum, quod si is peccet, copula saltem incompleta, cum Parochiana, ipsum utique afficiat Reservatio.

CAS III. — Reliquit Sempronius 1000 aureos hæredi suo, ut eis fundum constituat pro stipendio Missæ quotidianæ. Hic autem invenit Communitatem Religiosam ; quæ acceptis 800, in se talis Missæ onus suscipit, sibique retinet alios 200. Qu. An licite?

Resp. Negando, eo quia *ultima voluntas Defuncti omnibus modis observari debet, can. Ultima voluntas* 13. *quæst.* 2, *ac pro lege habenda est*, *Auth. de Nupt.* § *disponat;* ipse enim erat, ut supponitur, sui, ac rerum suarum dominator et arbiter : unde summa 1000 aureorum ab ipso relicta pro fundo stipendii Missæ quotidianæ, in casu habetur ut posita in testamento taxative, utpote determinate assignata, ac relicta in tali determinata quantitate pro constitutione hujusce fundi. Propterea hæres nihil ab ea detrahere potest, sive titulo industriæ, sive alio quovis titulo specioso, qui realiter sapit potius affectum avaritiæ, ac turpe lucrum; prout in casu consimili, quoad Missas manuales, inquiunt constitutiones Urbani VIII, aliorumque Romanorum Pontificum. Accedit, majus stipendium pro Missis etiam conferre ad majus Testatoris suffragium, ut docet Franciscus Lugo de Sacram. lib. 5, cap. 12. quæst. 5. num. 50, ac fieri posse, quod Testator tantum reliquerit, eo quia processu temporis fructus talis summæ, (sive hoc collocetur in prædiis, sive in locis montium, sive, etc.) decrescunt, et sic voluit, in facti occurrentia, adhuc remanere stipendium congruum : quæ intentio non adeo facile implebitur detractis his bis centum aureis. Ergo hæres in casu licite hos sibi non retineret. Neque dicas, ad unguem adhuc impleri Testatoris voluntatem, statim ac Religiosa Communitas assumit sibi onus Missæ quotidianæ pro aureis 800. Id enim est falsum, cum sic missæ non celebrentur ad rationem eleemosynæ relictæ a Testatore, nec præcaveatur dictum periculum, nempe quod pro his amplius non habeatur imposterum stipendium congruum. Nec repetas, communitatem Religiosam libere cedere juri majoris quantitatis. Siquidem in primis valde probabile est, quod ideo cedat, quia timet secus nihil habere, nec facile est invenire tot alias eleemosynas. Deinde sicuti Sacerdos, qui alteri Missam celebrandam committit, nequit sibi retinere partem eleemosynæ, quam habuit pro tali Missa, quamvis in se suscipiens hujusmodi onus, consentiat in hanc retentionem, ut patet ex Constit. *Quanta cura* edita a SS. D. N. Benedicto Papa XIV, die 1 Junii 1741, ita idem

videtur dicendum de hærede quoad retentionem partis summæ, relictæ a Testatore pro constituendo fundo Missæ quotidianæ; hujus enim voluntas, expressa in Testamento, hæc est, quod assumens onus Missæ quotidianæ, a se relictæ, fruatur fructibus fundi aureorum 1000, et non 800 tantum; quemadmodum voluntas ejus, qui in primo casu dedit eleemosynam pinguem pro Missa, id est, quod ea tota, ac integra fruatur, qui celebrat eamdem Missam.

MENSE MAII.

CAS. I. — Titius die Festo ex legitima causa nequit audire Missam. Qu. An teneatur hanc supplere aliis precibus; an vero sufficiat ad sanctificationem Festi, quod abstineat ab operibus servilibus?

Resp. Titium non teneri aliis precibus Missam supplere; at non sufficere ad Festi sanctificationem, quod abstineat ab operibus servilibus. Ratio pr. part. est, quia auditio Missæ in die Festo est de mero præcepto Ecclesiæ; quæ cum nullibi præcipiat istud supplementum cum aliis precibus, in casu Missæ non auditæ, ideo non est, cur Titio imponatur hujusce supplementi obligatio. Ratio sec. part. est, quia Ecclesia, sive in transferenda sanctificatione a die Sabbati in diem Dominicum, aliosque Festos dies, postmodum a se institutos, sive in præcipienda in his auditione Missæ, de medio non sustulit præceptum naturale quandoque colendi Deum, neque Divinum mandatum, quo Deus in Decalogo præceperat, indefinite quidem, ac indeterminate, cultum etiam externum a nobis ipsis præstandum per dictam sanctificationem; nec definivit, eumdem cultum adæquate consistere in Missæ auditione, ac abstinentia ab operibus servilibus. Propterea ad hoc, ut Titius debito modo Festum sanctificet, debet positive aliquid facere in cultum, et obsequium Dei, si non ex vi præcepti Ecclesiæ, saltem ut exequatur præceptum naturale, ac Divinum. Nec sufficit, quod abstineat a dictis operibus, etiam cum intentione præstandi cultum Deo per hujusmodi

abstinentiam : siquidem in tantum opera servilia vetita sunt in die Festo, *in quantum impediunt applicationem hominis ad Divina*, ut ait S. Thomas 2, 2, quæst. 122. art. 4, ad 3. Unde S. Augustinus Serm. 251, de temp. ad rem loquens, dicebat : *Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed a Vespere diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici, sequestrati a tali opere, et ab omni negotio, soli Divino cultui vacemus... Veniat ergo, cuicumque possibile sit, ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, et oret ibi cum conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non potest* (en Casus noster) *saltem in domo sua oret, et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis :* quæ verba cum sint expositio, ac declaratio Divini præcepti, ibi facta a S. Doctore, intelligenda non sunt per modum consilii, sed quatenus, quæ præceptum ipsum imponit, patefaciunt.

CAS II. — Sponso de futuro, frequenter lapso cum Sponsa in actus inhonestos, statuit Confessarius suspendere Absolutionem; ast quia hic subdit, factam jam esse in Ecclesia duplicem denuntiationem pro Matrimonio cum ipsa ineundo, eidem Absolutionem impendit. Qu. An recte id peragat. Secundo : Quotuplicis peccati sint rei Parentes, cum hac libertate solam linquentes filiam Sponsam cum Sponso; et an ob id incurrant in aliquam pœnam?

Resp. ad I. cum dist. Vel talia concurrunt in Sponso, ut Confessarius possit efformare judicium prudens, quod ille vere doleat de præteritis, et usque ad celebrationem Matrimonii remotum sit periculum relapsus; et in tali casu dico, ipsum id recte peragere. Vel in prædicto non concurrunt talia, ut Confessarius prudenter possit hoc judicium efformare; et tunc dico, ipsum id recte non peragere. Ratio pr. part. est, quia semel ac talia concurrunt in pœnitente, ut Confessarius prudenter possit efformare hoc judicium, quod Pœnitens vere doleat de præteritis, et per consequens non habeat amplius affectum ad peccatum, imo ipsum ex vero corde detestetur, ac periculum prius proximum relabendi, evaserit re-

motum ; intervenit quidqui d requiritur ad ipsum valide, ac licite absolvendum ; et ideo ei in tali casu impertiendo Absolutionem, recte se gerit, præcipue cum sic eum non relinquat expositum periculo sacrilegii, quod secus facile committeret, contrahendo Matrimonium in statu peccati mortalis. Ratio sec. part. est, quia non concurrentibus prædictis in Sponso, hic est indispositus ad Absolutionem, quæ propterea ei impertiri non potest. Nec refert in hoc casu, quod Pœnitens relinquatur in periculo novi sacrilegii ; nam in primis non est Confessarius, qui ipsum posuerit in tali periculo, sed est malitia ejusdem Sponsi, ac Sponsus ipse, qui noluit se rite disponere, imo posuit, et prosequitur ponere obicem, ne a tali periculo retrahatur per Absolutionem Sacramentalem. Deinde potest Sponsus ante celebrationem Matrimonii sibi consulere per actum Contritionis, uti suaderi solet iis, qui ex una parte soliti sunt delinquere, ex alia incurrunt periculum gravis infamiæ, vel scandali, ni accedant ad Eucharistiæ Sacramentum : siquidem si eliciat prius actum veræ Contritionis, consulit in eo casu sibi, ac reverentiæ Sacramenti Matrimonii, cum ad hoc, et alia Sacramenta (excepta Eucharistia) non sit necessaria Confessio, sed sufficiat Contritio, ut inter alios docet Giribaldus de Pœnit. cap. 5, dub. 3, num. 16.

Resp. ad II. quoad primam partem, multiplicis peccati reos esse Parentes, qui naturali, ac Divina lege posthabita, neglectoque præcepto, tot Ecclesiasticis sanctionibus ipsis inculcato, de habenda sollicita cura filiorum, cum ea libertate solam relinquunt filiam Sponsam cum Sponso ; siquidem ultra generale inobedientiæ peccatum, quo delinquunt contra omnes, et singulas prædictas leges, quoties advertenter id faciunt, peculiariter peccant contra justitiam, contra charitatem, contra pietatem, et contra fidelitatem. Contra justitiam, quia tenentur ex officio impedire, cum possunt, malum spirituale filiorum. Contra charitatem, quæ eidem obviari postulat ; si enim charitas ad hoc urget nos erga proximum quemcumque, cum id facere possumus absque nostro gravi incommodo ; a fortiori urget Parentes

erga filios. Contra pietatem ; nam si unitas sanguinis hac lege nos adstringit erga omnes consanguineos , ut omne malum, quod possumus, ab eis totis viribus arceamus, cur non adstringet Parentes ad arcendum a filiis omnium malorum gravissimum, nempe peccatum? Denique contra fidelitatem ; filii namque , ac filiæ, sunt pignora a Deo Parentum custodiæ commissa , ad quæ fideliter custodienda, ab ipsomet Matrimonii contractu, vel saltem cum a Deo illos exceperunt, ipsi se obligarunt , et propterea contra deficientes in hoc inquit Apostolus, 1 ad Timoth. 5. *Si quis suorum , et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit , et est infideli deterior.* Quoad sec. partem postea dico, juxta postremam Diœcesanam Synodum *lib.* 2. *cap.* 9, § *Caute*, Parentes incurrisse ipso facto Excommunicationem Eminentiss. Archiepiscopo reservatam , si Sponsis permiserint, ut solus cum sola cohabitarent in eodem cubiculo , vel domo ; et assensu tacito, vel expresso indulserint, ut se invicem cognoscerent ante celebrationem Matrimonii (qua pœna ibi quoque afficiuntur in casu iidem Sponsi ,) insuper mulctandi dicuntur iidem Parentes pœna viginti aureorum , et aliis arbitrariis, ut videre est ibidem in eadem Synodo.

CAS. III. Anceps est Capellanus : I. An absolvi queat Puer, qui prima vice confitetur , et aliam non exponit, nec habet , materiam remotam , quam lethale dubium. II. An valida sit absolutio Pœnitentis, qui unice exponit peccatum, quod putat se commisisse, sed revera illud non commisit. III. An absolvi valeat moribundus, existens in cubiculo ejusdem domus, contiguo illi, in quo reperitur Sacerdos, si alta voce Absolutionem petat , ac rationabiliter timeatur decessurus, antequam idem Sacerdos ad ipsum perveniat. IV. An Oleo Sancto possit inungi Senex , qui præ decrepita ætate, creditur in dies decessurus , si alia non sit affectus ægritudine. V. Denique, an eodem Sacramento, ac Sacro Viatico muniri queat Puer septennis , existens in proximo mortis periculo : hinc quoad singula consulit Parochum. Attenditur Parochi responsio ?

Resp. Parochus ad 1 *cum dist.* Vel dubium quoad tale peccatum, est dubium juris, quatenus dubitatur, an peccatum ab eo commissum, ac expositum, mortale sit, an veniale; et tunc inquit, ipsum posse absolute absolvi; cum enim materia exposita certo sit saltem venialis, adeoque sufficiens pro Absolutione absoluta; ideo, etc. Vel dubium quoad idem peccatum est dubium facti, quatenus dubitatur, an puer commiserit, nec ne, tale peccatum; et hoc in casu, inquit, Absolutione saltem absoluta, ipsum non posse absolvi; nam cum materia remota exposita non sit certa, et aliam certam exponibilem supponatur non habere, defectu materiæ certæ, tum necessariæ, cum sufficientis, nequit Confessarius absolutam ei Absolutionem impendere; certum namque positivum judicium efformari nequit de reatu peccati, ubi de hoc certo non constat. Dixi, non posse ei impendere *Absolutionem absolutam :* an autem valide, ac licite possit eidem impendere Absolutionem conditionate : dico, quod sic; vel enim Puer revera non peccavit; et tunc, cum Minister conditionate absolvens nihil in tali casu intendat conficere, Sacramentum non perficit; cujus propterea reverentiæ satis consultum; et sic Minister iis, quibus vexabatur, relevatur angustiis, de relinquendo aliter puero in periculo æternæ suæ damnationis. Vel Puer peccavit; et tunc per eam Absolutionem hic manet absolutus, proindeque ab æternæ damnationis periculo creptus, ad cujus amotionem in casu jus habet, cum ad hunc finem Christus Dominus hoc instituerit Sacramentum, et in nullo Rituali, Concilio, vel Canone, damnetur, aut vituperetur in casu Absolutio conditionata; imo in hac, et similibus circumstantiis, sit modus rationabilior, expeditior, et, attenta Sacramenti Pœnitentiæ institutione, ad remittenda peccata connaturalior; quamobrem Confessarium in casu non solum posse, verum et positive teneri conditionate puerum absolvere, expresse tradunt Gormaz de Pœnit. disp. 3, sect. 3, n. 169, et Eusebius Amort, eod. tract. disp. 4, de Confess. quæst. 3, quæstiunc. 2. resp. 2. Ratio est, quia Puer tenetur de tali mortali dubio confiteri, cum dicat S. Thomas in 4, dist. 22, quæst. 2,

art. 3, ad 3. *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente.... periculo* namque *se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* Hinc cap. *Omnis utriusque sexus*, non solum certa pro certis, sed etiam dubia pro dubiis dicuntur in Confessione exponenda. Ergo Confessarius tenetur illum absolvere, ne post Confessionem peccati non reservati, expositum ipsum relinquat periculo æternæ damnationis. Sed nequit illum absolvere absolutione absoluta, prout supra dictum est; ergo debet eum absolvere conditionate. Et ratio fundamentalis est, quia licet hujusmodi mortale dubium non sit materia sufficiens pro absolutione impertienda absolute; est tamen materia sufficiens pro Absolutione conditionata; cujus usum, interveniente rationabili motivo illicitum non esse, nec novum, luculenter ostendit etiam Benedictus XIV, de Syn. Diœc. lib. 7 cap. 15, proindeque, si eveniat, aliam non posse exponi materiam certam, ut in casu, Pœnitens absque scrupulo est sub conditione absolvendus a lethali dubio : quod prælaudatus Amort cum aliis etiam ad casum extendit, quo Pœnitens, monitus ut addat peccatum certum, jam confessum, hic nolit ipsum addere : inquit enim, etiam tunc eum esse absolvendum conditione mente retenta, eo quia ad aliud addendum moneri quidem potest, sed non obligari; et praxis contraria quorumdam ad scrupulositatem pertinet. Vide ipsum Amort l. c.

Ad II. *respondet*, affirmare Vivam de Pœn. disp. 4, quæst. 3, art. 3, aliosque, eo quia licet in hujusmodi Confessione non adsit vera materia remota, adest tamen vera materia proxima, nempe verus dolor, et Confessio. Hinc sicuti, quando exponitur in Confessione peccatum alias jam rite confessum, ac remissum, valida est Absolutio, ac recipitur gratia deletiva peccati, quamvis peccatum jam fuerit antea deletum; ita, etc. Ut enim validum sit Sacramentum, sufficit, quod habeat effectum in actu primo, nempe, quod præbeat gratiam ex se remissivam peccati, quamvis per accidens in actu secundo peccatum deleat : prout equidem in casu evenire dici potest. Subdit nihilominus, oppositum probabilius vi-

deri, eo quia ad veritatem Sacramenti Pœnitentiæ etiam vera materia remota debet intervenire, uti colligitur ex eo, quod istud Sacramentum fuerit a Christo Domino institutum, non utcumque, sed per modum judicii circa peccata actualia, post Baptismum, et si vis etiam in ipso actu Baptismi, commissa, ut delenda, et destruenda. Porro revera tale non est peccatum mere putatum; et sic neque verum in casu proprie conficitur Sacramentum. Nec tenet paritas de peccato alias remoto; hoc enim vere fuit commissum, et ex quo fuerit commissum, semper retinet rationem veræ materiæ remotæ, de qua doleamus, et quæ proinde millies exponi potest, ut ab ea absolvamur. Ab opposito peccatum mere putatum, cum revera commissum non sit, non habet rationem materiæ remotæ veræ, sed tantum putatæ; unde se solo non sufficit, nisi ad Sacramentum putatum, etsi ob ejus apprehensionem teneatur Pœnitens illud fateri, si ipsum ut mortale apprehendat.

Ad III *respondet* juxta plures absolvi posse, quia in tali casu non absolvitur absens (quod certe fieri nequit, ac est damnatum a Clemente VIII) sed præsens; cum moribundus per illam petitionem absolutionis præsens fiat Sacerdoti, ipsius locutionem audienti; qui propterea nedum valide, sed etiam licite eum in casu absolvere potest. Ita Antonius a Spir. Sanct. tract. 5, disp. 2, sect. 1, contestans se opinionem hanc in praxim deduxisse, absolvendo de facto e proprio cubiculo alium Religiosum sui Ordinis, in alio cubiculo existentem, Confessionemque petentem. Giribaldus de Pœnit. cap. 5, dub. 7, n. 44, et Pasqualigus, rem ex professo examinans in Theor. et Prax. quoad constitutos in mortis articulo, quæst. 159, per tot. ubi dictam præsentiam sic probat: *Illud dicitur præsens, quod se communicat in notitiam sensuum; ut notant Glossa in Clement. Dudum v. Præsentari de sepult. allegans l.* 1, *init. ff. de Verb. oblig. et D. Thomam* 1, *part. quæst.* 8, *art.* 3, *in C. et ad* 2. *Et proinde ut quis sit præsens in ordine ad aliquem specialem effectum, sufficit, si se communicet illi sensui, a quo dependet talis effectus; nam tunc sensu percipitur præsentia, quo percipi debet propter effe-*

ctum, pro quo requiritur. Sed in casu præsenti adest talis præsentia. Ergo. etc. Min. prob. *Præsentia requiritur in Sacramento Pœnitentiæ in ordine ad accusationem, qua Pœnitens se accuset coram Sacerdote, atque adeo ad locutionem; et cum locutio respiciat auditum, sufficit illa præsentia, qua se possit communicare præsentiali modo auditui, ita ut alloqui possit Sacerdotem, et Sacerdos ex vi allocutionis possit percipere loquentem; nam cum locutio præsentialis sit, facit, ut præsentem percipiat loquentem. Ergo eo ipso, quod Pœnitens potest percipi sensu a Sacerdote tanquam loquens, et se accusans, habetur pro sufficienter præsenti in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ.* Quamquam vero isthæc opinio suo, ut patet, non destituatur fundamento, ejus tamen praxim nec exequerer, neque consulerem, nisi sub conditione, eo quia est valde controversum, an illa communicatio in notitiam sensuum de se sufficiat ad inducendam præsentiam; nec hanc semper inducit: sic licet celebrans quandoque dicat Missam voce adeo alta, ut audiatur in vicinia, dormitorio, et coquina; tamen est valde controversum, an Missam audiens e fenestra viciniæ, præcepto Festi satisfaciat; ut videri potest apud Rosignolum de Euchar. quæst. 8, art. 11, n. 11, et Giribald. in 3, Dec. cap. 3, dub. 3, n. 2, et communiter negatur eidem satisfieri per auditionem in dormitorio, vel coquina. Ergo cum certum non sit, per dictam communicationem præsentiam induci: quin imo juxta Tamburinum, pluresque alios Theologos non rigidiores, pro Absolutione major requiratur propinquitas, quam pro audienda Missa, ut videre est apud de Ligorio lib. 6, tract. 4, c. 1, dub. 1, num. 429, dicendum est, solum sub conditione posse in casu absolvi moribundum: quemadmodum etiam dicerem de naufragis sub ponte, Absolutionem petentibus, non visis a Sacerdote super ipsum pontem existente.

Ad IV. *resp. affirm.* Ratio est, quia jam tum cœperunt lethali morbo interius laborare, quo cito perducantur ad mortem, quamvis exterius videantur sani, et incolumes; ipsa enim gravis, et annosa senectus, infirmi-

tas est, quæ interiora vitæ organa labefactat, et mox ducit ad interitum, ut loquitur Benedictus Papa XIV, de Syn. Diœc. lib. 8, cap. 12, n. 2. Quamobrem hujusmodi senibus conceditur tale Sacramentum etiam a Concilio Mediol. IV, part. 2 et Aquensi an. 1585, ut ibid. adnotat idem Pontifex.

Ad V. *et ultimum respondet*, Pueram septennem muniri utique posse tum Oleo sancto, si sit doli, ac culpæ capax; cum sacro Viatico, si eo polleat judicio, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum firmiter credat, ac reverenter adoret. Ratio primæ partis est, quia semel ac puer est capax mali, necnon effectus per tale Sacramentum causati, est etiam capax remedii, ac talis Sacramenti; tunc enim sicuti est capax Sacramenti Pœnitentiæ, ita et extremæ Unctionis, quæ est illius complementum; ut recte ait Benedictus XIV, cit. lib. 8, de Syn. Diœc. cap. 6, n. 2, ipsique competere possunt, ac in ipso verificari verba formæ : quod per Doctorem Angelicum in 4, dist. 25, quæst. 2, art. 2, est veluti nota, ac discerniculum, an quis capax sit Sacramenti : *Nulli* namque, ibi inquit S. Doctor, *debet dari Sacramentum, cui non competit forma Sacramenti :* Unde, a contrario sensu inferas, eum esse Sacramenti capacem, cui competit, aut competere potest forma Sacramenti sed quando Puer septennis est doli, ac culpæ capax, tunc ipsi competit, aut competere potest forma sive Sacramenti Pœnitentiæ, sive Extremæ Unctionis, cum utrumque sit abstersivum, ac respective deletivum ejus in quo deliquimus. Ergo, etc. Hinc laudatus Pontifex l. c. approbat statutum a Cardinali de Rohan. Synodo Argentinensi tit. de Extr. Unct. § 2, p. 174, ubi edicitur : *Non denegetur etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint ;* et reprobat Synodalem Constitutionem, a Germano Valente Guellio, Episcopo Aurelianensi, anno 1587 promulgatam, in qua decernitur : *Non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt ;* commendatque Pastorale Mechliniense, quod, postquam retulit hæc Ritualis Romani verba, *Non ministretur pueris, ratio-*

nis usum non habentibus, addit : *Secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis ac Confessionis capaces sunt, licet sint solum octo, aut novem annorum, et quamvis nunquam communicaverint.* Ratio postea sec. part. est, quia statim ac puer tali pollet cognitione, ac judicio, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum firmiter credat, ac reverenter adoret, jam discernit panem cœlestem a terreno, et pro modulo suo concipit devotionem hujus Sacramenti : quod juxta S. Thom., a nobis relatum in Resp. ad 3, Julii 1755, sufficit, ut per modum Viatici non solum ei ministrari possit, sed etiam ut non sit ei denegandum. Et Suarez, Cardinalis de Lugo, aliique relati a Benedicto XIV, cit. lib. 8, cap. 12, num. 3, expresse docent, omnibus, qui sunt doli capaces, positis in vitæ discrimine, ex præcepto divino, esse porrigendum.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Sacerdos fœtæ famulæ consuluit procurationem abortus, ne detegeretur crimen utriusque, ac ipse non impediretur ab assecutione Beneficii, quod, abortu secuto, revera fuit ipsi collatum. Qu. 1°, an, ultra Reservationem, contraxerit aliquod impedimentum ; et quid exprimendum, ut rite ab hoc dispensetur. 2°, an possit retinere Beneficium, ac fructus ex eo perceptos ?

Resp. ad I. quoad pr. part. Si abortus est fœtus animati, ut quæsitum supponit, Sacerdos, ultra Reservationem cum Excommunicatione Episcopo specialiter reservata, contraxit etiam Irregularitatem propter homicidium, et quidem reservatam Summo Pontifici, etiamsi consilium ab eo famulæ datum, et abortus, sint occulta. Ratio desumitur ex Constit. *Effrenatam* Sixti V, quoad hoc nihil immutata a Gregorio XIV, ubi hæc omnia statuuntur contra eos, vel eas, qui, aut quæ dictum abortum vel causant, vel consulunt, vel alio modo scienter ad illum cooperantur, effectu secuto. Quoad sec. part.

dico quod si famula fœtum conceperat ex ipso Sacerdote, debet hic exprimere in supplici libello, S. Pœnitentiariæ præsentato pro dispensatione super Irregularitate ex abortu occulto, debet, inquam, exprimere, quod fœtus fuerit a se genitus ; nam si foret a se genitus, et id non fuisset expressum, tunc, ex stylo S. Tribunalis, gratia esset subreptitia. Et de facto in hoc casu major ponitur difficultas ad dispensandum, ut ex Thesauro de Pœnit. v. Abortus in fine notat P. Syrus Dilucidat. part. 2, cap. 4, p. 271 et 275. Item si alias obtinuit similem dispensationem a S. Pœnitentiaria ob simile delictum, debet id exprimere in nova supplicatione : quia ni id expresserit, dispensatio concessa ei non suffragatur, ut tradit idem P. Syrus ibid, p. 271, subdens propterea executorem Litteræ debere quoad hæc prius interrogare Pœnitentem.

Resp. ad II. probabilius videri quod non ; tum quia ipse erat inhabilis ad Beneficia, cum hoc fuit ipsi collatum, ut expresse constat ex præfata Constit. *Effrenatam*, ubi Pontifex loquens de Clerico, qui concurrit aliquo ex prædictis modis ad procurationem abortus, inquit, *omni clericali privilegio, officio, dignitatibus, et beneficiis.... ipso facto privatur, et sit in futurum inhabilis ad ea suscipienda :* tum qui erat excommunicatus, et sic inhabilis ad Beneficia etiam ex hoc alio capite, ut decrevit Innocentius III, *in cap. Postulastis, de Cler. excom. min.* ubi ait : *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum ; cum ea non fuerint canonice consecuti.* Propterea collationem Beneficii, factam excommunicato, esse ipso jure nullam, communis est Theologorum opinio, ut videre est apud Peyrinum de Præf. quæst. 2, cap. 5, n. 2, ac Matthæuc. Offic. Cur. cap. 38, n. 11. Neque dicas, ly *ipso facto* fuisse in Bulla Sixtina appositum ad terrorem ; et præxim invaluisse, quod Beneficia non dimittantur ante sententiam declaratoriam Judicis : propterea cum inhabilitas pari modo ibidem imponatur, nec ipsam incurri ante hujusmodi sententiam, ut cum Molina,

Lessio, et aliis docet Rosignolus de Matr. 8, præn. 14, n. 8. Contra enim : ly *ipso facto* juxta communem DD. intelligentiam importat Canonem latæ sententiæ, et significat, legem obligare in conscientia ante sententiam. Suarez de Leg. lib. 5, cap. 8, n. 1. Salas cod. tr. quæst. 98, tr. 14, disp. 15, sect. 2. Quod postea invaluerit praxis ut supra quoad Beneficiorum dimissionem; in primis satis non constat: deinde fieri potest, quod ita sit respective ad eos, cum quibus misericorditer jam dispensatum est, ut possint Beneficia, antea obtenta, licite retinere; idemque dici potest de jam dispensatis quoad inhabilitatem. Cæterum, seclusa hac prævia dispensatione, id absolute nego; ac propterea dico, Sacerdotem non posse retinere Beneficium, nec fructus. Non Beneficium, quia est nulliter obtentum; cum enim collatio fuerit nulla, utpote facta tempore, quo electus erat incapax, ideo per tempus subsequens, aut per subsequentem absolutionem a Censura, non validatur, juxta illam reg. 18 jur. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure non subsistit.* Nec ex post facto convalescere potest, quod ab initio non subsistit, cap. *Auditis* de Elect. Non fructus; quia collatio scienter nulla non parit legitimum jus percipiendi fructus, eosque retinendi. Quod verum puto, etiamsi allegaretur ignorantia inculpabilis, excusans a censura; nam licet ignorantia inculpabilis, secundum jura, et Doctores, excuset a censura; tamen non validat actum ab Ecclesia irritatum: nec habilitat inhabilem. Cap. *Quodam*, de Præbend. in, juncta Glossa ibid, et cap. *Quia cunctis*, de conces. Præb. pariter in 6. Peyrinus l. c. n. 4. Gonzalez, et alii. Quæ, ut patet, valent non obstante subsequenti absolutione in foro sacramentali in vim Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, ob defectum invalidæ Collationis, et Investituræ. Covarruvias in cap. *Alma Mater*, part. 1, § 7 et 11, de Sent. Excom. n. 76. Argyro Discept. Eccl. lib. 8, disc. 30, n. 6. et seqq.

CAS. II. —Vellet Vidua transire ad secundas Nuptias : quoniam vero habet domum suam alteri locatam, ipsaque habitat in domo aliena, cui deservit : oritur du-

bium, anne Parochus, in cujus Parœcia habet domum, an vero ille domini debeat ejus Matrimonio assistere. Qu. Quid dicendum ?

Dicendum, debere illius Matrimonio assistere Parochum domini, cui deservit, et in cujus domo ipsa habitat. Ratio est, quia cum domum suam alteri locaverit, ipsa ibi non habet nec domicilium, nec quasi domicilium ; ideoque spectare nequit ad Parochum talis Parœciæ ejus Matrimonio assistere. Econtra cum inhabitando in domo domini, cui deservit, habeat ibi quasi domicilium, quod sufficit ad valide assistendum, ideo ad hunc spectat in casu illius Matrimonio assistere, ut patet ex Notif. 13, tom. 2, n. 17, et Notif. 21, tom. 4, SS. D. N. Benedicti Papæ XIV.

CAS. III. — Cum Parochia paucos habeat incolas, ac modicos redditus, Parochus solis diebus Dominicis, aliisque festis propriæ inservit Ecclesiæ ; cæteris vero diebus solum pernoctat in Parœcia ; relicto, pro tempore diurno, alio Sacerdote, pro omni contrario eventu. Cum postea ipse, vel alius Sacerdos festis diebus in sua Ecclesia Missam celebrat, sinit pauperes ibi quæstuare, nec unquam denuntiat Indulgentias, quandoque a Summo Pontifice concessas. Qu. An ob hæc arguendus sit peccati mortalis ?

Resp. in primis, Parochum Ecclesiæ suæ inservientem solis diebus Dominicis, aliisque festis, cæteris vero diebus in sua Parochiali mere pernoctantem, utique ob hoc esse arguendum peccati mortalis. Ratio est, quia sic oneri debitæ residentiæ, et curæ erga Parochianos, plurimum deest, ut sæpius declaravit S. Concilii Congregatio, cujus decreta jam alibi protulimus : quibus aliud nunc addo ejusdem S. Congregationis in Fulginatens. Residentiæ die 10 Maii 1687, ad dub. 1 et 2, quo expresse declaravit, oneri residentiæ minime satisfieri a Parocho, qui festivis diebus ad suam Ecclesiam accedit, ac de cætero, nocturno tempore residet apud eamdem Ecclesiam, sed mane se confert ad Civitatem, Vicario, seu ubstituto relicto. Nec Parochum excusat vel paucitas

Parochianorum ; ut enim recte adnotarunt Fagnanus in cap. *Extirpandæ* de Præbend. § *Qui vero*, n. 11, et Pax Jordanus Lucubr. Canon. lib. 10, tit. 40, n. 43, licet in Parochia non commorentur nisi tres, vel quatuor incolæ tantum, adhuc tenetur Parochus residere : solus namque casus, in quo Ecclesia Parochialis desinat in totum Parochianos habere (quo casu remanet curata tantum habitu, non vero actu; ideoque, utpote carens incolis, regulatur uti Beneficium simplex, sicque Beneficiarius amplius non tenetur ad residentiam; Barbosa de Offic. et Potest. Paroch. cap. 8, n. 5 et alii comm.) valet eum a cura, et residentia excusare : quin imo etiam tunc requiritur, quod non adsit spes proxima, ut habitus reducatur ad actum per reversionem Parochianorum; nam si verisimile sit, quod brevi incolæ revertantur, regulanda est ad modum Parochialis actu, prout relatis concordantibus notat Fagnanus l. c. n. 48. Multo minus postea eximitur Parochus ab obligatione residentiæ, ac curæ, ob modicitatem reddituum. Siquidem de jure non debet attendi commodum ipsius Parochi, qui sponte ac libere hujusmodi Parœciam suscepit, sibique propterea debet imputare, si tale Beneficium acceptavit, ut recte inquit Fagnanus ibid. n. 7, sed debet attendi commodum Parochianorum. Hinc Parochus non residendo in casu, subjacet eisdem pœnis, ac si esset Beneficium pinguc; prout ultra Fagnanum ibid. n. 6, in cap. *Conquerente* de Cler. non resident. n. 1 et 2, docent Reginaldus in prax. Pœnitent. lib. 3, tract. 3, n. 294. Sanctarellus, et alii. = An dein Parochus arguendus sit peccati mortalis, ex quo sinat pauperes quæstuare in Ecclesia tempore Sacrificii, ita facile asseverare non ausim ; nam licet S. Pius V, in sua Constitutione *Cum primum*, Regularibus expresse præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tunc temporis tales ejiciat, nec sinat eos quæstuare; tamen Parochis, aliisque, id non præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, sed pœnam apposuit pecuniariam, si id permittant. En verba talis Constitutionis : *Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Prædicationum, aliorumque Divi-*

norum Officiorum non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, et Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam Claustralibus, sive Regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat; et si negligentes fuerint, gravissime ab Ordinario corripiantur: quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrent, et pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive Superiorum. Cum ergo non adeo facile sit asserendum, aliquid esse peccatum mortale, nisi de re simus certissimi, ut cum Gersone doctissimo Cancellario Parisiense lib. 4, part. 3, de Vit. spir. litt. O, jam diximus ad Cas. 2 Novemb. 1749, ideo, etc. *Omnis enim quæstio*, ait S. Thomas quodlib. 9, quæst. 7, art. 15, in C. *in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* = Quantum ad ultimum de omissione denuntiationis Indulgentiarum, etc. dico, quod ibi prius justificatæ illæ fuerint coram Ordinario loci, et hic mandaverit, ut eæ publicentur, utique arguendus est peccati mortalis, si nunquam eas lucrari satagant. Ratio est, quia, ut alibi adnotavimus, nedum Parochianis quoad ea, quæ iis sunt ad salutem necessaria, verum etiam quoad ea, quæ iis in hoc sunt valde utilia, providendum est; prout de facto sunt Indulgentiæ. Ergo si has nunquam denuntiat, et ob hoc Parochiani, etc. dicendum, ipsum ob hoc graviter deesse muneri suo, et sic peccare mortaliter: præcipue cum Ordinarii mandatum de earumdem publicatione ad hoc tendat, ut Parochianis denuntientur, adeo ut possint eas acquirere. Debet ergo Parochus vel inter Missarum solemnia, vel alio tempore, Parochianis opportuno, eas denuntiare; non tamen priusquam fuerint coram Ordinario loci justificatæ, et hic eas publicari mandaverit; ut enim notat Brotius in Prax. Regul. tit. 4, cap. 54, n. 3, V. Indulgentias. S. Concilii Congregatio declaravit, quod nullus sine Ordinariorum licentia, et auctoritate, potest eas publicare; non obstante quacumque exemptione, etiamsi Regularis, aut in Ec-

clesiis ipsorum Regularium, etiam prætextu privilegiorum, etc.

MENSE JULII.

CAS. I. — Confessus est Titius habenti facultatem etiam in reservata : invalide tamen, eo quia vel caruit dolore, ac vero proposito, vel quia malitiose reticuit unum reservatum, aut aliud mortale. Qu. An per istam absolutionem invalidam ablata fuerit reservatio omnium peccatorum; adeo ut sic absolutus possit absolvi ab inferiore Confessario?

Resp. Omissis in sua probabilitate aliorum opinionibus, non fuisse in casu ablatam reservationem omnium peccatorum, adeo ut, etc. sive talis Confessio invalida fuerit defectu doloris, ac veri propositi; sive quia Titius in ea malitiose reticuit unum reservatum : sive quia denique malitiose non expressit aliquod aliud mortale. Ratio generalis est, quia, ut ablata rationabiliter judicetur reservatio omnium peccatorum, taliter ut sic absolutus possit absolvi a quolibet Confessario, requiritur, quod Titius in casu revera satisfecerit fini reservationis; ut ipsimet adversarii fatentur. Jam vero in neutro ex prædictis casibus huic Titius satisfecit : siquidem finis verus reservationis, prout hæc tollitur in Confessione juxta præsentem hypothesim, non consistit in hoc, quod Pœnitens genuflectat ad pedes Superioris, aut Delegati, eique unum, vel alterum peccatum referat; nam secus Pœnitens, qui id præstitit, et ob aliquod rationabile motivum non fuit absolutus, puta, quia voluntarie non dimiserat proximam et liberam occasionem peccandi, posset deinceps absolvi a quovis simplici Confessario ab iis, quæ perpetravit, atrocioribus criminibus reservatis Episcopo, eo quia dicto modo se præsentavit Superiori, seu Delegato : quod plane alienum est a veritate; etenim qui in casu sic inabsolutum dimittit, nullo modo intendit tollere reservationem, sed potius hac adstrictum relinquere, usquequo Pœnitens redeat rite dispositus. Igitur finis verus reservationis hic est, ut graviora cri-

mina graviori judicio ipsius Ordinarii, vel eorum, qui ad hoc delegati sunt, subjiciantur : et sic Fideles probe conscii, hos non nisi maturo judicio ipsorum crimina expensuros, ac solis recte dispositis, condignaque indicta pœna, beneficium Absolutionis impensuros, ab iis committendis deterreantur; ut egregie tradit Homobonus de Cas. Reserv. part. 1, cap. 1, pag. 5. Ex quo patet, finem reservationis esse, ut non indifferenter ab omnibus Confessariis, sed tantum vel ab ipso Ordinario, vel ab aliquo ex Delegatis, sacramentaliter judicentur hujusmodi peccata, ac remittantur rite dispositis per Absolutionem sacramentalem. Sed Titius in neutro ex dictis casibus huic fini satisfecit, nunquam enim accessit rite dispositus, nec obtinuit absolutionem sacramentalem; absolutus namque fuit invalide, et sic absolutio, utpote nulla, non fuit Sacramentalis; ergo etc. Neque dicas, fuisse invalidam quoad remissionem culpæ, non vero quoad ablationem reservationis. Nemo enim intendit demere reservationem absque deletione culpæ; imo quilibet absolvens intendit quidem absolvere quantum potest, sed Absolutione Sacramentali. Unde cum actus agentis non operetur ultra intentionem ejusdem, *lib. Non omnis ff. si certum*, dicendum, non fuisse in casu ablatam reservationem etc. maxime cum reservatio sit quid moraliter adjacens ipsi culpæ, huic a Superiore alligatum; nec satis pateat, quod ex benignitate, ac praxi Ecclesiæ in casibus prædictis deleatur reservatio, quamvis non deleatur culpa.

CAS. II. — Confessus est pœnitens, inculpabiliter oblitus unius mortalis, quod paulo post fuit reservatum. Qu. An Confessarius, qui ab hoc ipsum absolvit indirecte, valeat etiam directe ab eodem ipsum absolvere?

Resp. neg. quia per subsequentem reservationem restricta, seu potius adempta est Confessario necessaria facultas ipsum directe absolvendi, ideoque, utpote carens jurisdictione in reservatum de novo, directe nequit ab eo Pœnitentem absolvere. Neque dicas cum Bordono tom. 1. resp. 38, num. 48, tale peccatum in casu quoad

culpam non esse amplius in conscientia, sed solum quoad obligationem illud confitendi ; sicque cum Pœnitens ad illius Confessionem teneatur, non quia fuit commissum, sed quia omissum, ideo Confessarius utique potest eum absolvere. Contra enim : Pœnitens in casu tenetur etiam de illo confiteri, qui ab eo fuit commissum ; si enim illud non commisisset, nihil referret omissio. Deinde, quidquid sit de hoc, et an amplius sit, nec ne, in conscientia quoad culpam ; hoc certum est, quod est in conscientia quantum ad obligationem ipsum subjiciendi Absolutioni directæ, et quod reservatio adimit Confessario facultatem, directam hanc Absolutionem impertiendi : ergo hic nequit illum directe absolvere ; ni forte reservans expresse fecisset reservationem quoad postea committenda, aut tali peccato annexisset cum reservatione censuram : censura namque, saltem regulariter, ad committenda refertur. Puteobonel. de Pœnit. quæst. 6, art. 1, num. 6.

CAS. III. — Dubitat Sergius, an tenere possit etiam ad Confirmationem, quem uti Patrinus tenuit ad Baptismum ; propterea quoad hoc consulit Parochum. Qu. Quid ei respondit ?

Respondet, non posse, nisi aliqua urgens causa ipsum taliter facere compellat. Ratio est, quia in primis ita colligitur ex cap. *Non plures*, et cap. *in Catechismo* de Consecr. Dist. 4, ubi etiam allegatur consuetudo Romana, quod in Baptismo, et Confirmatione Patrini sint diversi. Deinde talis videtur esse etiam communis consensus Doctorum, ut videre est apud Cuniliati de Confirmat. § 2, num. 2, in fin. De Ligorio eod. tr. num. 187. Giribaldum ibid. cap. 2, dub. 4, n. 18. Sporer in supplem. § 3. Salmanticenses, Anacletum, et alios passim. Unde cum sententia communis, juxta vulgatum juris axioma, habenda sit quasi pro lege, ac pro ratione moraliter evidenti, et demonstrativa, per Abbatem cap. 1, de Decim. Felinum cap. 1, de Constit. num. 54, ac Baldum in cap. *Ne innitaris ;* ideo dicendum, Sergium non posse, etc.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Ultima die, qua expirat Confessario facultas audiendi Confessiones, vocatur ad excipiendam Confessionem infirmi. Præsto est diligens Confessarius. At quia ægrotus morbo graviter premitur, non potest facere Confessionem formaliter integram.

Qu. I. An si die sequenti infirmus taliter convaluerit, ut possit integre confiteri etiam materialiter, idem Sacerdos valeat ejus Confessionem excipere, quamvis non obtinuerit novam approbationem, et etiamsi commode haberi possit alius Confessarius approbatus : Secundo, an idem Sacerdos similiter valeat excipere Confessionem Sani, qui heri penes ipsum confessus est, sed inculpabiliter omisit aliquod lethale ?

Resp. ad I. affirm. cum Sanchez in Decal. lib. 2, cap. 15, num. 15. Tamburino de Pœnit. cap. 4, § 10. Card. de Lugo eod. tract. disput. 19, sect. 1 num. 24, cæterisque communiter. Ratio est, quia causa incepta, et non finita, durat Delegati potestas, donec terminetur, ut ex cap. *Gratum*, cap. *In litteris*, *et cap. Relatum*, passim notant DD. Sed in casu Confessarius incepit causam, seu judicium Confessionis infirmi, quam Confessionem, ob gravitatem morbi, hic finire non potuit : ergo durat Confessarii potestas, donec terminetur ; ac proinde potest die sequenti eam excipere, etc. quemadmodum, juxta communiorem, plausibilioremque sententiam, simplex Sacerdos, qui jam cœpit audire Confessionem moribundi, prosequi potest hanc audire usque ad terminum, quamvis interim adveniat Confessarius approbatus. Et hoc a fortiori valet, si idem infirmus ad hunc finem postulet eumdem Sacerdotem, qui interim nequeat facultatis prorogationem facile obtinere ; hic enim casus videtur per epikejam exceptus ; et in hoc, ac etiam prædicto casu, intervenit ratihabitio de præsenti, et consensus tacitus Eminentiss. Archiepiscopi, cum praxis, ac experientia doceat, pluries intra annum Confessariis hujus Diœcesis concedi absque ulla difficultate pro-

rogationem facultatis ob causas etiam non adeo graves. Hinc cum taciti, et expressi eadem sit virtus, *l. Cum quod ff. si certum petatur*, idem consensus tacitus tribuit jurisdictionem, et per consequens sufficit, ut valide, ac licite fiat Sacramentum; Barbosa de Potest. Episc. alleg. 25, num. 3. Giribaldus de Pœnit. cap. 15, dub. 12, et alii passim, qui tamen advertunt, per consensum tacitum ratihabitionis obtineri jurisdictionem, non simpliciter, sed pro ea tantum Confessione, sive pro tali tempore, aut pro illis solum, quibus hoc permittitur.

Ad II. *resp.* affirmare Dianam part. 11, tract. 8, resol. 28, hoc nixum fundamento, quod sequens Confessio peccati obliti pertinet ad priorem. At communis opinio negat cum Facundez de 2. Eccl. præc. lib. 7, cap. 2, num. 34, et Tamburino l. suprac. eo quia Confessarius in hesterna Confessione jam protulit definitivam sententiam, et complete obivit munus suum, impertiendo Absolutionem Pœnitenti: unde Confessio peccati obliti proprie non complet, nec spectat ad judicium præcedens; sed est accusatio, seu actus novi judicii, ab illo diversi; quod propterea ab eo, cui expiravit facultas, nec licite, nec valide fieri potest. Hanc secundam sententiam in praxi tenendam consulo. Si quis tamen cum Diana sentiret, illum erroris damnare non auderem, usquequo ab Ecclesia id definitum non habeamus. Unum addo cum Cæsare de Panimollis decis. 47, num. 10, et est, quod si Pœnitens post priorem confessionem aliud grave peccatum commisit, tunc dictus Sacerdos, absque nova facultate, nequit eum absolvere; quia hoc novum peccatum non pertinet ullo modo ad Confessionem præcedentem; sicque Confessarius absolute indiget nova facultate, ut Pœnitentem absolvat, cum nequeat illum absolvere ab uno, et non ab alio.

CAS. II. — Puber ob metum gravem sodomitice indulsit viro incubo. Qu. An inciderit in reservationem?

Resp. plures negare, quia ad incurrendam reserva-

tionem, requiritur, quod peccatum fuerit commissum cum plena voluntarietate, quæ in casu defuit; cum, ratione gravis metus, peccatum fuerit puberi involuntarium secundum quid. Hinc sicuti si tali peccato esset annexa Excommunicatio, puber in casu eam non incurrisset; ita nec Reservationem. Alii e contra communius affirmant, quia ex una parte reservatio directe non afficit Pœnitentem, sed Confessarium; cum sit restrictio jurisdictionis ejusdem; ex alia peccatum fuit puberi simpliciter voluntarium; licet enim fuerit ad ipsum inductus ob gravem metum, tamen ejus voluntas, etiamsi tali metu coacta, adhuc fuit vera voluntas, et quidem sufficiens ad mortale, cum ageretur de malo gravi ab intrinseco. Nec refert paritas de Excommunicatione. Disparitas namque est, quia Excommunicatio est pœna, afficiens quidem directe ipsum peccatorem, sed contumacem, ideoque supponit in peccante plenam voluntarietatem, quæ cum in pubere defuerit, nil mirum, quod in facta hypothesi hic eam non incurrisset. Ab opposito Reservatio, saltem juxta sententiam magis communem, non est pœna, nec afficit Pœnitentem, sed Confessarium, nec requirit contumaciam; propterea ad ejus incursum sufficit, quod commissum sodomiæ peccatum sit voluntarium simpliciter, mortale, et cum iis qualitatibus, ob quas cadit sub reservatione, hoc est, in vase præpostero completum, et consummatum, uti supponitur in casu, in quo proinde puber incidit in Reservationem. Utraque sententia probabilis est; ideoque si Confessarius simplex puberem absolveret, recte se gereret. Reservatio enim in casu non est certo incursa; et stante probabilitate hinc inde, Ecclesia non adimit jurisdictionem, ac est in Confessario jurisdictio certa; ut cum Mazzuchello tradit Puteobonellus de Pœn. quæst. 6, art. 2.

CAS. III. — Puellæ gravidæ, paratæ se occidere, Clericus suasit abortum. Qu. An per hoc deliquerit, eoque secuto, sit irregularis?

Resp. deliquisse, et quidem gravissime; ac secuto abortu, ipsum esse irregularem. Ratio pr. part. est, quia

in iis, quæ sunt intrinsece mala, non licet per se consulere malum aliquod, etiamsi ab altero gravius expectetur, cum etiam in isto casu illud minus malum, malum sit, adeoque omnino evitandum, ut recte inquit P. Mansi de Cas. Reserv. p. 1, quæst. 2, cas. 5, num. 29. Et sane quis non percipit, Clericum sic præbuisse consilium directe tendens in expulsionem, ac occisionem fœtus innocentis, et hanc fuisse assumptam tanquam medium ad impediendam mortem puellæ culpabilis? quod plane illicitum est, dicente Apostolo, non esse facienda mala, ut eveniant bona; ergo talis Clericus revera gravissime deliquit. Neque opponas, non esse malum, de duobus malis minus consulere: hoc etenim valet solum in casu, quo quis debeat de duobus malis unum necessario eligere; tunc enim, cum nullus peccet, juxta D. Augustinum, in eo, quod evitare non potest, qui eligit minus, male non agit; adeoque et qui consulit minus, male non consulit. At in præsenti non sumus in eo casu; imo tantum abest, quod puella haberet debitum vel se occidendi, vel abortum procurandi, ut utrumque absolute esset ei omnino vetitum; et sic vetitum quoque erat ei consulere, ac suadere abortum: uti etiam colligitur ex 34, prop. damn. ab Innocent. XI. Ratio sec. part. in primis expresse constat ex Bulla *Effrœnatam* Sixti V, quæ inter alia statuta contra procurantes, aut consulentes abortum fœtus animati, apponit etiam irregularitatem S. Pontifici reservatam, in ordine ad quam Gregorius XIV, in sua Moderatoria nihil innovavit. Deinde per suasionem abortus fœtus animati influxit in homicidium; ergo hoc secuto, est irregularis. Vide prædicta ad 1. Junii hujus anni.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Parochianus Bononiensis una simul cum suo Parocho devotionis gratia Lauretum perventus, hunc rogat, ut suam Confessionem excipiat. Excipit hic probe sciens, se id posse facere. Quoniam vero Pœnitens eidem exponit non reservatum hic Bononiæ, bene vero

Laureti. Qu. An Parochus ab eo possit ibi illum absolvere ; et quid si ibi exponeret reservatum huic, non vero Laureti ?

Resp. quantum ad I. affirmative cum Card. de Lugo de Pœnit. disp. 20, sect. 5, num. 75, v. Dices, Barbosa de Offic. Episc. part. 3, allegat. 52, num. 16. Possevino, Mazzuchello, et aliis. Ratio est, quia jurisdictio Parochi Bononiensis, quoad Absolutionem sui Parochiani in foro interno, non habetur ab Episcopo Lauretano, nec ab ipso dependet, cum sit ordinaria, eique competat ipso jure, ratione Officii, ac Beneficii Parochialis ; ut expresse tradunt Benedictus XIV. de Syn. Diœc. lib. 5, cap. 4, num. 2. Giribaldus, aliique passim ; ac proinde per reservationem Episcopi Lauretani non restringitur quoad Absolutionem sacramentalem dicti Parochiani, qui propterea ibidem potest ab ipso absolvi. Neque dicas, ei quidem competere a jure, sed cum limitatione ad Civitatem, vel Oppidum, in quo sita est Parochialis ; ut declaravit S. Conc. Congregatio die 23 Maii 1585, apud Galemart ad cap. 15, sess. 25. Conc. Trident. Contra enim : quamvis hoc verum sit in rigore juris, tamen ex habituali consuetudine, fere ubique introducta, scientibus, et non contradicentibus Ordinariis, quoad Parochianos extenditur, nedum ad totam Diœcesim proprii Episcopi, verum etiam extra ; ut de communi testatur Benedictus XIV. Institut. 86, num. 7, ac declaravit eadem S. Conc. Congregatio in Posnanien, die 5 Decembr. 1707, definiendo, licere Parocho absolvere proprios subditos etiam extra Diœcesim ; ut videre est apud Monacellum in Supplem. ad 1 tom. num. 174. Hinc licet iis in locis, in quibus adhuc viget rigor juris, et consuetudo in contrarium (prout teste Bonacina viget adhuc Mediolani) talis consuetudo a Parochis respectivis servanda sit, adeoque ipsorum jurisdictio etiam quoad subditos coarctetur ad locum, aut propriam Diœcesim : sicuti coarctatur jurisdictio Confessariorum, qui ab Episcopo solum approbati fuere ad audiendas Confessiones sæcularium in sua Diœcesi, tamen quia hic Bononiæ, ejusque Diœcesi, non viget hic juris rigor quoad Parochos respective ad suos Parochianos ; ideo asserui, Paro-

chum posse in casu exposito suum Parochianum Laureti absolvere a casu, ibi tantum reservato.

Quantum postea ad 2, censeo cum Giberto in Corp. Jur. Can. tract. de sacram. tit. 7, de indulgent, sect. 1. reg. 42. Joan. Dominico Mansi de Cas. Res. part. 1, quæst. 1, § 3, num. 21. Pedrolo de minis. Sacr. Pœnitent. part. 2, cap. 4, sect. 2, art. 1, num. 54, non posse Parochum suum parochianum Laureti absolvere a casu hic Bononiæ reservato, quamvis non sit reservatus Laureti. Ratio est, quia licet jurisdictio Parochi revera ordinaria sit in foro interno, eamque in rigore non habeat a proprio Episcopo, sed a jure, et a Papa; tamen proprii Episcopi imperio tota Parochorum jurisdictio subest; ut expresse docet Benedictus XIV, in supra laudato Opere de Synodo Diœcesana, libro, capite, et numero citatis. Unde sive Parochus Parochianum absolvat intra Diœcesim, sive extra, eumdem semper absolvit vigore jurisdictionis, subjectæ imperio sui Episcopi: a quo propterea, sicuti quando habuit potestatem delegatam in reservata, potest, juxta Graffium, aliosque a Cabrino relatos res. 48, illa uti cum suo Parochiano, tum intra, cum extra Diœcesim; ita vice versa quando illam non habuit, prout supponitur in casu, eadem uti non potest cum suo Parochiano, sive intra, sive extra Diœcesim; ut recte ait Mansius l. c.: non enim est major ratio, quare ampliatio facultatis, facta ab Episcopo, sequatur Parochum etiam extra Diœcesim; et ejusdem facultatis limitatio illum non comitetur: præcipue cum reservatio Parochum afficiat non minus, ac alium quemlibet Confessarium Episcopo reservanti subjectum. Nec refert, quod hic agatur de absolutione Parochiano impertienda extra Diœcesim, et Tridentinum affirmans inesse Episcopis facultatem sibi reservandi casus, dicat sess. 14, de Sacram. Pœnit. cap. 7, hujusmodi facultatem *Episcopis omnibus* inesse *in sua cuique Diœcesi;* nam in primis responderi potest cum laudato Gibert, quod cum Parochus, suum Parochianum etiam Laureti absolvens, eumdem absolveret ut Parochus talis Diœcesis, intra illam eumdem absolvere censeretur. Deinde ex quo Tridentinum asserat, inesse Episcopis facultatem sibi reservandi casus *in sua*

cuique Diœcesi, nil inde evincitur contra hanc nostram assertionem : mens namque Patrum Concilii per hujusmodi verba hæc fuit, quod quilibet Episcopus Casus ibi reservans, hujusmodi actum exerceret in loco suæ jurisdictionis, adeoque non in aliena, sed in sua Diœcesi. De cætero an facta ab aliquo Episcopo reservatio Parochos, aliosque subditos Confessarios afficiat extra Diœcesim, nec ne, nil ibi a Concilio statutum; proindeque nil inde erui potest in contrarium. Quod si reponas, statutum reservationis habere rationem legis, cujus indoles est, per se, ac immediate respicere territorium, seu Diœcesim, eique quasi cohærere ; ac proinde non posse eum adstringere, qui extra Diœcesim existit ; ut patet in sententia excommunicationis, juxta Bonifacium VIII, in cap. fin. de Constit. in 6, eos subditos non afficiente, qui peccatum sub excommunicatione reservatum extra Diœcesim committunt. Respondeo, instantiam, ac paritatem probare, quod si Pœniteus ibi, nempe Laureti, ubi hujusmodi peccatum non est reservatum, exponat Confessario diverso a proprio Parocho, ab eo possit absolvi : quod nec ego inficior, cum Confessarius Lauretanus non ligetur a reservatione Archiepiscopi Bononiensis, neque huic subsit quoad suam jurisdictionem. At diversimode loquendum, cum agitur, prout in casu, de Confessione facta ipsimet proprio Parocho Bononiensi; cum enim jurisdictio ejusdem adhuc subsit, quoad suum Parochianum, Archiepiscopo Bononiensi, etsi Laureti degat, prout supra dictum est; ideo etc. Hinc solum eo tunc posset Pœnitens ibi a Parocho absolvi, quando ad id facultatem reciperet ab Episcopo Lauretano : in quo casu eumdem non absolveret ut ejus Parochus, sed tanquam alter confessarius, ab Episcopo Lauretano approbatus, ac jurisdictionem habens : circa quod nulla est difficultas, quod eo in casu posset illum absolvere.

CAS. II. — Cum in antecedenti dictum sit jurisdictionem Parochi esse a Papa, et hoc non obstante Parochum non posse absolvere subditum a reservatis proprio Episcopo, etiam extra Diœcesim : Qu. 1. Undenam col-

ligatur hujusmodi jurisdictionem esse a Papa; cum Episcopus ille sit, qui ut plurimum Sacerdoti confert Beneficium Parochiale, ipsumque immittit in possessionem ejusdem; 2. cur sit subjecta Episcopo, eo ipso, quod habetur a Superiori majori?

Resp. ad 1, ex eo id colligi, quod licet Episcopus revera ut plurimum Parochiale Beneficium conferat, etc. tamen non ipse eo tunc annectit ipsimet Beneficio collato jurisdictionem, neque eo tunc illam confert Sacerdoti; sed eam supponit jam Beneficiis Parochialibus annexam a Summis Pontificibus, qui ipsamet Beneficia Parochialia instituere, vel saltem jurisdictionem iis annexam decrevere, semel ac aliquis in Parochum esset institutus. Unde ex quo ipsimet Summi Pontifices per sacros Canones decreverint annexam Beneficiis Parochialibus hujusmodi jurisdictionem, hinc fit, ut Parochi non ab Episcopis, sed a Papa, et a jure, eam habere dicantur, quamvis Episcopus is sit, qui ut plurimum Beneficium confert, et per se, vel per alium immittit in ejus possessionem. Filliucius tom. 1, tract. 7, n, 279. Castropalaus de Pœnit. punc. 12, num. 9, aliique. Accedit, jurisdictionem Parochi in foro interno esse ordinariam, ut supra dictum est, proindeque etiam extra Diœcesim, ut diximus, regulariter potest illam exercere, audiendo subditi Confessionem; ergo non ipsam habet ab Episcopo Episcopus namque jurisdictionem ordinariam conferre non potest, ut testatur Menochius Conf. 52, num. 16. Ergo illam habet a jure, et a Papa.=Ad 2. dico, hujuscemodi rei causam non esse aliunde petendam, quam a voluntate ipsorum Romanorum Pontificum, qui voluere talem subordinationem, ad meliorem Christiani populi disciplinam, et ut sic omnia essent melius ordinata. Hinc sicuti quamvis per Apostolum Deus posuerit Episcopos regere Ecclesiam. tamen quia in Romano Pontifice residet suprema potestas in Ecclesiam universam, omnia taliter a Christo Domino ordinata sunt, ut in ordine ad aliqua hic possit sibi jurisdictionem peculiariter reservare; ita cum proportione idem dicendum de Episcopis respective ad Parochos propriæ Diœcesis. Propterea Tridentinum sess. 14, cap. 7, in peculiari

loquens quoad casuum reservationem, inquit: *Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, et graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas, unimirum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quod omnia, quando a Deo sunt, ordinata sunt. quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad il-la, quibus Excommunicationis censura annexa est.* Circa quod tamen sapienter admonet Benedictus XIV, supra laudato lib. 5, de Syn. Diœc. cap, 3, num. 3, quod licet Episcopus prædicta facultate reservandi casus possit semper, et quandocumque voluerit, uti; nihilominus multis nominibus decet, ut illam potius in Synodo, quam extra Synodum exerceat, ne secus Parochi conquerantur, suam ordinariam potestatem, ipsis prorsus insciis, nimis admodum coarctari: ut enim notat Cardinalis de Lugo de Sacr. Pœn. disp. 20, sect. 3, num. 37, quamvis Episcopus possit jurisdictionem absolvendi, quam aliis Sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare. et ad paucissimas causas restringere, tanta tamen potestate non potitur quoad Parochos, quorum jurisdictio, etsi ab Episcopo pendeat, eique subjaceat, non est tamen delegata, sed ordinaria; nec potest sine legitima causa aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat.

CAS. III. — Sempronius, emisso voto simplici castitatis, contraxit Sponsalia de futuro cum Berta. Qu. An si hæc fiat Monialis, et ipse dispensetur a voto, possit absque alia dispensatione contrahere Matrimonium cum Bertæ Sorore?

Resp. posse, supposito, quod votum Castitatis, ab eo emissum ante Sponsalia cum Berta, fuerit absolutum, et Castitatis perpetuæ, ac totalis. Ratio est, quia

in tali casu hujusmodi Sponsalia fuere nulla, ac invalida, ratione prædicti voti, quo Sempronius obstrictus eadem contraxit; cum tale votum omnino dissolvat Sponsalia subsequentia, ut probat Rosignolus de Sponsal. 11. præn. 4, ac tradunt Giribaldus, et alii DD. comm. Et sic, cum id, quod nullum est, nullum in casu producat juris effectum, ortum non est ex eisdem Sponsalibus impedimentum justitiæ publicæ honestatis inter ipsum Sempronium, ac Sororem Bertæ: prout clare colligitur ex Tridentino sess. 24, de Reformat. cap. 3, ac propterea idem Sempronius, si dispensetur a voto, utique potest absque alia dispensatione Matrimonium contrahere cum Bertæ Sorore.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Duo sunt hominis Usurarii hæredes. Qu. An si unus ex his vel restituere nolit, vel impotens sit, teneatur alter in integrum restituere. Secundo, an etiam famuli, et factores Usurariorum restituere teneantur. Tertio, an Confessarius non admonens Usurarium de onere restitutionis, loco illius teneatur restituere?

Resp. ad I. non teneri, si cohæres possit, ac nolit restituere ad ratam suæ portionis; teneri vero, si ille sit impotens, et portio, quam ipse habuit, ad id sufficiat. Ratio pr. part. est, quia hæredes in casu non tenentur restituere titulo injustæ acceptionis, sed titulo rei acceptæ, et in quantum repræsentant personam defuncti; sed ille, de quo est sermo, non accepit hæreditatem, nec repræsentat personam defuncti, nisi partialiter, alter enim et ipse accepit æqualem partem hæreditatis, et solum ambo simul repræsentant totam personam defuncti; ergo hoc nolente restituere, ille non tenetur restituere per integrum, sed solum ad ratam portionis, ut cum Cajetano, Molina, Lessio, et aliis tradit Barthol, a S. Faust. de Usur. qu. 92. Neque dicas, omnia bona defuncti in casu esse restitutioni obligata, obligatione saltem personali. Si enim omnia obligata sunt, ergo etiam accepta a cohærede; et sic etiam

hic cogi debet ad restitutionem pro rata ; malitia namque unius nolentis solvere, alteri nocere non debet. Excipe tamen casum, quo unicontigissent in partem omnes res per usuram a defuncto acquisitæ, et hæ penes ipsum adhuc extarent in specie; puta, si sint fundus, domus, et similia ; nam tunc spectaret ad ipsum ea omnia restituere : cum enim ad eum pervenerunt, erant obligata obligatione reali, et cum eadem ad ipsum transierunt, utpote quæ sequitur rem apud quemcumque existat; ergo ipse tenetur ea restituere, cum potestate postmodum agendi de meliori divisione cum cohærede ut sic salvetur æqualitas. Ratio postea sec. part. est, quia omnia bona libera defuncti, ad quemcumque devenerint in hæreditatem, secum detulerunt onus solvendi ejus debita; ergo si cohæres est impotens aliquid restituere, puta, quia omnia distraxit, aut consumpsit, in tali casu debet alter hæres restituere, quantum sufficit cum portione suæ hæreditatis. Vide relatum a S. Fausto l. c.

Resp. ad II. cum dist. Vel isti famuli, et factores Usurariorum, fuerunt aliquo modo causa cooperans ad usuras; vel non. Si non ; dico, ipsos ad nihil teneri, quia cum nullum influxum ipsi in usuras præstiterint, non est, cur obligentur ad faciendam ob eas restitutionem. Si vero fuerunt aliquo modo causa ad eas cooperans; puta, nomine et authoritate dominorum faciendo contractus usurarios; vel alios compellendo ad solvendas usuras, aut quid simile ; et tunc dico, eos teneri in solidum cum dominis restituere; adeo, ut sit hi non restituant, ipsi pro suo posse restituere debeant. Ratio est, quia tunc in usuras præstiterunt verum influxum, ex quo proinde in eis emersit onus restitutionis : ita DD. comm. Quorum aliqui nec excusant a peccato, et onere restitutionis eos, qui serviunt, post factum usurarium Contractum, ex. gr. in chartis scribendo mutuum, quod datur, vel pignora; aut solum recipiunt usuras, quas solvit mutuatarius; aut simpliciter petunt a mutuatario lucrum ; aut servant, seu numerant pecuniam in dando, vel accipiendo mutuo : ita Molina tom. 2. de Contr.

disp. 331. Navarrus cap. 17, num. 267, et alii non pauci. Oppositum tamen tenent Sotus, Sylvester, Toletus, Lessius, et alii quamplures, quos refert, ac sequitur a S. Fausto de Usur. qu. 116, eo quia isti non sunt proprie causæ efficaces, aut morales accipiendi usuras, nec aliquid activitatis influunt ad exactionem usurarum, sed solum materialiter se habent in istis actibus respectu exactionis usurariæ.

Resp. ad III. cum dist. Vel Confessarius eum non admonet inculpabiliter, aut quia novit, eum esse satis conscium hujusmodi obligationis; et tunc dico, ipsum non teneri illius loco restituere; quia in tali casu monitionis omissio non est culpabilis. Vel eum non admonet, noscens, ipsum non esse conscium dictæ obligationis, monitionemque omittit culpabiliter; et tunc dico, ipsum probabilius teneri etc., eo quia semel ac suscepit onus audiendi Confessionem, tenetur ex officio docere Pœnitentem ea, quæ spectant ad spirituale bonum, ac salutem animæ ipsius prout in casu est restitutio, cum non remittatur peccatum, ni a potente restituatur ablatum. Neque dicas, Confessarium teneri quidem erga Pœnitentem, non tamen erga damnificatum. Contra enim; cum refectio damni sit quid necessario subsequens ad restitutionem, semel ac habet onus monendi Pœnitentem quoad hanc, simul inest ei obligatio eumdem monendi, ut indemnizet damnificatum. Neque reponas, hanc obligationem Confessario inesse ex charitate, ac religione, sed non ex justitia. Contra: statim ac suscepit onus audiendi Confessionem, tenetur, ex quasi Contractu cum Pœnitente, huic rite ministrare Sacramentum, et sic etiam ex officio, et justitia, ipsum docere, et judicare, prout exigit ejus spirituale bonum; ut recte inter alios tradit de Ligorio de Pœnit. cap. 2. num. 616. Unde si omittit, ipse est causa non restitutionis; proindeque ad hanc, in defectu Pœnitentis, ipse tenetur, prout tenetur *mutus*, *non obstans*, *etc.* quamtumvis influant solum negative. Navarrus, Filliucius, et alii.

CAS. II. — Clericus fuit promotus ad sacros Ordines

titulo Patrimonii partim veri, partim fictitii. Qu. I. An incurrerit pœnam Suspensionis, adeo ut, si sic celebret, sit irregularis. Secundo, an Suspensionem incurrat ordinatus Subdiaconus titulo veri, ac integri Patrimonii, quod tamen post Ordinationem dimittit absque alio titulo. Tertio, quid dicendum de hujusmodi Clerico, si post dictam dimissio nem recipiat Diaconatum, et Sacerdotium?

Resp. ad I, affirm. si pars Patrimonii vera, modica est, multumque ei deest ad ipsi ministrandam Congruam, statutam ab ultima Diœcesana Synodo in annuo redditu 200 librarum Bononiensium; idque ipsemet Clericus sciebat, et Archiepiscopus ordinans ignorabat. Ratio, quoad pœnam Suspensionis, in primis desumitur ex Decreto præfatæ Synodi quæ *lib.* 2, *cap.* 8, § *Necessitate* inter alia hæc habet: *Prævie ad actum stipulationis, intemetur Clerico suspensio ipso facto incurrenda, si ficte et dolose se gesserit in repræsentando redditus non adæquantes taxam, in præsenti decreto constitutam.* Secundo ex. c. *Neminem*, c. *Sanctorum dist.* 70. et aliis sacris Canonibus, statuentibus pœnam Suspensionis, aliasque, suscipientibus aliquem Ordinem sacrum absque vero titulo Beneficii, vel Patrimonii: quas pœnas innovavit Concilium Tridentinum, ne Clerici cogantur mendicare, aut vile aliquod officium exercere, indecens Statui. Ratio postea quoad Irregularitatem, si celebret, hæc est, quia violans Censuram scienter, incurrit Irregularitatem cap. *Is qui* § *is vero* de sent. excom. in 6. Addidi tamen in responsione ea verba: *Si pars Patrimonii vera, modica est, multumque ei deest, etc*, primo, quia si defectus reddituum sit modicus, puta, non excedat duos, aut tres aureos, tunc non incurritur grave peccatum, neque Suspensio, ac potest Clericus ab Episcopo ordinari. Giribaldus de Sacr. Ord. cap. 4, dup. 7. Secundo, quia si quis in assignatione Patrimonii, ad ostentationem, finxerit assignare Patrimonium magis amplum, dummodo vera pars assignata sufficiat, aut solum in modico deficiat, Suspensio non incurritur. Subdidi postmodum, *idque ipsemet Clericus sciebat*, quia si id Clericus ignorabat, immunis est a Sus-

pensione, cum Synodus dicat, *si ficte*, *et dolose*, et in hac suppositione loquantur Sacri Canones, ut eruitur ex Declaratione S. Congreg. Conc. die 27 Novemb. 1710, a pluribus relata. Apposui denique ly *et Archiepiscopus ordinans ignorabat*, quia si id scivisset, et hoc non obstante Clericum ordinasset, hic in tali casu Suspensionem probabiliter non incurrisset, sed Archiepiscopus teneretur ipsum alere, vel saltem ei supplere alimenta, ut patet ex c. *Cum secundum Apostolum* de Præbend.

Resp. ad II, neg. cum Navarro, Bonacina, et aliis. Ratio est, quia Suspensionis pœna lata quidem legitur contra dolose promotos ad aliquem Ordinem Sacrum absque vero titulo; non sic vero contra eos, qui post legitimam promotionem dimittunt Patrimonium. Propterea cum odia restringi, et favores conveniat ampliari, ut ait regula juris, ideo dicendum est, Suspensionem in hoc casu non incurri a Subdiacono, ut pluries declaravit S. Congr. Conc. et signanter die 6 Maii 1638, hisce verbis, relatis a SS. D. N. Benedicto Papa XIV, in notif. 28, edit. lat. num. 28.: *Sacra Congregatio censuit, eum, qui de facto alienavit Patrimonium, ad cujus titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione quod ad illius titulum promotus fuisset, in Censuras non incidisse, sed alienationem factam esse ipso jure nullam.* Peccat ergo, et ob hoc puniendus est a suo Prælato, qui sic Patrimonium dimittit; Suspensionem tamen non incurrit.

Resp. ad III, esse dicendum cum Stephano Quaranta, quem citat, ac sequitur Rosignolus de Ordin., in Comm. quæst. 3, art. 25, num II, neque eo tunc incurrere Suspensionem, quidquid in contrarium sentiant Bonacina tom. 3, disp. 3, quæst. I, punct. 8, num., 4, Pignatellus tom. 5, consult. 77, num. 17. Ratio est, quia non est verum, ut hi supponunt, quod Clericus in tali casu suscipiat sacros Ordines sine titulo; cum enim Tridentinum sess. 21, de Reform. cap. 2, omnino irritet, ac annulet dimissionem Patrimonii, per semetipsum factam a Clerico, hujusmodi dimissio non subsistit, sed Patrimonium adhuc spectat ad Clericum, qui proinde

non recipit Diaconatum, et Sacerdotium absque titulo. Vide Rosignolum ibid.

CAS. III. — Promisit Cajus, se dono daturum cuidam Ecclesiæ determinatæ pulchram Planetam; ast quia audit, aliam Ecclesiam eadem magis indigere, huic eam donat. Qu. An licite?

Resp. cum dist. Vel prior Ecclesia, seu qui illi præest, Caji promissionem jam acceptavit; et tunc dico, Cajum illicite donare Planetam alteri Ecclesiæ. Ratio est, quia promissio acceptata evasit debitum in promittente, qui propterea sine consensu promissarii nequit intentionem mutare, ac alteri tradere rem promissam. Vel hujusmodi promissionem nondum acceptavit; et in tali casu dico, Cajum licite donare Planetam alteri Ecclesiæ, attenta præsertim majori hujus indigentia. Ratio est, quia ante acceptationem prior Ecclesia nullum jus, aut actionem habet, et sic promissor potest pro libito intentionem mutare, ac Planetam alteri dare magis indigenti. Quod a fortiori valet, si promissio a Cajo facta fuisset per modum voti, hoc est, principaliter propter Deum; siquidem vovens, antequam promissarius rem promissam; seu promissionem acceptet, potest votum suum propria auctoritate in melius commutare; quamvis non sic posita acceptatione. Ita Bartholomæus a S. Fausto de Donat. quæst. 125.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Emit Titius Censum, constitutum in re jam aliis vinculis obstricta. Qu. An valeat exigere pensiones?

Resp. cum dist. Vel hujusmodi res, non obstantibus hisce vinculis, erat adhuc apta sustinere talem Censum; vel non. Si erat adhuc apta, dico cum Bonacina de Contract. disp. 3, qu. 4, punct. un. num. 9, quod si in fundatione talis Census intervenit consensus præcedentium Creditorum, potest Titius exigere pensiones. Ratio est, quia in hoc casu nihil obstat tali exactioni, cum Census sit verus ac realis, et Titius, ratione emptionis ejusdem,

jus habeat ad pensiones. Si postea non erat amplius apta, videndum est, an Titius ullam haberet cognitionem talis ineptitudinis; si enim omnino tunc ignorabat, dico, ipsum posse exigere pensiones pro eo tempore, quo in ipso duravit talis ignorantia, quia ignorans ignorantia probabili, non tenetur de damno, cap. 2, de Constit., sed e contrario venditor celans vitia rei venditæ, tenetur emptori ad interesse, l. *Julianus* ff, de Action. Empt. Si vero aliquam notitiam ejusdem habebat, tunc dico, pensiones ab eo exigi non posse, quia Census ab eo emptus non subsistit, et per consequens neque ei fructificat; et si pro eo aliquid accipit, evincitur illud accipere ratione Mutui; propterea nedum est obnoxius restitutioni; sed etiam punitur in foro fori pœnis usurariorum. Navarrus Comment. de Usur. num.119. Molina disp. 391.

CAS. II — Prædium Ecclesiæ, eo quod esset sterile, datum fuit in emphyteusim; nunc opera, et industria emphyteutæ factum est fertile. Qu. An finita prima emphyteusi, possit iterum dari?

Resp. cum Giribaldo de Emphyt. dub. 2, num. 9, posse iterum dari, et quidem absque nova juris solemnitate, si agatur de prædio solito dari in emphyteusim, dummodo nondum sit incorporatum, ac factum de Mensa; item emphyteusis sit cum evidendi Ecclesiæ utilitate, ac serventur conditiones primi Contractus; tunc enim non est nova alienatio, sed primæ continuatio. Dixi, *si agatur de prædio solito dari in emphyteusim;* nam secus iterum dari non potest absque nova causa legitima (cum prima cessaverit) et absque debitis juris solemnitatibus. Hinc in ultima Diœcesana Synodo lib. 3, cap. 10, prohibentur Beneficiati ab innovanda emphyteusi bonorum.

CAS. III. — Noscit Confessarius, Pœnitentem esse sufficienter dispositum; at simul judicat, dilationem Absolutionis eidem profuturum ad uberiorem emendationem, ac majorem firmitatem propositi. Qu. An licite possit eidem Absolutionem differre?

Resp. cum dist. Vel ipsemet Pœnitens, leniter moni-

tus de uberiori hoc suo spirituali profectu, consentit in talem dilationem absolutionis, et tunc dico cum communi, Confessarium ipsi licite eamdem differre, eo quia in tali casu Confessarius nullam ex una parte eidem irrogat injuriam: cum volenti, et consentienti nulla fiat injuria: ex alia sic magis consulit ejus bono spirituali, applicando spirituali ejusdem morbo efficaciorem medicinam. Vel Pœnitens, non obstante tali monitione, est invitus quoad hujusmodi dilationem; et tunc dico, juxta Sancium in Select. disp. 9, num 6, non posse Confessarium ei licite differre Absolutionem, quia Pœnitens, expositis peccatis, jus habet ad Absolutionem, quando sufficienter constat de ipsius dispositione; tunc namque Confessarius ex justitia tenetur hanc ei impertiri; proindeque absque illius injuria nequit eidem invito eamdem differre. Neque dicas cum Card. de Lugo de Pœnit. disp. 14, num. 169. Puteobonello eod. Tract. quæst. 2, art. 4, § 6. Giribaldo ibidem cap. 10, dub. 4, num. 39. Pœnitentem habere quidem jus ad absolutionem, sed non ad eam statim obtinendam: et Confessarium tanquam medicum spiritualem jus habere adhibendi omnia media, quæ possunt pœnitentem præservare a peccatis, ut constat ex iis verbis Concilii Lateranensis Cap. *Omnis utriusque sexus*: *Prudenter intelligat* (videlicet Confessarius) *quale debeat ei* (nempe Pœnitenti) *præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, experimentis utendo ad salvandum ægrotum:* et sic posse in casu adhibere Absolutionis dilationem. Contra enim: semel ac Pœnitens est, atque cognoscitur a Confessario sufficienter dispositus de præsenti, simul etiam jus habet ad Absolutionem de præsenti; ut quid enim eum relinqueret in periculo æternæ mortis, cum actu interveniunt necessariæ dispositiones, ut ab hoc periculo eripiatur? præcipue cum ipsummet Sacramentum auxilia conferat ad non relabendum. Nec oppositum evincitur ex allatis verbis Concilii Lateranensis; nam ea valent quando Pœnitens nondum cognoscitur sufficienter dispositus; vel indicant, Confessarium, etiam eo tunc, debere Pœnitenti præbere sana consilia, ac efficacia remedia ei assignare, diversis experimentis utendo ad eum salvandum,

hoc est, illi imponendo pœnitentias salutares, ac medicinales cum obligando, ex. gr. ut infra tantum temporis se denuo præsentet, ad sumendum experimentum, an in proposito persistat, exequatur media assignata, etc. et sic salvetur. Non dicunt tamen quod non absolvatur, quantumvis sit sufficienter dispositus.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Parochus, habens domum parochialem satis amplam, ejusdem partem, per cujus ingressum unice patet interior aditus in Ecclesiam, locavit Laico, qui foris cum Clerico rixatus, hunc vulneravit vulnere non lethali, ac statim se in prædicti ingressus cubiculum recipit. Qu. An per Judicem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum, ob hujusmodi crimen, inde extrahi possit?

Resp. neg. Talis enim locus gaudet immunitate, cujus legibus subest tum Judex Ecclesiasticus, cum laicus; ut passim monent DD. Nec crimen in casu a Laico perpetratum est de exceptis; ut legenti singulas Bullas, hactenus super ista materia editas, facile patebit. Propterea Sacr. Congregatio Immunitatis tum in Lauretana die 16 Aprilis 1652, cum in Perusina die 14 Maii ejusdem anni, edixit, in prima: extractum restituendum esse loco immuni: ac monendum Episcopum, ne permittat Canonicos locare Laicis ædes Canonicales; et in secunda, injungendum Episcopo, ut prohibeat ædes Canonicales in Canonia existentes locari, seu concedi Laicis ad habitandum, sub pœnis sibi bene visis, ut adnotant Pignatellus Consult. Canon. 474, num. 1. et Panimolla tom. 3, decis. 156, num. 30. Nec refert, Laicum, ob crimen commissum esse excommunicatum, ac fuisse ipsimet Ecclesiæ injuriosum ob Clerici vulnerationem; hoc enim non obstante adhuc gaudet Immunitate, ut de Communi testatur Decianius Tract. Crimin., lib. 6, cap. 26, contrariis respondens, Marius Italia, Thomas del Bene, cum aliis. Nam in primis non est casus exceptus. Deinde privilegium non est datum favore personarum, et confugientium, sed propter reverentiam loci sacri; unde hic non attenditur qualitas personæ, ac delictum

perpetratum (cum non est de exceptis,) sed loci sanctitas, et Ecclesiæ pietas, quæ in hoc magis coruscat, dum reum recipiendo compatitur humanam fragilitatem. Accedit, excommunicatum non esse exclusum ab Ecclesia materialiter sumpta, sed solum de formali, ut cum Diana, et Monacello tradit etiam Mattheuccius Offic. Cur. cap, 24. num 15, et delinquens extra corpus Ecclesiæ. esto fuerit ipsimet Ecclesiæ injuriosus ex alio capite, tamen non deliquit contra ipsammet legem Immunitatis, Ecclesiis datæ; ideoque frustra non invocat hujus legis auxilium in casu. Quod si opponas, S. Congregationem Immunitatis pluries declarasse, licite potuisse Episcopum extrahere sive Parochum e domo Parochiali, sive Canonicum e domo Canonicali, ut constat ex Decretis allatis a Mattheuccio l. c. num. 18, dico, ea emanasse cum agebatur de pura pœna ad correctionem; siquidem consultat S. Congregatio ab Episcopo Aretino hoc modo : *Si Canonicus in propria sua domo Ecclesiæ contigua cum muliere quadam in flagranti dilecto comprehensus exinde extrahi, et carceri Episcopali mandari sine præjudicio immunitatis possit die* 31 *Augusti* 1649. Respondit, *Posse ad correctionem;* ut refert etiam Pignatellus tom. I. Consult, 55, gesta enim ad correctionem non inducunt formalem extractionem prohibitam per sacros Canones, et Gregorianam, aliasque Constitutiones. Similiter in una Interamnensi *censuit Episcopum potuisse extrahere Archipresbyterum de Piedeluco a propria domo Parochiali, et carcerare ad effectum correctionis.* At quando actum fuit ad pœnas imponendas, non ad correctionem, sed secundum Canones, tunc aliter respondit eadem S. Congregatio, nimirum, extractionem fieri non posse : ut patet ex Decretis supra citatis, ac aliis ab ea editis, in Mutinen. die 18 Feb. 1551, in Ariminen. die 2 Maii 1661, et alias, ut ibid. notat Mattheuccius. Quare cum hic simus in hoc secundo casu dicendum, etc. Vide eumdem Mattheuc. cap. 24, cit.

CAS. II. — Pia Mulier, adscripta Sodalitiis Cincturatorum, Redemptionis Captivorum, aliisque, petit a Confessario : I. An ipsa gaudeat Cincturatorum Indulgen-

tiis, quando omittit recitare quinque Pater et Ave per oblivionem; aut rusticans ubi non est Ecclesia Ordinis S. Augustini, neque Confraternitas Cincturatorum, supplet visitationem Altarium in alia Ecclesia. II. An consequatur generalem Absolutionem, ac benedictionem iis quinque diebus, quibus infra annum Confratribus, ac Sororibus Redemptionis Captivorum eadem impertitur, si tunc, ob aliquod legitimum impedimentum, nequeat ipsa se conferre ad Ecclesiam, in qua datur hujusmodi Absolutio, ac Benedictio. III. An lucretur Indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosarii, si quandoque, omissa consueta meditatione Mysteriorum humanæ reparationis, horum vice meditetur aliquod novissimum, aut quid aliud pium. IV. Demum quænam Indulgentiæ sint concessæ recitantibus in die *Angelus Domini*, *etc.* seu *Regina cœli*, *etc.* tempore Paschali; ac Psalmum *De profundis* sub primam horam noctis; et an, ad lucrum Indulgentiæ, opus sit hæc recitare flexis genibus. Quid ad singula respondet Confessarius?

Resp. ad I negative quoad utramque partem; ut enim Sorores, aut Confratres Indulgentias lucrentur, debent proprias Instituti conditiones implere, ac opera injuncta; et quidem non utcumque, sed eo modo, quo injuncta sunt, ut recte ait Theodorus a Spir. Sanct. de Indulg. part. 2, art. 2, § 6. Cum ergo prædictæ Indulgentiæ fuerint concessæ Confratribus, ac Sororibus vere recitantibus quinque Pater, et Ave, et certis quibusdam diebus visitantibus Ecclesiam præfati Ordinis, nec non Altare, seu Capellam dictæ Confraternitatis; ideo si Mulier id non præstat, quantumvis ex oblivione, impotentia, vel alio legitimo impedimento, concessam respective indulgentiam non lucratur. Hinc Sacr. Congregatio Indulgentiarum penes laudatum Theodorum die 22 Februarii 1717, expresse, ac absolute declaravit, Cincturatos *Confratres non gaudere Indulgentiis*, *nisi recitent quinque Pater*, *et Ave*, *et Visitationem Altarium suppleri non posse a Confratribus in aliena Ecclesia*, *præcipue quando sunt in locis*, *in quibus non est Ecclesia Ordinis S. Augustini*, *aut non est erecta Confraternitas Cincturatorum.*

Ad II. *resp. pariter. negat.*, sive Mulier sit adscripta Confraternitati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus Confratribus dies benedictionis, et absolutionis generalis, sunt feria quarta Cinerum, feria quinta majoris Hebdomadæ, S. Catharinæ V. et M. SS. Trinitatis, et S. Agnetis secundo; sive adscripta sit Confraternitati Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis pariter Captivorum, cujus Confratribus dies benedictionis et Absolutionis generalis, sunt festum S. Antonii Abbatis, feria quarta Cinerum, festum S. Petri Nolasco, festum S. Laurentii M. ac festum S. Catharinæ V. et M. Ratio est, quia Brevia Pontificia, ad consequendam hujusmodi benedictionem, et Absolutionem generalem, utrobique expresse requirunt conventum ad Ecclesiam, ubi sit functio hujusmodi Benedictionis, et Absolutionis; ac interessentiam, seu præsentiam tali functioni: sic in recensione obligationum Confratrum, ac Sororum SS. Trinitatis Redemptionis prædictæ hæc expresse leguntur in Summario Indulgentiarum: *Quinque dies benedictionis, et absolutionis generalis (licet a culpa proprie non absolvatur, juxta declarationem fel. record. Clementis VIII), sunt feria quarta Cinerum, feria quinta majoris Hebdomadæ, etc. in quibus bona, et suffragia Religionis communicantur solis Confratribus, et Sororibus Confraternitatis, qui vere pœnitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti, genuflexi hujusmodi functioni in Ecclesiis Ordinis peragendæ interfuerint. Quia vero Confratres, et Sorores Schedulis impressis, vel manuscriptis invitari non solent, suo tempore, et debita præparatione convenire procurent, ut tot bonorum participes fiant. Clemens VIII, Constit.* 85. Similiter in Brevi Innocentii XI, incip. *Exponi nobis*, quo confirmatur Summarium Indulgentiarum Confraternitatum B. Mariæ de Mercede præfatæ Redemptionis, hæc habentur: *Die festo S. Antonii Abbatis, etc. Orationum, Jejuniorum, Missarum, aliorumque bonorum Operum, quæ in dicto Ordine fiunt, communicatione participes erunt soli Confratres, et Consorores dictæ Confraternitatis, qui vere pœnitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti,*

quam vocant Benedictionem et generalem Absolutionem (licet a culpa non fiat proprie Absolutio, ut Clemens VIII declaravit), in Ecclesiis dicti Ordinis faciendæ, non in aliis, præsentes reperiantur: quia dictus Ordo populum cum scripturis manuscriptis, vel impressis, invitare non solet, Confratres, et Consorores, eo debito tempore conveniant cum debita præparatione, ut tanti boni participes fiant. Clemens VIII, Constit. 79 *et* 85, *quæ concessio confirmata fuit, etc.* Ergo si mulier, etiam ob aliquod legitimum impedimentum, præfatis diebus nequeat se conferre ad Ecclesiam, ideoque Benedictioni, et Absolutioni generali eo tunc præsens non sit, ob adductam in superiori responsione rationem, eamdem Benedictionem, et Absolutionem minime consequitur. Quod pariter valet de Monialibus adscriptis eidem Confraternitati, ni speciale indultum Pontificium quoad hoc habeant, vel obtineant, vigore cujus, etsi Benedictioni, ac Absolutioni prædictæ non interessentes, ea perfrui valeant; prout Gregorius XIII specialiter indulsit Patribus Societatis, ut communicent in Privilegiis, per sanctam Sedem Apostolicam concessis PP. Dominicanis, Augustinianis, Franciscanis, et Carmelitis, quamvis pleraque onera hujusmodi Ordinum Mendicantium non subeant. Idem quoque valet de carceratis, vel alio impedimento detentis ne præfatæ functioni præsentes sint. Nec refert, hanc Benedictionem, et Absolutionem conferri adinstar Jubilæi, quem impediti consequi possunt, saltem postea; nam, si vere est adinstar Jubilæi, id dicitur quoad interessentes functioni, non vero quoad absentes, cum Brevia ad lucrum expresse exigant præsentiam, et ideo hanc inculcent. Hinc Moniales, Carcerati, et alii impediti, adscripti huic Confraternitati, possunt quidem lucrari alias hujusce Confraternitatis Indulgentias, si præscripta opera peragere satagant, non tamen Benedictionem, etc.

Ad III quoque respondet negative, innixus sequenti Decreto: *Cum Sac. Congregationi, Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositæ, Pater Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum supplices preces porrexe-*

rit pro declaratione dubii : An qui Sanctissimum Rosarium B. M. V. recitant omissa consueta Meditatione Mysteriorum humanæ reparationis, et illorum vice Mortem, ac cætera Novissima, vel alia pia, ac religiosa meditantur, Indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosarii lucrentur ? Sacra Congregatio die 6 Augusti 1726, *respondit : Non lucrari. Quam S. Congregationis declarationem per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatam Sanctitas Sua benigne approbavit. Datum die 13 Augusti* 1762. *L. Card. Picus Præfectus. Raphael Cosmus de Hieronymis Secretarius.*

Ad IV, et ultimum in primis respondet quoad *Angelus Domini, etc.* Benedictum XIII, *omnibus vere pœnitentibus et confessis, et sacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, seu vespere ad pulsum campanæ : Angelus Domini nunciavit Mariæ, et concepit de Spiritu Sancto : Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum : Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria flexis genibus devote recitaverint : et pro Christianorum Principum Concordia ; hæresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint ; Plenariam in uno die mensis duntaxat, per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer* concessisse. *In reliquis vero anni diebus, iisdem Christi fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta* relaxasse. *Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris, 14 Septembris* 1724. Quamquam vero præfatus Pontifex hujusmodi recitationem indiscriminatim faciendam præscribit *flexis genibus ;* nec ullam ibi fecerit mentionem de Antiphona *Regina Cœli ;* tamen Benedictus XIV, confirmatis prius supradictis Benedicti XIII. Indulgentiis, præscripto Rubricarum inhærens, jussit, orationem illam *Angelus Domini, etc.* a Vesperis cujuslibet Sabbati usque ad totam Dominicam se-

quentem a stantibus recitari : ac insuper durante Tempore Paschali (quod in Vesperis Dominicæ Sanctissimæ Trinitatis terminatur) loco supra memoratæ Orationis Antiphonam *Regina Cœli*, *etc.* cum Versiculo, et Oratione correspondente : *Deus*, *qui per Resurrectionem*, *etc.* a stantibus dicendam substitui, iisdem, eam devote dicentibus, Indulgentiis concessis : ita tamen, ut ii, qui eam Antiphonam memoriter dicere nesciverint, easdem Indulgentias acquirant supradictam Orationem *Angelus Domini*, *etc.* recitantes ; ut habetur ex Notificatione Eminentissimi Card. Guadagni Sanctissimi D. N. Urbis Vicarii Generalis, Romæ publicatæ die 20 April. 1742.

Quantum postea ad Psalmum *De profundis*, *etc.* respondet, Clementem XII, die 14 Augusti 1736. *Omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum Campanæ Psalmum De profundis, vel semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam cum versiculo Requiem æternam, etc., in suffragium animarum Christi fidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint ; quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta* relaxasse. *Insuper iisdem Christi fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per unumquemque Christi fidelem, ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino* concessisse, et elargitum fuisse. *Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* Ex quibus verbis indefinite in ipsomet Brevi expressis, nec hactenus ab ullo alio Pontifice ad ullum determinatum tempus, quoad modum recitationis, restrictis, inferes hujusmodi recitationem flexis genibus faciendam esse pro lucro Indulgentiæ.

CAS. III. — Debebat Petronius Vitali Scuta Romana

quadraginta duo, circa quæ, requisitus a Creditore promisit quamprimum solutionem : et de facto domum reversus tradidit famulo 20 Zecchinos Venetos, ut eos Vitali consignaret. Ast famulus sciens, Mercatorem quemdam pro quolibet ex his Zecchinis solvere julios viginti unum cum dimidio, ad hunc eos detulit, sibique retento hoc medio julio pro unoquoque, residuum pecuniæ conficiens scuta Romana 42, nomine sui domini, Vitali numeravit. Qu. An famulus id licite fecerit?

Resp. cum dist. Vel Petronius tradens famulo hujusmodi Zecchinos, tali traditione præcise intendit extinguere suum debitum, non curando de specie monetarum ; et in hoc casu dico, famulum, qui id a domino perceperat, licite id fecisse ; quia tunc illud plus, quod a Mercatore accepit per cambium, est fructus suæ industriæ : quemadmodum qui a domino accepit aliquam pecuniam expendendam tali valore currente, potest, tanquam fructum suæ industriæ, sibi retinere illud plus, quo ex industria illam cambit. Vel Petronius tradens famulo hujusmodi Zecchinos, non solum intendit sic extinguere suum debitum, verum etiam rem gratam facere Mercatori traditione hujusmodi monetarum, præbendo nimirum ei occasionem lucri per transmissionem speciei hujusmodi monetæ ; et tunc certo famulus id illicite fecit : non enim poterat acceptam pecuniam mutare, cum sic egerit contra intentionem domini, et contra jus, quod hoc in casu ipse Vitalis habebat ad talem qualitatem pecuniæ. Hinc si Vitalis ob id passus, aut passurus est aliquod damnum, tenetur famulus illud resarcire et compensare ; vel lucrum ex cambio perceptum ei restituere. Viva, et alii.

ANNO MDCCLVIII.

MENSE JANUARII.

CAS. I.— Vocatur Parochus ad excipiendam Confessionem vulnerati in via, cui hostes adhuc insistunt, et cavent, ne quis ad eum accedat. Qu. An teneatur accurrere cum probabili periculo suæ occisionis, vel saltem gravis vulnerationis?

Resp. cum dist. Vel intervenit prudens, ac probabilis spes, quod ipse non sit omnino impediendus, quominùs ad vulneratum accedat, et quod opportune ad hunc sit perventurus pro ope spirituali, ac Sacramentali Absolutione; vel non. Si non, dico, Parochum non teneri accurrere cum præfato periculo. Ratio est, quia obligatio accurrendi inest Parocho, quando accursus potest esse vulnerato proficuus; non vero quando frustra fieret, ac esset supervacaneus; tunc enim potius esset accursus imprudens, cum Parochus se gravi periculo exponeret, sine spe præstandi ullum vel minimum auxilium vulnerato. Si postea intervenit prudens, ac probabilis spes etc., tunc dico, Parochum teneri accurrere, etiam cum præfato periculo. Ratio est, quia ita exigit officium Pastoris; ut notant D. Joannes Chrysostomus homil. 59 in Joan., D. Augustinus pluribus in locis, D. Gregorius Magnus, ac D. Thomas : *Debemus* namque *pro fratribus animas ponere*, ut inquit D. Joan. Epist. 1, c. 3, et S. August. lib. de Mend. cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere* : quæ obligatio, si in casu necessitatis cuilibet Christiano pro modulo suo inest, eo quod vita spiritualis proximi etiam vitæ propriæ corporali est anteferenda, utpote bonum majus, ac altioris ordinis (sicuti notavimus an. 1748, ad II Octobris), a fortiori inest Parocho quoad ea ministranda, quæ sunt de necessitate salutis, prout est lapsis post Baptismum Sacramentum Pœnitentiæ; ad quod pro-

pterea vulnerato ministrandum, stante dicta spe, tenetur accurrere, etiam cum periculo gravis sui vulnerationis, vel etiam occisionis. Neque dicas, per actum Contritionis posse vulneratum salvari; ideoque Parochum non teneri præfato periculo exponere propriam vitam, in casu, accurrendo. Contra enim: non inficior, absolute loquendo, posse vulneratum salvari per actum veræ Contritionis. Ast hoc opus, hic labor est; quod hic vere eliciatur a vulnerato in eo concursu invasionis hostium, fervescentiæ passionis, diminutionis spirituum ob recepta vulnera, turbationis mentis, etc. Hujusmodi actus profecto, in hisce circumstantiis, non est adeo facilis nec certo adfuturus; proindeque si ipse Parochus non accurrit ad ministrandum vulnerato Pœnitentiæ Sacramentum, eique spiritualem ferendam opem, ipsum relinquit in periculo æternæ damnationis; quod plane est contra officium Pastoris. Hinc sicuti quamvis tempore pestis Parochus incurrat periculum mortis, infectis ministrando Baptismi, aut Pœnitentiæ Sacramenta, tamen si alius non adsit, qui ea ministret, ipse tenetur ea, *in re*, infectis ministrare, quamvis adultus, nondum regeneratus per Baptismum, præmisso actu doloris, possit salvari cum Baptismo in voto; et lapsus post Baptismum pariter possit salvari per actum Contritionis; ita in casu, non obstante dicto periculo, tenetur Parochus accurrere ad opem ferendam vulnerato, eique ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum, quamvis absolute loquendo hic possit salvari per actum Contritionis; cum iste in casu æque jus habeat, et indigentiam, ut ipsi impendatur officium Pastoris, ac habeant infecti tempore pestis, quibus, non obstante periculo vitæ, tenetur Parochus, vel per se, vel per alium, tale officium impendere; ut declaravit Gregorius XIII, die 10 Septemb. 1576, confirmando quoad hoc Sacræ Congregationis Decretum, relatum ab æterna memoria digno Benedicto Papa XIV, de Syn. Diœc. lib. 13, cap. 19, n. 6.

CAS. II. — Pœnitens bona fide confessa est penes Confessarium complicem, qui inadvertenter illam absol-

vit. Qu. An valida sit Absolutio; et quid in praxi servandum?

Resp. Quantum spectat ad valorem Absolutionis, saltem directe hanc esse invalidam, supposito quod agatur de gravi peccato turpi et inhonesto contra 6. Præc. Decal. alteri nondum confesso... Ratio est, quia laudatus Pontifex Benedictus XIV, in Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, sustulit ipso jure cuilibet Sacerdoti, extra casum necessitatis, quamcumque auctoritatem, et jurisdictionem ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; irritamque declaravit, ac omnino nullam Absolutionem ab eadem a Confessario complice impertitam. Ergo sicuti Absolutio ab aliquo casu reservato, inadvertenter data a simplici Confessario Pœnitenti, bona fide confesso penes ipsum, directe valida non est quoad hujusmodi Casum, eo quia Confessarius quoad hunc non habebat jurisdictionem; ita nec in casu nostro directe valida est Absolutio a Confessario complice inadvertenter data Pœnitenti quoad tale peccatum, eo quia quoad hoc facultatem non habebat, nec jurisdictionem. Neque dicas, laudatum Pontificem absolvendi facultate privasse Confessarios complices, absolventes scienter et advertenter, cum dicat : *Interdicimus, et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis... Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat;* ubi ly *audeat* scientiam connotat, præsumptionem, non vero ignorantiam, et inadvertentiam, ut in casu; in quo proinde Absolutio valida dici debet, maxime ob interventum erroris communis cum titulo colorato : Ne dicas, inquam; nam quamvis Pontifex revera in Constitutione apponat ly *audeat*, ausum tamen non requirit, ut Confessarius complex sit incapax valide absolvendi; etenim Pontifex protestatur, se ab illo auferre potestatem, eademque illum privare ipso jure per ipsammet Constitutionem; ait enim, *quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus*; sed requirit ausum, ut ab ipso incurratur pœna Excommunicationis Summo Pontifici re-

servatæ; prout clarius colligitur ex verbis immediate subsequentibus, quæ sunt hæc: *Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit* (hoc est, absolvere) *majoris quoque Excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, nostrisque Successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat.* Propterea licet Confessarius, de quo est sermo, inadvertenter absolverit Pœnitentem, hoc non obstante, Absolutio ab eo impertita directe nulla est in ordine ad turpe peccatum, cujus ipse Confessarius erat complex; et inadvertentia in hoc absolvendo eum tantum excusat ab incursu in Excommunicationem, cum pro hac incurrenda revera requiratur ausus. Ad id postea, quod subditur, circa errorem communem, et titulum coloratum, dico, neutrum in casu intervenisse. Non titulum, quia cum Confessarius, saltem post prædictam Constitutionem, nunquam fuerit approbatus, nec habuerit jurisdictionem pro absolvenda complice, seu socia criminis, nullum titulum coloratum allegare potest, vi cujus etc. imo si erat complex in copula, etiam ante Præfatam Constitutionem, non poterat valide eam absolvere; nam ultima Bononiensis Diœcesana Synodus lib. 2, cap. 5. § *Lethali*, sic jamdiu statuerat: *Lethalis criminis socias in opere carnali infra explicando, seu facti participes cum ipso Confessario, innovato Decreto Prædecessorum nostrorum et insistendo septimo Concilio Provinciali Mediolanensi, ab eodem Socio, seu Participe criminis, absolvi prohibemus; adeo ut sit omnis penitus ablata facultas, et approbatio ab eodem Sacerdote complice, aut socio, pro criminibus in opere carnali in quibus fuit socius, aut particeps.* Neque intervenit error communis: cum enim post promulgationem Bullæ sit communiter notum, esse universaliter prohibitum, quod Confessarius socium criminis absolvat, hinc eruitur præsumptio, quod in casu intervenerit error particularis Pœnitentis, non vero error communis. Ergo neque ex hoc capite directe valida in casu dici potest Absolutio Pœnitentis. Denique ut Sacerdos (stante etiam errore communi cum titulo colorato) Pœnitentem valide absolvat, requiritur, quod Ecclesia in tali casu vel det, vel

suppleat jurisdictionem ob bonum commune; atqui simul ac ipsemet Romanus Pontifex adeo clare, ac generaliter ademit Confessario potestatem absolvendi complicem in peccato turpi, ejusdemque Constitutio fuit ad omnes Christiani orbis Ecclesias transmissa, ut observetur, præsumi nequit rationabiliter, quod Ecclesia det, aut suppleat jurisdictionem in Confessario, complicem absolvente a tali peccato; sic enim, quod Pontifex ædificat, Ecclesia destrueret. Ergo dicendum est, potius in casu Ecclesiam neque dare, neque supplere jurisdictionem; ideoque dictam Absolutionem a peccato turpi, et inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, datam Pœnitenti a Confessario complice, directe esse invalidam. Ex his facile colligitur, quid servandum in praxi, nempe, Confessarium in casu (si ipse errorem animadvertit, ac secluso periculo ab utroque, id facere possit) petere debere licentiam a Pœnitente loquendi de auditis in facta Confessione; eaque obtenta, ipsi suadere, ut renovet illam Confessionem penes alium Confessarium non complicem; vel (si directe ab aliis peccatis rite fuit absoluta, et indirecte ab illo) ut hoc denuo confiteatur penes alium, ad hoc, ut sic etiam ab illo directe absolvatur; prout fieri solet, cum Confessarius simplex inadvertenter absolvit aliquem ab aliquo reservato. Quod pariter suadebit alter Confessarius ipsimet Pœnitenti, casu quo ipsa eidem factum detegat.

CAS. III. — Qu. secundo, an nomine peccati turpis, ac inhonesti, a quo Complex nequit absolvi, veniat etiam turpiloquium?

Resp. affirmare, tamquam certum, P. Alphonsum de Ligorio lib. 6, tr, 4, c. 2, dub. 2, num. 554, si agatur de turpiloquio gravi, et mortaliter peccaminoso: quod ait etiam sentire plures viros doctos, super hoc ab eo consultos. Et quamvis pro sua assertione nullam ibi auctoritatem, vel rationem asserat, ipsi nihilominus favere videtur auctoritas Glossæ in l. *Quod ait lex v. in ipsis rebus ff. ad leg. Jul. de Adult. etc.* ubi hæc habet: *Sunt enim res Veneris* (ideoque turpes) *antecedentia*

ipsum scelus colloquia . . . basia, tactus; nam ab ipsis argumentum sceleris inducitur, ut in Topicis Marci Tullii. Unde versus : Visus, et alloquium, tactus, post oscula, factum. Idque præsefert ipsummet nomen turpiloquii, cum hoc solum discrimine, quod turpiloquium est quid turpe, ac inhonestum in locutione; cæteri vero actus externi, peccaminosi contra sextum, sunt quid tale in facto. Hinc, cum laudatus Pontifex, adimens Confessario complici facultatem absolvendi socium a peccato turpi, et inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, loquatur indefinite, ac generaliter, quantum ad hujusmodi peccatum; indefinite, ac generaliter intelligendus est, de quocumque gravi peccato turpi, ac inhonesto contra tale præceptum; et sic etiam de turpiloquio mortaliter peccaminoso; alias aperiretur via interpretationi Bullæ quoad mera peccata turpiora, et graviora : quod contrariatur fini, menti, ac verbis Legislatoris, adimentis Confessario complici facultatem absolvendi socium, vel sociam, absolute ac simpliciter a peccato turpi, inhonesto contra sextum. His tamen non obstantibus, nomine peccati turpis, ac inhonesti, a quo complex nequit absolvi, non venire simplex turpiloquium, quamtumvis grave, probabilius censeo cum P. Eusebio Amort, aliisque. Ratio est, quia verba legis, quando de mente, ac intentione Legislatoris aliter non constat, accipi, ac intelligi debent juxta communem sensum, ac intelligentiam; nam secus in humano commercio nimia, et continua esset confusio, qua re fere nihil absurdius. Jam vero neque ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, neque ex ejus Declaratoria *Apostolici muneris*, neque alibi constat, Benedictum XIV, per peccatum turpe ac inhonestum intendisse, et intellexisse etiam turpiloquium, cum de hoc ne verbum quidem alicubi fecerit. Ex alia parte per peccatum turpe, ac inhonestum, juxta communem sensum, et intelligentiam, quid plus intelligitur, quam turpiloquium; si enim quis referat, Franciscum ex. cau. accusatum fuisse peccati turpis, ac inhonesti, seu turpe, ac inhonestum peccatum perpetrasse, statim certe quid plus audientium menti occurrit fuisse ab eo factum, quam obscœnum colloquium. Ergo hoc proprie

non est peccatum turpe, ac inhonestum, de quo in Bulla; sed est quid diversum, prout de facto ipsum diversificant D. Thomas, D. Antoninus, imo et Apostolus ad Ephes. 5, dicens: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas;* super quæ verba, hæc scribit D. Thomas in cap. 5, ejusdem Epistolæ: *Omnis immunditia, id est pollutio, aut turpitudo* (nota bene) *quæ est in tactibus turpibus, et amplexibus, et osculis libidinosis. Item stultiloquium, id est, verba provocantia ad malum, et scurrilitatem, id est, verbum joculatorium,* puta cum oblectatione, vel provocans ad delectationem morosam circa libidinosa; *et hæc omnia sunt mortalia, in quantum ordinantur* ex sua natura, vel ex circumstantia, *ad mortalia peccata.* Et D. Antoninus part. 2, tit. 5 cap. 1, § 9, inquit: *Sextus gradus luxuriæ est libidinosa contrectatio, quæ scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitudinem, cum ait: Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo non nominetur in vobis. Ubi Glossa: Turpitudo, ut in osculis, amplexibus, et hujusmodi: omnia talia sunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra Matrimonium. Unde Apostolus subdit: Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei. Non autem resumit de turpitudine, stultiloquio, scurrilitate, quia sub illis, scilicet, fornicatione, et immunditia, includuntur; in tantum enim sunt peccata amplexus, oscula, tactus, et stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione; et immunditia, notantur secundum S. Thomam.* Accedit, quod ubi Pontifices voluerunt includere turpiloquium, de illo expressam mentionem fecerunt, ut patet ex statutis contra Confessarios sollicitantes, si hi cum Pœnitentibus etiam præcise *illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint.* Ergo a contrario; cum ubi egerunt de Confessario complice quoad absolutionem socii, vel sociæ in peccato turpi, et inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, quoad turpiloquium nihil expresserint, hinc conjicere fas est, hoc

non intendisse comprehendere sub hujusmodi peccato turpi, ac inhonesto; et sic nomine istius non venire turpiloquium. Nec oppositum evincunt allata in favorem opinionis contrariæ: quod enim attinet ad Glossam, ejusdem præfata expositio solummodo exprimit, turpiloquium esse dispositionem ad carnale commercium, sicque esse rem Veneris, quatenus tali commercio, aut immunditiæ subordinatur. At inde non colligitur, ipsum, in se consideratum præcisive ab omni alio actu externo peccaminoso, venire nomine peccati turpis ac inhonesti, de quo est sermo. Idem dico quantumvis sit quid turpe ac inhonestum in locutione; nam ex quo in se simpliciter consideratum, sit quid mere turpe ac inhonestum in locutione tantum, potius infero, non esse peccatum actus turpis externi, cujus grandior idea in communi sensu, et intelligentia excitatur ad nominationem peccati turpis et inhonesti; proindeque non comprehendi in præfatis Constitutionibus. Neque per hoc aperitur via huic interpretationi quoad peccata mere turpiora, et graviora; cum enim ultra hæc dentur alii actus externi præseferentes non modicam turpitudinem practicam, ad inhonestatem exercitam, de his quoque accipiendo, ac intelligendo ly *peccatum turpe, ac inhonestum contra sextum*, tum mens Pontificis, cum finis Constitutionum ejusdem, satis attingi videntur, etiamsi non includatur turpiloquium.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Titius creditor cujusdam Sacerdotis, ipsi injungit, ut tot Missas pro se celebret. Moritur Titius, antequam Missæ celebrentur, et invenitur, ipsum multo ære alieno esse gravatum; quod totum dissolvere ejus hæredes non possunt. Qu. An Sacerdos possit adhuc Missas celebrare; an vero teneatur debitum suum hæredibus solvere?

Resp. cum distinct. Vel quando Titius eidem injunxit celebrationem Missarum, hoc non obstante, adhuc poterat adæquate satisfacere omnibus suis Creditoribus:

Vel jam erat impotens, seu impotens evadebat ob talem injunctionem. Si primum; dico, Sacerdotem adhuc posse Missas celebrare; eo quia, cum supponatur, quod creditum Titii cum Sacerdote alteri non esset specialiter obligatum, poterat Titius de eo pro libito disponere, absque læsione jurium Creditorum: potentia namque his aliunde satisfaciendi adæquate, in ipsum refundebat libertatem disponendi de tali Credito, prout ipsi libebat. Hinc sicuti si Titius tunc Sacerdoti liberaliter condonasset, absque ullo onere, totum, quod ipsi debebat, non teneretur Sacerdos, in casu, quidquam ejus hæredibus solvere, eo quia id, quod Titio debebat, opportune a Domino ipsi fuisset condonatum; ita nec aliquid tenetur in casu solvere Titii hæredibus, quia per injunctionem tot Missarum, obligatio solvendi pecuniam debitam opportune conversa fuit in obligationem celebrandi pro Titio tot Missas, quæ proinde sola Sacerdoti remansit: qui propterea nil debet hæredibus Titii. Si secundum, subdistinguo: Vel Sacerdos erat conscius hujusce impotentiæ Titii; vel non. Si erat conscius, dico, ipsum teneri debitum suum, hoc est, a se prius contractum, hæredibus solvere. Ratio est, quia stante in ipso hujusmodi scientia, in utroque foro evincitur, ipsum influxisse, et cooperatum fuisse alienationi talis Crediti, in fraudem Creditorum; toties namque quis dicitur cooperari alienationi rei in fraudem Creditorum, quoties ex ejus alienatione cognoscitur, vel etiam deberet cognosci, ipsum alienantem reddi impotentem ad Creditoribus satisfaciendum, et hoc non obstante, in id præstatur consensus, et opera. Instit. quibus manumitt. non licet § in fraudem; l. 1, et seq. per tot. tit. Cod. et ff. quæ in fraud. Creditor Heislinger de Contr. part. 2, cas. 3, § 2, num. 7, de Ligorio lib. 3, tract. 5, cap. 3, dub 2, num. 722. Atqui hoc totum verificatur de Sacerdote, simul ac erat conscius, etc. et consensit in illam conversionem debiti: siquidem suo consensu in illam suaque acceptatione ejusdem illam complevit. Ergo in hoc casu Sacerdos tenetur debitum solvere hæredibus Titii juxta illud Gregorii IX, cap. fin. de Injur. in gen. *Si culpa tua damnum est datum, vel injuria irrogata, seu aliis*

irrogantibus opem ferre tulisti : jure super his satisfacere te oportet. Si postea Sacerdos non erat conscius dictæ impotentiæ; tunc dico, attento jure positivo, ipsum adhuc posse Missas celebrare, tum quia *in l. Quod autem ff. quæ in fraud. Cred.* habetur : *Si quid in fraudem Creditorum factum sit, tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba Edicti ;* tum etiam quia Titius eo tunc erat Dominus illius Crediti, cum non subesset speciali hypothecæ etc. sicque valide poterat illud convertere in onus Missarum. Molina, Lessius, aliique satis comm. propterea dicentes, Sacerdotem, qui in casu adhuc velit Missas celebrare, neque peccare contra charitatem, eo quod Sacerdos in hoc casu non fuit in culpa; et charitas non obligat repudiare proprium commodum ad servandos Creditores indemnes. Censeo nihilominus, quod si Sacerdos non patiatur in casu positivum incommodum in solvendo debito hæredibus Titii, nec ei difficile sit, invenire eleemosynas Missarum consimiles, ad id teneatur ex quodam naturali jure, juxta illam regulam : Quod tibi non nocet, ac alteri prodest, faciendum est. Præcipue cum pie ac prudenter præsumi possit, ideo onus pecuniarium in illud Missarum a Titio fuisse conversum, quia putabat, hæreditatem solvendo satis futuram : et quod si oppositum scivisset, in hujusmodi conversionem non consensisset : quamobrem cessat Legatum etiam pium de re aliena, quam Testator putabat esse suam, ut recte tradit Giribald. de Contr. cap. 15, dub. 15, num. 153.

CAS. II. — Audit Capellanus Confessionem infirmi, et illum invenit indispositum ad absolutionem, sacramque Communionem recipiendam ; interrogatur deinde a Parocho, an possit infirmum communicare. Qu. Quid respondere debeat?

Resp. Si Capellano, in casu, suppetit aliquod subterfugium, cæteroquin verum, ac sufficiens ad differendam delationem Eucharistiæ; puta, si morbus talis non sit, ut urgeat præceptum sumendi tale Sacramentum, aut si infirmus patiatur revolutionem stomachi, facile rejicientis cibum, quem sumit; vel etc. debet hoc subterfugio

ipse uti in danda Parocho responsione, ut sic differat Communionem; hoc enim modo tum directe cum indirecte Sacramentale sigillum servatur illæsum, et sacrilegæ obviatur Eucharistiæ sumptioni. Si vero nullum ei suppetat subterfugium, ac infirmi morbus semper magis ingravescat cum periculo, quod is absque Sacramentis decebat, si ea die hæc ipsi non ministrentur; tunc dico, Capellanum debere Parocho respondere, ipsum utique posse infirmum communicare, si idem infirmus velit; hunc tamen ipsi non dixisse, quod velit. Verissimum enim est quod si infirmus vult sic communicari, ideoque Communionem publice petat, jus habet, ut ei publice ministretur, cum sit peccator mere occultus, uti supponitur: et superaddendo infirmum ipsi non dixisse, quod velit communicari, relinquit rem in suspenso, adeo ut nullo modo cooperetur Communioni sacrilegæ. Quod si Parochus Capellano reponat, ut denuo se conferat ad infirmum, et ipsum interroget, an velit communicari; tunc Capellanus infirmum denuo conveniat, et cum omni lenitate, et affabilitate illi exponat petitionem Parochi, eidem charitative simul manifestando periculum mortis, cui subest; urgentiam implorandi divinam opem, ac misericordiam; ac providendi animæ suæ omni meliori modo quo potest. Et si infirmus a semetipso introducat sermonem de Confessione, in qua Capellanus ipsum dimisit inabsolutum, tunc, quia id æquivalet expressæ licentiæ loquendi de iis, quæ Capellanus in ea audivit, potest idem Capellanus libere ipsi exponere causam, nempe indispositionem ipsius, subdendo, quod si ipse promptus est ad removendum hunc obicem ex conscientia bona, et animo volenti, etiam ipse promptus est ad eum tunc Deo reconciliandum per Absolutionem, dummodo ex vero corde doleat de commissis, cum proposito non peccandi de cætero, ac satisfaciendi ut poterit. Et si Pœnitens hisce convictus ad hæc omnia se promptum exhibeat, ipsum adjuvet, quantum potest, tum in peccatorum Confessione, cum in excitando vero dolore, ac proposito; et postea eum absolvat: datisque ei monitis, quibus pie ac religiose se ad Communionem disponat, redeat ad Parochum, ut hic ipsum Sacro Via-

tico muniat. Quod si contumax, ac induratus persistat, proximum, ac tremendum Dei judicium, cum æternis Inferni pœnis, considerationi objiciat; et si hoc nihil prosit, subdat, quam responsionem Parocho ipse referre debeat; et, prout responderit, referat, ac fiat Deo interim illum commendando, ut qui novit de lapidibus suscitare filios Abrahæ, ipsum illuminet, ac convertat.

CAS. III. — Cajus, ut se a calumnia liberet, occultum calumniatoris crimen manifestat. Qu. An licite?

Resp. affirm. Dummodo sit medium efficax, vel saltem utile ad intentum, absolute necessarium, adeoque non suppetat alia via evadendi calumniam; idque fiat cum moderatione, hoc est, quantum sufficit ad calumniam evadendam, et cum minori proximi damno quantum fieri potest; ac denique id non fiat ex vindicta, odio, vel alio pravo animo, sed unice ad se liberandum a calumnia. Ratio est, quia non omnis manifestatio occulti criminis Proximi est læsiva justitiæ, aut charitatis, adeoque illicita; sed ea tantum, quæ vel fit sine justa causa, vel ad finem infamandi Proximum, vel cum defectu alicujus ex alios conditionibus, quas in responsione exposuimus; ut est communis sensus Doctorum. Ergo Cajus occultum calumniatoris crimen sic manifestans, licite illud manifestat. Hinc D. Thomas 2. 2 quæst. 73, art. 2, in C. inquit: *Si verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Nec valet paritas desumpta ex damnatione facta ab Innocentio XI, illius propositionis 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Disparitas enim ex eo elucet, quod alteri imponere falsum crimen, uti supponitur, grave est mentiri, ac falsum dicere in materia gravi; quod, ut patet, mortale est; cumque sit malum ab intrinseco, in nulla circumstantia potest esse licitum. E contra dum Cajus in nostro casu manifestat

occultum calumniatoris crimen, supponitur manifestare crimen verum : quæ manifestatio, si fiat cum prænarratis conditionibus, tantum abest, quod sit illicita, ut possit evenire casus, in quo fieri debeat, puta, si necessaria sit ad se liberandum a calumnia, quæ etiam vergit in damnum alterius, in scandalum etc. circa quod vide Giribaldum de Just. et Jur. cap. 3, dub. 6, num. 100.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Pœnitens, solita frequenter accedere ad Sacramenta, exponit Confessario peccatum ante tres annos commissum, nunquam tamen præ rubore confessum. Qu. Quomodo Confessarius procedere debeat cum hac Pœnitente, ut rite confiteatur ?

Resp. cum distinct. Vel Confessarius, cui Pœnitens confitetur, est ille idem, cui factæ sunt dictæ Confessiones nullæ, ac adhuc recordatur saltem in confuso eorum, quæ Pœnitens in iis exposuit : Vel est alius; aut si idem est, neque in confuso amplius recordatur etc. Si primum : debet Confessarius illico curare, ut Pœnitens exponat peccatum reticitum, ne dæmonis tentatione delusa aut erubescentia iterum victa, sumat aliquod subterfugium ac denuo peccatum reticeat, vel integre non manifestet. Deinde debet ipsam interrogare, an, quoties confessa est, semper adverterit se male confiteri, et cum eadem mala fide semper accesserit ad Eucharistiam ; fieri enim potest, quod quandoque mala fides in ipsa cessaverit, sive in confitendo, sive in communicando ; vel saltem quod aliquando non sumpserit Eucharistiam, quantumvis confessa ; et sic quod minora sacrilegia intervenerint, et etiam quod aliqua Confessio, et Communio non fuerit sacrilega, sed valida ; atque ideo, si non præcepto Communionis Paschalis, saltem præcepto annuæ Confessionis satisfecerit. Habita responsione quoad hæc omnia, colligat Confessarius circumcirca quot fuerint sacrilegia, ac transgressiones dictorum præceptorum Ecclesiæ, eaque omnia Pœnitenti manifestet, ut de iis se accuset, nec non de commissis ab ultima Confessione, ac simul in generali de

quibuscumque peccatis toto illo tempore ab eadem Pœnitente ipsi invalide confessis ; curetque, ut eliciat verum, supernaturalem, ac universalem dolorem de tot iniquitatibus a se commissis, cum proposito non peccandi de cætero : et, si nihil obstet, imposita ei congrua pœnitentia, ipsam absolvat. Si secundum ; opus est ulterius ipsam interrogare, quoties circumcirca ipsa solita fuerit confiteri, ac communicare intra annum, aut mensem ; insuper ipsam monere de necessitate repetendi singula mortalia toto illo tempore male confessa, quoad speciem, ac debitas circumstantias, ad quæ omnia si illam paratam non invenit, satis erit illi assignare tempus congruum pro examine : ni forte melius judicet Confessarius, diligens a semetipso illi examen facere, ob ruditatem personæ. Si vero ad hoc Pœnitens jam parata sit, atque disposita, renovationem Confessionum patienter excipiat, supplendo, ubi opus sit, necessariis interrogationibus : collectoque ex responsionibus ad supra indicatas interrogationes numero Sacrilegiorum etc. de quibus ipsa se pariter accusare debet, non minus ac de peccato reticito, si nihil obstat, quominus eam absolvat, excitato in ea vero actu doloris cum proposito etc. imponat illi pœnitentiam, et ipsam absolvat. Vide Suarez de Pœnit. disp. 33, sect. 6, et Bonacinam de Sacram. quæst. 5. sect. 2, punct. 3, num. 16.

CAS. II. — Certo constat Pœnitenti, Confessarium, ex falsa apprehensione, fundata in natura scrupulosa ejusdem Pœnitentis, veniale putasse in anteacta Confessione quoddam vere mortale. Qu. An teneatur de illo iterum confiteri ; etiamsi prima vice illud exposuerit cum omnibus necessariis circumstantiis ?

Resp. negat. Ratio est, quia, ut recte tradit Giribaldus cum aliis communiter, ad valorem Confessionis non est necesse, quod Confessarius, aut Pœnitens determinate sciat, peccatum confessum esse mortale (siquidem in omnibus id scire est impossibile, sed requiritur, ac sufficit, quod materia exposita sit revera peccatum, et quod hoc sit expositum, ac notificatum Sacerdoti, prout factum est, atque adeo secundum suum esse, ac debitas

circumstantias. Atqui hoc totum verificatur in casu, quantumvis Confessarius ex dicta falsa apprehensione illud in Confessione veniale putaverit, quando erat vere mortale ; nam semper verificatur, quod sic expositum fuerit peccatum, et quod hoc fuerit expositum secundum suum esse, ac necessarias, seu debitas circumstantias; ergo non tenetur Pœnitens de illo iterum confiteri, cum in Confessione facta jam plene fuerit detectum, nec occurrat nova circumstantia explicanda. Sanchez l. 1, mor. c. 10, n. 69.

CAS. III. Concionator ruralis noscens, quod Pœnitentes sæpius deficiant in examine, omnes ad se accedentes indiscriminatim interrogat signanter circa Decalogi præcepta, exacte relevando omnes circumstantias. Qu. An ita exacte se gerat ?

Resp. hunc modum generícum, sic indiscriminatim interrogandi omnes, ac singulos Pœnitentes, regulariter non esse satis aptum, ac approbatum, cum juxta S. Thomam Confessarius teneatur scrutari conscientiam peccatoris, sicuti solet Medicus ægritudinem ægroti, et Judex causam litigantis, quæ ut plurimum non eædem sunt, sed diversæ. Nihilominus respondeo cum dist. Vel per ly *exacte relevando omnes circumstantias* intelligitur relevatio eorum, quæ sunt opportuna, et adaptata peculiari indigentiæ, captui, ac spirituali profectui personæ interrogatæ; et tunc dico ipsum recte se gerere ita faciendo. Vel intelligitur relevatio eorum, quæ potius importuna sunt et non adaptata indigentiæ, captui ac spirituali profectui personæ interrogatæ; et tunc dico, ipsum sic faciendo male se gerere. Ratio primæ partis est, quia gerendo se illo modo, proprie exercet officium Doctoris, ac Medici spiritualis: quæ munia, si discrete, ac ut par est; exerceantur, tantum abest, quod mala sint, ut potius tale exercitium commendetur ac desideretur in omnibus Confessariis; nam partes Confessarii non restringuntur ad solum officium Judicis sed extenduntur etiam ad illud Medici, ac Doctoris, ut fatentur AA. comm. Ratio sec. part. est, quia relevare importuna Pœnitentis indigentiæ, vel captui inepta, et ad ejus spi-

ritualem profectum minime conferentia, propric quid defectuosum, ac malum est; id enim non est Pœnitentem instruere, spiritualibus ejus morbis mederi, ac efficacia, vel saltem utilia, ei applicare remedia; sed potius frivolis, inutilibus, et fortasse perniciosis eum detinere discursibus : quod, ut patet, malum est. Hinc in cap. *Omnis de Pœnit.* dicitur : *Sacerdos sit discretus diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati.* Et Rituale Romanum inquit : *Caveat, ne curiosis interrogationibus quemquam detineat, præsertim, juniores, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans; ne peccare discant :* quod potissimum valet in materia venerea; circa quam commune monitum est, præstare aliquando Confessarium minus perfecte peccatum Pœnitentis intelligere, quam illi, vel sibi scandalum parere. Quare si Concionator ruralis exacte relevat omnes circumstantias primo modo, recte se gerit. Si vero secundo, male.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Putat probabiliter Confessarius, Pœnitentem examinasse propriam conscientiam ea diligentia, qua tenebatur; at simul rationabiliter credit, eum omittere aliquod lethale ex inadvertentia, seu oblivione. Qu. An teneatur ipsum interrogare?

Resp. Stando terminis casus, Confessarium teneri illum interrogare, prout tradunt Suarez disp. 32, de Pœnit. sect. 3, n. 7. Aversa eod. tr. quæst. 16, sect. 11, cæterique comm. Ratio est, quia stante ex una parte mera probabilitate, quod Pœnitens semetipsum examinaverit ea diligentia, qua tenebatur; ex alia dubio rationabili, quod ille ex inadvertentia, aut oblivione, omittat aliquod lethale, nequit Confessarius pergere ad rectam efformationem judicii circa ipsum, ni prius valida aliqua ratione hoc rationabile dubium elidatur. Hinc cum istud elidi non possit, nisi per attestationem ipsius Pœnitentis, qui in hoc tribunali est reus, et testis; ideo necesse est, ut a Confessario interrogetur. Nec refert,

quod interrogatio contingat aliquo modo in supplementum examinis, spectantis ad Pœnitentem; nam tendit ad exactam rationem judicii Sacramentalis, quam procurare est onus Judicis, et sic Confessarii; qui propterea nil mirum, quod in casu teneatur Pœnitentem interrogare, cum secus nequeat rectum formare judicium de tali Pœnitente. Dixi postea, *stando terminis casus;* etenim si Confessarius non meram probabilitatem, sed moralem certitudinem haberet, quod Pœnitens semetipsum revera examinaverit ea diligentia, qua tenebatur, tunc censeo cum Medina de Confess. quæst. 19, Victoria, relato a Leandro de Pœnit. quæst. 124, contra Leandrum ipsum, Suarez, Lugum, et alios, ibidem pro se ab eo citatos, Confessarium non teneri interrogare Pœnitentem. Ratio est, quia obligatio hunc interrogandi oritur in Confessario ex obligatione, quam habet Pœnitens examinandi seipsum; ideo enim hunc debet Confessarius interrogare, quia debet supplere illius examen, seu examinis defectum, ut docet Puteobonellus de Pœnit. quæst. 3, art. 2, num. 8. Atqui supposita certitudine in Confessario, quod Pœnitens semetipsum examinaverit ea diligentia, qua tenebatur, nullus intervenit defectus per interrogationes supplendus : Ergo in hoc casu non tenetur Confessarius Pœnitentem interrogare, non obstante, quod credat, eum omittere etc. Et ratio fundamentalis est, quia supposita illa certitudine in Confessario, ista credulitas desinit esse rationabilis. Hinc sicuti non peccat Pœnitens, omittens ulterius examen, quando est certus, semetipsum examinasse ea diligentia, quæ juxta prudens commune hominum judicium sufficit in ipso, et aliis suæ qualitatis, etiamsi habeat probabilitatem, quod, si diutius excutiat conscientiam suam, inveniet aliquod aliud peccatum clavibus exponendum, ut cum de Lugo, ac Tamburino tradit Puteobonellus l. c. n. 4, et nos probavimus anno 1751, ad III Aprilis; ita neque peccat Confessarius, omittens, in casu, interrogare Pœnitentem, eo ipso, quod est certus etc.

CAS. II. — Erubescit mulier fateri quoddam peccatum turpe, de novo commissum. Unde petita, ac obtenta a

Confessario facultate ipsi faciendi Confessionem generalem, inter peccata anteactæ vitæ, jam absoluta, illud exponit. Qu. An satisfaciat suæ obligationi?

Resp. cum Martino de Sacram. tom. 3. disp. 50. sect. 1. num. 17. Castropalao de Pœnit. disp. 1, punct. 10. num. 8. Thoma Hurtado, et aliis, probabilius esse, quod non. Ratio est, quia, licet esse confessum, vel non, reputetur circumstantia extrinseca peccato mortali, inspecto secundum suam essentiam; hujusmodi tamen non reputatur, si peccatum consideretur, prout est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ; sub hac enim inspectione, est quid valde diversum peccatum mortale confessum a non confesso: siquidem non confessum est materia necessaria Sacramenti; confessum vero est pura materia sufficiens, ac libera. Unde fit, quod primum regulariter reticeri non potest: secundum vero potest libere reticeri. Et sic, in ratione materiæ, unum habet esse diversum ab altero per consequens, cum in Confessione materia exponi fideliter debeat secundum illud esse, quod habet, ut propriæ satisfiat obligationi, nequit unum peccatum mortale nondum confessum exponi ad modum eorum, quæ jam fuere absoluta. Atqui mulier exponendo modo prædicto peccatum turpe, a se de novo commissum, istud exponit ad modum eorum, quæ jam fuere absoluta, sicque id non exponit secundum esse, quod habet in ratione materiæ Sacramenti: ergo non satisfacit suæ obligationi. Accedit, hujusmodi expositionem decipere Confessarium, eique occasionem præbere, ne exerceat, ut oportet, officium Medici, ac Judicis; quamvis enim mulier sic confitendo, voce non dicat expresse, jam se fuisse confessam de tali peccato, id tamen dicit implicite, et facto ipso, materiam necessariam operiendo velamine materiæ sufficientis, et Confessionis generalis. Ergo suæ obligationi non satisfacit, quidquid ex adverso dicant Diana part. 3. tract. 4. resol. 62. Jo. de Lugo de Pœnit. disp. 10. sect 2. § 1. Girib. eod. tract. cap. 1. dub. 5. num. 57. aliique.

CAS. III. — Die festo, in quo magnus adest populi

concursus, absolvit Confessarius quosdam Pœnitentes, accusantes se de peccatis, de quibus dubitat, an sint reservata, ea ratione, quod peccata dubia non reservantur : generatim vero (ut se citius expediat) quemlibet Pœnitentem absolvit sub hac tantum verborum forma : *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Qu. Quoad primum, an valide; quoad secundum, an licite?

Resp. Quantum ad primum affirmative, supposita dubii rationabilitate; et quod omnem possibilem diligentiam adhibuerit, ad se prius certificandum de veritate. Ratio in primis desumitur a qualitate reservationis, quæ, utpote odiosa, restringenda est ad casus certo, non vero dubie reservatos; juxta illam regulam juris in sexto : *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Secundo, quia si Decretum Clementis VIII. editum anno 1601 excipias, in quo casus Bullæ Cœnæ etiam in dubio reservavit (quod tamen anno sequenti 1602 moderatum prætendunt Puteobonellus de Pœnit. quæst. 6. art. 3. num. 15. et alii quam plures, per aliud Decretum ejusdem, in quo omisit illas particulas *clare, vel dubie contentis* ,) nullus extat canon, nulla lex, nullum Decretum præcipiens recursum Pœnitentis ad reservantem in casu peccati dubie reservati; sicuti extat, quando agitur de peccato certe reservato. Ergo signum est, quod peccata dubie reservata proprie non cadunt sub reservatione, et sic Confessarius valide illos Pœnitentes absolvit. Neque dicas, dubium de casu reservato esse simul dubium de jurisdictione in Pœnitentem : sed dubius de jurisdictione in Pœnitentem, hunc nequit absolvere, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis; ergo etc. Siquidem nego majorem cum Giribaldo de Pœnit. cap. 13. dub. 2. num. 13., nam semel ac casus dubius non est reservatus, Confessarius hunc audiens, est adhuc certus de jurisdictione in talem Pœnitentem ; sicuti dubius, an votum emiserit, certus est de perseverantia suæ libertatis. Hinc sicut iste non tenetur eligere partem tutiorem observandi votum, semel ac, factis debitis reflexionibus, nequit de veritate certificari, sed tuto potest sua libertate perfrui; ita nec

Confessarius tenetur dimittere Pœnitentes, semel ac, factis debitis reflexionibus, ac possibilibus diligentiis, nequit certificari, an tale, ac tale peccatum revera sit reservatum; sed, omni deposita titubatione, tuto potest illos absolvere. Bonacina de Pœnit. quæst. 7. punct. 5 § 4. Suarez, Card. de Lugo, et alii = Quantum ad secundum postea dico, DD. satis comm. affirmare, id fieri licite, adeoque sine culpa etiam veniali, ut videre est apud de Ligorio de Pœnit. cap. 1. dub. 1. numer. 430. Ratio est, quia quoad preces sive antecedentes, sive subsequentes, nullum extat præceptum. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 3. de iis præcise dicit, quod *laudabiliter adjunguntur*. Quoniam vero Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, formam præscribit quoad ministrationem Sacramentorum, et tit. de forma Absolutionis inquit: *In Confessionibus autem frequentioribus omitti potest* Misereatur etc. *et satis est dicere* Dominus noster Jesus Christus etc, *usque ad illud* Passio etc. in praxi hæc occasione magni concursus dicentur; reliqua tamen, ac præcipue subsequentia, alias non omittentur, secluso alio urgenti, et rationabili motivo, cum ea dicenda præscribat præfatum Rituale Romanum, eaque sit praxis, ac usus, ut communiter dicantur in administratione hujus Sacramenti.

MENSE MAII.

CAS. I. — Pœnitens, de peccatis suis vere dolens, postquam de iis confessa est, et a Confessario Absolutionem obtinuit, huic subjunxit: *Patrem, ad sigillum obligare neutiquam cogito: revelet, cui placeat, mea peccata, plenam ei concedo licentiam.* Qu. An Confessarius licite uti queat ista facultate?

Resp. probabilius neg. Ratio est, quia obligatio sigilli nedum inducta est in favorem Pœnitentis, verum etiam in favorem ipsius Sacramenti. Jam vero licet Pœnitens possit cedere juri ad sigillum, in quantum hic obligat in favorem sui; non sic tamen in quantum obligat in favorem Sacramenti, et ob reverentiam huic de-

bitam. Nec relevat, quod in cap. *Significasti de Adulter.* Pontifex eum non reprehendat, qui de licentia Mulieris, penes ipsum confessæ de adulterio, hoc extra propalaverat; ut enim ex Navarro, et Barbosa recte notat Anacletus de Pœnit. disp. 9. quæst. 3. num. 35. tale Capitulum non loquitur de Confessione Sacramentali, sed de facta extra Sacramentum, tam per adulterum, quam per adulteram.

CAS. II. — Rusticus solet ita confiteri : *Pater, murmuravi : murmurasse me accuso, etc.* quibus auditis Confessarius, non curans de alia expressione, ipsi imponit pœnitentiam, et absolutionem impertit. Qu. An validæ sint istæ Confessiones ; et an Confessarius ita se gerens peccet?

Resp. hujusmodi Confessiones esse invalidas, et Confessarium ita se gerentem peccare mortaliter. Ratio primæ partis est, quia illæ Confessiones sunt invalidæ, quæ perficiuntur cum materia inepta, ut constat paritate aliorum Sacramentorum : atqui tales sunt Confessiones prædicto modo factæ a Rustico; hic enim præcise dicendo : *Me accuso, me murmurasse, etc.* nil nisi conditionatum exponit, ac dubium, quod se solo non est materia sufficiens, adeoque inepta, ut sola absolvatur; ergo, etc. Ratio secundæ partis colligitur ex prima ; nam semel ac dicta materia inepta est, et, hoc non obstante, Confessarius super illam absolute profert formam Absolutionis, non curando, ut simul exponatur aliqua materia certa, nec exquirendo a Pœnitente (prout alioquin exquirere deberet) an quidquid ex ab eo expositis sit ab ipso certo commissum, Sacramentum exponit periculo nullitatis, et sic mortaliter peccat. Hinc in hujusmodi casibus debet Confessarius interrogare Pœnitentem, an ea, de quibus ita se accusat, revera fecerit nec ne ; eumque instruere circa modum, quo debet se accusare ; alias fieri quidem potest, quod simplicitas, ac bona fides Pœnitentis excuset ipsum ita confitentem, non sic vero Confessarium, in tali casu eum absolute absolventem, ut tradunt DD. comm.

CAS. III. — Noscit Confessarius ex confessione con-

stituti in gravi periculo mortis, hunc teneri restituere famam proximi gravissime læsam, ac retractare apud aliquot Sæculares doctrinam falsam, quam docuit ex ignorantia graviter culpabili. Qu. Quonam modo cum hoc se gerere debeat?

Resp. Confessarium hoc in casu debere infirmum adstringere, ut convenienti modo famam ablatam restituat, et apud illas personas sæculares doctrinam falsam retractet, per ipsummet Confessarium, si Pœnitens a semetipso id facere non potest, aut per aliam idoneam personam; adeo, ut omnis læsio in fama, et si quod aliud inde detrimentum personæ infamatæ evenit, modo possibili resarciatur: et similiter illæ personæ sæculares nedum ab insinuato errore retrahantur, sed etiam, si quod aliud eisdem, vel aliis temporale, aut spirituale damnum exinde resultavit, possibili modo reparetur. Ratio utriusque partis est, quia horum omnium ipse infirmus fuit vera et noxia causa, ut cum de Lugo inquit Giribaldus de Restit. c. 4. dub. num. 29. proindeque cum ille, qui culpabiliter damnum causat, istud reficere, ac reparare teneatur, inde fit, quod id præstare in casu teneatur infirmus per se, si potest, per alium vero, si ex se id facere nequit: siquidem ignorantia non eximit ab hoc onere, quando est graviter culpabilis, ut in casu præsenti. Pellizzarius correctus de Monial. c. 10, sect. 3. subsect. 1. pag. 378. edit. Rom.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Famulus defert litteram, seu internuncium ad sui heri concubinam. Qu. An ob hoc reus sit peccati mortalis?

Resp. cum dist. Vel famulus, deferens hujusmodi litteram seu internuncium, scit, aut rationabiliter dubitat, ibi contineri turpia, seu talem missionem ad turpia ordinari; et in hoc casu dico, ipsum ob hoc reum esse peccati mortalis. Ratio est, quia id agens cum tali notitia, formaliter cooperatur ad ipsam rem turpem ab hero intentam; quæ sicuti nunquam potest licite fieri,

utpote mala ab intrinseco, et si fiat, semper est peccatum mortale; ita neque licitum est ad idem cooperari; ac proinde si famulus eidem cooperatur, mortaliter peccat, ac complex est mortalis malitiæ actionis. Vel famulus prædictus neque scit, neque rationabiliter dubitare potest etc. et tunc dico, ipsum ob hoc non esse reum peccati mortalis. Et ratio est, quia in isto casu delatio litteræ, seu internuncii, respectu ipsius est res formaliter indifferens, ac per consequens quid insufficiens ad formale peccatum, nedum mortale, verum etiam veniale. Vide Vivam in 15. prop. damn. ab Innocentio XI. ac P. de Ligorio l. 2. tr. 3. c. 2. art. 3. n. 67.

CAS. II. — Sunt duo, quorum unus existens extra Ecclesiam, vult furari intra Ecclesiam, et alter existens in Ecclesia vult furari extra Ecclesiam. Qu. An circumstantia loci sacri, in quo, seu circa quem, fuit ab iis mentaliter commissum dictum peccatum, sit necessario in Confessione exprimenda?

Resp. cum Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 4. de 6. circumst. *Ubi* vers. *Solet vero*, Syro in Sum. Pœnit. cap. 8. num. 18 et aliis, circumstantiam loci sacri esse exprimendam a primo; non sic vero a secundo. Ratio primi est, quia cum actus interior, ab eo conceptus, non fuerit furandi præcise, sed furandi in tali loco, nempe in Ecclesia, participat, seu contrahit eamdem malitiam specificam, quam importat ipsum reale furtum, factum in Ecclesia. Propterea, sicuti qui realiter furatus est in Ecclesia, debet hanc loci circumstantiam exprimere, eo quia furto superaddit malitiam specificam sacrilegii; ita eamdem circumstantiam et hic debet in confessione exprimere. Ratio postea secundi est, quia respectu illius actus interioris peccaminosi, ab hoc in Ecclesia concepti, locus sacer sensibilis valde accidentarius est; ac proinde non superaddit eidem malitiam specificam sacrilegii, quæ in Confessione propterea exprimenda non est. Ita enim Navarrus in Enchir. c. 10. num. 3. Azorius, Sotus, et alii.

CAS. III. Sacerdos existens in peccato mortali fecit

aquam lustralem, seu benedictam. Qu. An per hoc novum lethale commiserit?

Resp. neg. cum Giribaldo de Sacram in Gen. c. 5. dub. 5. n. 25 et seq. contra Sayrum in Sum. Pœnit. c. 27. n. 5. Ratio est, quia hujusmodi benedictio, quemadmodum et confectio cujusvis alterius Sacramentalis, non est confectio Sacramenti, nec tantæ dignitatis, ac sanctitatis, prout hæc est, adeo ut paris culpæ reus dici debeat alterutrum conficiens. Propterea hac in re ea opinio probabilior videtur, non quæ ab omni peccato excusat conficientem Sacramentalia in mortali, siquidem sancta sancte tractanda sunt, ut tradidit Divus Dionys. cap. 1. Eccles. Hierar. versus fin. sed quæ docet, Sacerdotem sic ea conficientem peccare venialiter tantum, cum non agatur de actione, quæ fiat nomine Christi, aut per quam dispensentur merita Christi, vel denique per quam conferatur proprie sanctitas seu gratia sanctificans. Ex quo inferes, Sacerdotem, qui confecit aquam lustralem, seu benedictam, in peccato mortali, ob hoc commisisse quidem novum Veniale, non tamen novum Lethale; ut etiam DD. satis comm. tradunt de Episcopo conferente Tonsuram, consecrante Ecclesiam, vel Calicem, aut conficiente sacrum Chrisma, seu Oleum infirmorum.

MENSE JULII.

CAS. I. — Facta secunda denuntiatione Matrimonii ineundi Cajam inter ac Sergium, anceps est Berta, an teneatur manifestare, quod Sergius rem habuit cum Sponsæ sorore, prout hæc ei sub naturali sigillo manifestavit. Propterea consulit Confessarium pro dubii solutione. Qu. Quid hic respondet?

Resp. cum. dist. Vel adest fundata spes, quod si Sergius secrete moneatur de impedimento, Matrimonium non contrahetur ante ablationem illius: Vel non adest talis spes. Si adest, inquit, Bertam non teneri manifestare etc. sed potius de isto Sergium monere vel per se, vel per illam, a qua ipsa intellexit, eum cum ista

rem habuisse. Ratio est, quia sic nedum obviatur nullitati Matrimonii, verum etiam illæsa servatur fama sororis Sponsæ, una cum custodia sigilli naturalis; quæ, cum in casu servari possint, debent servari. Si postea non adest talis spes, tunc inquit, Bertam teneri manifestare, quod Sergius rem habuit cum Sponsæ sorore. Ratio est, quia juxta S. Thomam 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. motivum obviandi irreverentiæ ac nullitati Sacramenti, sacrilegio contrahentium, ac illegitimitati prolis nascituræ, prævalet obligationi sigilli naturalis, ut etiam tradunt Giribaldus de Matrim. cap. 6. dub. 6. Sanchez, Bonacina, et alii. Neque dicas cum Pontio de Matrim. l. 5. c. 84. Diana part. 3. tract. 4. resol. 221. aliisque, præceptum denuntiandi impedimentum non obligare, quando vel imminet grave damnum tertio, vel nullum ex denuntiatione resultat bonum ei, cujus gratia factum est tale præceptum. Porro hoc totum evenire in casu, eo quia si fiat dicta manifestatio, inde emergit gravis infamia Sorori Sponsæ; insuper nullum exinde resultat bonum tum Sacramento, cum Sponsis, ac proli nascituræ: fiat enim hypothesis, quod facta illa manifestatione tam Sergius, quam soror Sponsæ, negent perfracte delictum commissum, in hoc casu differetur quidem inter ipsos celebratio Matrimonii per aliquod tempus; ast quia delictum a Berta probari non poterit, Sponsi tandem contrahent. Contra vero quoad primum de damno respondeo, id quidem verum esse, quando damnum grave imminet ipsi manifestanti, seu denuntianti; non vero quando imminet alteri, ni forte hoc sit damnum spirituale aliorum, puta grave scandalum plurium personarum; de quo non sumus in casu. Ad aliud de non resultantia boni, id nego absolute; ad impediendum namque Matrimonium nondum contractum, sufficit unus testis, ex cap. *Præterea* de Sponsalib. Vide Giribaldum. l. c.

CAS. II. — Sacerdos optime noscit, se esse in Morali Theologia modicissime versatum; ast quia fortuito fuit ad audiendas Confessiones approbatus, exercet hoc ministerium. Qu. An tuta conscientia id facere possit?

Resp. neg. Ratio clara est, quia nempe quoties tale ministerium exercet; exponit se periculo in illo errandi, nedum proferendo sententiam tamquam Judex super Causas, defectu scientiæ, ipsi ignotas; sed etiam tacendo ea, quæ tamquam Doctor tenetur docere, ac declarare Pœnitentibus; et non subministrando eisdem tamquam Medicus opportuna, et apta remedia pro morbis spiritualibus, quos ipse non noscit. Unde cum exponens se periculo errandi in materia adeo gravi, nequeat dici quod tuta conscientia id faciat; ideo nec tuta conscientia id facit Sacerdos in casu. Et sane si graviter peccat Pœnitens confitendo peccata sua Confessario, quem scit ignorantem, ac ineptum ad percipiendam eorum gravitatem, ut cum aliis, communiter docet Suarez de Pœnit. disp. 18. sect. 2. n. 9. a fortiori graviter peccat Sacerdos, exponens se ad audiendos hujusmodi Pœnitentes. Nec relevat approbatio obtenta; hæc enim, utpote obtenta fortuito, per accidens, necnon ex defectu vere cognitionis Sacerdotis, huic non suffragatur, semel ac iste cognoscit se ineptum ad sacrosanctum hoc ministerium. Ita DD. comm.

CAS. III. — Dubitat Sempronius, se esse excommunicatum : Primo, quia suadente diabolo percussit indutum habitu Clericali, de quo, non obstante omni diligentia adhibita, certo sciri non potuit, an vere sit Clericus. Secundo, quia per plures annos exercens commercium per leges prohibitum e Statu Ecclesiastico sæpe extraxit annonam, puta, modo frumentum, modo etc. Qu. An vere sit, ob hoc duplex motivum, ac teneatur se gerere ut excommunicatum?

Resp. negative quoad primum ; affirmative quoad secundum, si erat conscius latæ Excommunicationis Pontificiæ contra præsumentes extrahere hujusmodi e præfato Statu. Ratio primæ partis ex eo desumitur, quod, cum Excommunicatio major sit quam maxime odiosa, ac pœna gravissima, eidem subjici quis non debet, nisi certo constet de delicto, cui a jure talis pœna annexa est. Sed in casu certo non constat de delicto, cui talis pœna a jure annexa est; siquidem, non obstante omni

diligentia adhibita, certo sciri non potuit, an indutus habitu Clericorum percussus, sit vere Clericus, ergo etc. Accedit nedum ignorantiam juris, verum etiam ignorantiam facti ab excommunicatione excusare, cum in utroque casu desit contumacia, quæ ad incurrendam hanc pœnam requiritur. Atqui in Sempronio percutiente fuit ignorantia facti, scilicet, an ab ipso percussus, esset verus Clericus, cum etiam hic et nunc id ab ipso ignoretur, non obstante omni diligentia adhibita; ergo etc. Denique juxta Bonacinam, et alios, satis communiter excusat a prædicta excommunicatione etiam ignorantia probabilis. Porro hanc fuisse in Sempronio percutiente, ex eo clare colligitur, quod hactenus nondum agnovit, an percusserit Clericum; ergo dici debet, Sempronium in casu non teneri se gerere ut excommunicatum; præcipue cum, juxta dicta, excommunicatio exigat contumaciam, ideoque spretum quemdam, saltem virtualem, legis, quo quis certo sciat, se ponere opus sub censura prohibitum; qui certe in nostro casu non fuit in Sempronio: quem propterea dicendum est non teneri se gerere ut excommunicatum. Ratio postea secundæ partis aperte constat ex variis Constitutionibus Pontificiis, nimirum Gregorii XIII. Pauli. V, Urbani VIII. aliorumque Summorum Pontificum, inter alias pœnas, etiam illam excommunicationis latæ sententiæ infligentium contra præsumentes extrahere prædicta e Statu Ecclesiastico sine debita licentia summi Pontificis, aut privilegio peculiari ostenso: prout eas confirmando, ac innovando quoad omnes, et singulas pœnas, ibi comminatas, et statutas, declaravit Benedictus XIV, Motu proprio 29 Junii 1748. inserto Constitutioni 53. tom. 2. Bullarii ejusdem. Verum quidem est, quod licet Eusebius Amort de Pœnit. disp. 9. in Indice Excommunicationum latæ sententiæ Papæ reservatarum lit. E. v. *Ecclesiastico e Statu*, asserat, hanc Excommunicationem reservari Pontifici vi Bullæ *Superni* Urbani VIII. § 5. tamen quantum ex ejus lectione percipere potui, nec ibi, nec in aliis Bullis Pontificiis, ullum verbum inveni, ex quo colligatur, eamdem Excommunicationem esse reservatam Pontifici, vel alii Superiori Ecclesiastico.

Item licet quidam alii affirment apud P. Victorianum Premoli in Catalogo Excomm. cap. 9. num. 32. eamdem esse reservatam Papæ *ex consuetudine*; tamen neque de hac satis constat juxta relationem mihi factam a pluribus viris doctis, jam diu versantibus, et agentibus hic Bononiæ in utroque foro.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Metuit Cajus, Judicem fore ipsi adversum in decisione litis; propterea confert munus illius Concubinæ, ut hæc præsentialiter, aut scripto, vel internuncio, pro eo intercedat. Qu. An Cajus licite id facere valeat?

Resp. Cajum non posse id facere, ut Concubina pro eo præsentialiter intercedat; bene vero, ut pro eo intercedat scripto, vel internuncio. Ratio primæ partis est, quia si Concubina intercedat præsentialiter, exponit se proximo et aperto periculo delinquendi mortaliter una cum ipsomet Judice amasio. Unde cum nemini licitum sit, etiam pro toto mundo lucrando, alterum exponere periculo proximo et aperto delinquendi mortaliter, eo quia hujusmodi expositio statim ex se mala est, cum ipse amor periculi peccatum sit, ut communiter DD. advertunt super illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit:* ideo etc. Ratio secundæ partis est, quia intercessio, vel commendatio facta etiam per concubinam scripto, vel internuncio, est quid a peccato remotum, et fieri ac recipi potest, absque ulla, vel minima prava cogitatione: et si in alterutro, hac occasione, concipitur aliqua prava cogitatio, id est per accidens, ac præter intentionem Caji, cujus actio eam non ingerit, sed prave cogitantis malitia. Hinc sicuti communiter admittitur esse licitum, ex justa, et gravi causa, petere mutuum ab eo, qui prævidetur illud non daturus absque usura, eo quia si hic non dat absque usura, id evenit per accidens, ac ex sola ejus malitia; ita etiam licet Cajo ob eamdem rationem dicto modo penes Judicem intercedere per Concubinam, ne adversum illum

habeat in decisione litis, ut suppono, justæ, ac gravis momenti.

CAS. II. — Postquam Advocatus in causa principali egit pro mercede in favorem unius ex collitigantibus, agit ex charitate in causa appellationis pro altera parte contraria. Qu. An tuta conscientia id facere possit?

Resp. Cum Jo. Angelo eossio de Consc. erron. et opin. Tit. 1. § 28. num. 780, probabilius est, quod non. Ratio est, quia causa appellationis non est causa diversa a principali, sed una et eadem cum illa; vel saltem est illius sequela. Unde sicut in una et eadem causa Advocatus non potest tuta conscientia agere pro, et contra; ita si in causa principali egit in favorem unius ex collitigantibus, tuta conscientia agere nequit, etiam ex charitate, in causa appellationis pro altera parte contraria; cum enim noverit opera causæ, in hac instantia multum lædere poterit partem, quam in priori defendit; vel forte oportebit, eum asserere, quod prius negavit, vel e contra : quod esse non debet; et sic neque tuta conscientia fieri potest.

CAS. III. — Pœnitens malitiose reticuit quoddam Mortale; cujus tamen reticentiæ dein magna pœnitentia ductus, eidem Confessario tale peccatum una cum reticentia in præcedenti manifestavit, sed sine repetitione aliorum mortalium, quæ in priori confessione exposuerat. Qu. An hæc secunda Confessio sit valida?

Resp. cum dist. Vel quando Pœnitens manifestavit tale peccatum cum præcedenti reticentia Confessario, hic adhuc recordabatur peccatorum, quæ in hujusmodi præcedenti confessione ipsi Pœnitens exposuerat : vel non. Si non; dico, hanc secundam confessionem esse invalidam. Ratio est, quia si Confessarius non amplius recordabatur peccatorum, quæ ipsi exposita fuerant in præcedenti confessione, etiam secunda Confessio non habuit necessariam integritatem, neque Confessarius potuit adæquatum judicium efformare circa statum pœnitentis; qui propterea utramque debet ex integro repetere, ut valide, ac integreabsolvatur. Si postea Confes-

sarius adhuc recordabatur, etc; tunc dico, secundam Confessionem esse validam, quia illa reminiscentia peccatorum, qua secunda vice Pœnitens indicavit, se antecedenter penes ipsum jam fuisse confessum, erat sufficiens, ut Confessarius rectum, ac integrum judicium efformaret circa statum Pœnitentis; cujus proinde secunda Confessio est valida. Ita Navarrus, Bonacina, aliique comm.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Habet quis Confessarium ordinarium, cui communia et levia peccata fatetur; et quoties aliquid grave, seu mortale supervenit, tunc alteri Confessario confitetur, ne ordinarius id sciat. Qu. An hæc confitendi methodus sit vituperabilis?

Resp. per se eam non esse vituperabilem, saltem ut peccaminosam; si Pœnitens cum vero dolore, rectaque dispositione ad utrumque Confessarium accedat. Ratio est, quia uterque est Confessarius legitimus, nec ulla lege præceptum est pœnitenti, ut ad quem accedit pro venialibus, accedere debeat etiam pro mortalibus. Nec refert, quod pœnitens id faciat, ne ordinario nota sint sua mortalia: quemadmodum enim non peccat Moniali, si quandoque lapsa in peccatum grave nolit illud Ordinario detegere, sed Extraordinarium petet, et huic illud confiteatur; ita neque peccat Pœnitens in casu; id enim non fit ad simulandum Ordinario virtutem, et sanctitatem, quod esset hypocrisis; neque ad Ordinarium decipiendum; sed ad usum juris, ac libertatis confitendi cui vult, et ad ei occultandum peccatum, cui hoc non tenetur manifestare. Castropalaus de Pœnit. disp. 1, p. 10, n. 10. Dixi postea hujusmodi methodum non esse vituperabilem *per se*, et *ut peccaminosam;* quia per accidens fieri potest, quod sit animæ Pœnitentis minus proficua, et quandoque etiam periculosa: puta, si Pœnitens aliquem confessarium incognitum adeat, qui nesciat congruam ipsi applicare medicinam. Propterea consultum est, ad eumdem semper accedere.

CAS II. — Confessarius imponit Pœnitenti satisfactionem a principio revera justam, ac rationabilem ; sed postea Pœnitens ipse factus est impotens ad sic satisfaciendum. Qu. An per interpretationem valeat hic sibi eam a semetipso relaxare ?

Resp. affirm. cum Puteobonello de Pœnit. q. 4, art. 5, n. 9. Giribaldo eod. tract. cap. 12, dub. 12, et aliis passim; si Pœnitens sit sufficienti scientia instructus, caveatque, ne sibi nimium indulgeat. Ratio est, quia interpretatio non est actus jurisdictionis, seu potestatis Sacerdotalis ; sed est actus prudentiæ, ac scientiæ, quo dignoscitur, an in casu adsit revera isthæc impotentia ad satisfaciendum : ergo si hujusmodi scientia, aut prudentia reperiatur, quantum sufficit, in pœnitente, ac ipse semetipsum revera cognoscat impotentem ad satisfaciendum, vel in toto, vel in parte (ut evenire potest, quando pœnitentia est in partes divisibilis), tunc per interpretationem potest eam sibi relaxare proportionate ad impotentiam, hoc est, declarare, se ad eam non teneri : quamvis consultius est adire alium prudentem, ac doctum Confessarium pro tali effectu.

CAS. III. — Puella plena cum deliberatione consensit in mentale carnale commercium cum amasio. Qu. An debeat exprimere in Confessione, quod ipsa est virgo ?

Resp. affirm. cum Navarro, Azorio, aliisque communius. Ratio est, quia etsi hujusmodi actus, quo consensit in mentale carnale stuprum cum amasio, fuerit merus actus internus ; tamen per ipsum habuit pro objecto ipsum stuprum carnale cum tali persona, cum quo propterea est ejusdem speciei. Neque dicas, istud peccatum non esse speciale peccatum luxuriæ, nisi quando revera defloratur, ac corrumpitur virgo; id enim est verum, si agatur de stupro reali, ac de requisito ex. gr. ad incurrendam reservationem, ubi stuprum est reservatum; non tamen si agatur de pure mentali ; ut patet etiam in desiderio adulterandi, cujus species debet exprimi, etiamsi quis tantum concupiverit uxorem alterius.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Pœnitens, jam lucratus Jubilæum in prima hebdomada, repetit opera præscripta etiam in secunda, et in hac absolvitur a casu Pontificio, in quem relapsus est. Qu. An valide?

Resp. probabilius esse, quod non. Ratio est, quia facultas eligendi Confessarium, a quo quis possit absolvi a reservatis, concessa est ad effectum consequendi Jubilæum quindecim dierum, non est concessa pro utraque, sed tantum *in una*, *vel altera hebdomada* disjunctive; ut patet ex verbis Bullæ, et ut declaravit sacra Congregatio mense Maii 1620, teste Filliuccio, tom. 1. tract. 8, num. 201, de cujus declarationis authenticitate immerito nonnulli dubitant; cum Filliuccius eo tunc esset Romæ Pœnitentiarius, et ob tale Decretum recesserit ab opinione contraria, quam prius docuerat; quod plane non fecisset, si ipsi non innotuisset authenticitas talis Decreti. Hinc fel. rec. Benedictus Papa XIV. in Epist, Circul. pro Jubilæo anni sancti 1750, reflectens n. 84, quod non ageretur *de Jubilæo duarum hebdomadarum*, sed integri anni, declaravit, quod in eo posset quidem, sæpius iterando opera injuncta, sæpius etiam acquiri *Indulgentia;* non sic tamen quis absolvi a Censuris de novo incursis, et casibus reservatis de novo commissis, etc. Ergo a fortiori nec Pœnitens in casu nostro. Palaceus in Urb. VIII. Sect. 41, num. 3. Amort, de Pœn. disp. 7, quæst. 3, quæstiunc. 63, aliique.

CAS. II. — Sergius Confessarius, jam diu solitus confiteri Sempronio, quadam die ipse excepit Confessionem ejusdem, ex qua cognovit, ipsum non esse Sacerdotem; unde penes illum deinceps amplius confessus non est. Qu. An per hanc abstinentiam a Confessione illi facienda, fregerit sigillum sacramentale?

Resp. in toto rigore Sergium non fregisse sigillum sacramentale. Ratio est, quia per hoc, quod penes illum deinceps amplius confessus non sit, nil revelavit de

crimine illius Sempronii, cum innumeræ possint esse causæ mutandi Confessarium. Quamquam vero in casu non intervenerit fractio sigilli, dicunt nihilominus de Lugo, Viva, aliique communius apud de Ligorio de Pœnit. cap. 2, dub. 1, num. 660, quod intervenerit quædam odiosa exprobratio Pœnitenti, ob quam propterea subdunt, Sergium teneri adhuc penes ipsum confiteri, illi manifestando aliquod peccatum sine intentione absolutionis. Verum hoc mihi non placet, quia esset simulatio Sacramenti, quæ, utpote mala ab intrinseco, neque in hoc casu licita est. Hinc censeo cum Sanchez de Matrim. lib. 3, disp. 16, num. 5. Sergium in casu non teneri amplius illi confiteri; imo mihi videtur, quod neque id facere possit; ut evitet simulationem Sacramenti; nam, ut dictum est, per hoc, quod ad ipsum amplius non accedat, non intervenit fractio sigilli, nec proprie odiosa exprobratio, cum Confessio sit libera.

CAS. III. — Sacerdos ruralis, quodam mane existens in peccato mortali, nec habens copiam Confessarii, præmisso contritionis actu celebrat, ac dein absolvit Sociam in peccato turpi contra sextum præceptum, existentem in mortis articulo, eo quod alius simplex Sacerdos, solus existens in loco ultra ipsum, vocatus se excusavit dicens, non habere potestatem excipiendi Confessiones, et absolvendi. Qu. primo: quæ requirantur, ut licite quis celebrare possit in allato casu, non præmissa Confessione. Secundo: Quanta loci distantia esse debeat inter Pœnitentem et Confessarium, ut primus vere dicatur non habere copiam Confessarii. Tertio: An valide ac licite in præfato casu Sacerdos complex absolvat Sociam in peccato turpi?

Resp. quoad primum, requiri tum Confessarii absentiam, cum etiam, quod hic nequeat absque gravi incommodo conveniri; item quod adsit urgens motivum celebrandi, ac eliciatur actus Contritionis; si enim vel adest, vel commode Confessarius conveniri potest, tunc urget præceptum prius expiandi propriam conscientiam, nedum latum a Tridentino, verum etiam ab Apo-

stolo per illa verba : *Probet autem seipsum homo, etc.* Similiter debet simul concurrere urgens motivum celebrandi, eo quia si non occurrit tale motivum, nulla est necessitas, quod Sacerdos celebret, et sic debet a celebratione desistere ob reverentiam Sacramenti, et ut observet dictum præceptum. Debet denique elicere actum Contritionis, quia hic eliciendus est in Confessionis subsidium. Quantum ad secundum dico, non posse quoad hoc generalem regulam assignari, cum pendeat a circumstantiis illius, qui debet celebrare; nec non a qualitate temporis, viarum, etc., major namque distantia requiritur pro Sacerdote juvene, et robusto, ac pro sene, aut debili : huic enim fieri potest, quod sit gravi incommodo facere unum milliarium, non sic primo duo, vel tria milliaria. Quare tanta debet intercedere distantia, ut, attentis prædictis circumstantiis, et qualitatibus, in prudenti hominum existimatione iter sit celebraturo notabiliter incommodum respective. Ad tertium respondeo cum distinctione : Vel pro absolutione hujusmodi Pœnitentis potest haberi sub alio prætextu ille simplex Sacerdos, qui semetipsum excusavit, aut alius, vel non. Si non; dico, valide ac licite Sacerdotem complicem in talibus circumstantiis eam absolvere, quia tunc vere eamdem absolvit in casu extremæ necessitatis, ac deficiente quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, cum in hoc rerum statu perinde sit, ac si nullus alius adesset Sacerdos præter ipsum; cui proinde eo tunc non prohibetur absolvere complicem; ut patet ex Constitutione *Apostolici muneris* edita a Benedicto XIV. die 8 Februarii, 1745. Si vero pro Absolutione talis Pœnitentis potest haberi sub aliquo prætextu ille simplex Sacerdos etc., puta, sub prætextu aliquid disponendi pro anima sua; vel alius, quem Pœnitens absque periculo se graviter infamandi aliisque malam sui suspicionem ingerendi, possit eligere; tunc dico, quod si complex Sacerdos, hujusce rei conscius, non monuit Pœnitentem se in hoc rerum statu non posse ipsam absolvere, proindeque alium Sacerdotem esse advocandum; et ex industria neglexit adhibere media congrua, ut alius de facto advo-

caretur; valid quidem eam absolvit, si ipsa erat rite disposita ad Pœnitentiæ Sacramentum, cum Pontifex expresse ibidem dicat, se non intendere pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat; eam tamen absolvit illicite, ac, propter ausum, in majorem excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrit; ut constat ex Constitutione supra relata. Cæterum, in hoc casu, quo aliunde Sacerdos advocari nequeat, hæc industria adhiberi debet, ut præfato prætextu advocetur simplex Sacerdos, qui semetipsum prius excusavit, eique a Pœnitente declaretur sub sigillo Confessionis, quod ab altero Sacerdote, utpote complice, ipsa absolvi non potest, proindeque quod ipse in eo statu ejusdem Confessionem excipiat: ea enim declaratio tanquam ordinata ad Confessionem, per se ex sua natura pariet in audiente obligationem sigilli Sacramentalis, sicut aliæ scripturæ, vel locutiones ordinatæ ad Confessionem. Neque hoc mirum videri debet, quod persona moribunda ante actualem Confessionem teneatur manifestare suum crimen Sacerdoti simplici, cum hic sit unicus, qui in casu potest ipsam absolvere, et cui quodammodo crimen, cum Sacerdote complice commissum, ea in circumstantia est reservatum, ut inquit P. Eusebius Amort, de Pœnit. disp. 10. §. 2, quæst. 8.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Pœnitenti obligato ad restituendum Confessarius denegat Absolutionem, eo quod ille respondet, se prius velle consulere peritiores, ac postmodum se id facturum, ad quod tenetur. Qu. An juste huic negetur Absolutio?

Resp. cum dist. Vel obligatio restituendi, quam Pœnitens in casu dicitur habere, est omnino certa, ac prius potuit peritiores consulere; vel non. Si primum; dico, Confessarium jure ei negare absolutionem. Ratio est, quia rebus sic stantibus potest Confessarius rationabili-

ter suspicari, quod Pœnitens ideo ita loquitur, quia non est vere paratus ad restituendum; cum enim antea potuerit consulere peritiores, idque facere omiserit, purus prætextus rationabiliter hic credi potest, ut a Confessario carpat Absolutionem, quam proinde jure illi negat. Si secundum; oppositum assero : nam semel ac restitutionis obligatio non est omnino certa, aut revera non potuit etc. jus habet consulendi peritiores, cessat præfatæ suspicionis motivum, ideoque non absque injuria ipsi negatur Absolutio, eo quod dicat, se velle consulere peritiores, ac postmodum id se facturum, ad quod ipse tenetur.

CAS. II. — Facta cuidam Pœnitenti satisfactionis commutatione, hic primam persolvit. Qu. An licite?

Resp. affirm. cum Suarez, Bonacina, et aliis comm. Ratio est, quia cum commutatio sit in favorem Pœnitentis, vere hic potest cedere juri suo, vel eo uti pro libito, et sic ipsi liberum remanet, primam aut secundam satisfactionem executioni mandare.

CAS. III. — Sacerdos in mortali existens baptizat parvulum vix natum, ac morti proximum, non præmisso actu Contritionis. Qu. An committat Sacrilegium?

Resp. neg. cum Giribaldo de Sacram. in gen. cap. 5, dub. 4, num. 21, si necessitas urgeat puerum baptizandi, ac Sacerdoti tempus non suppetat ad eliciendum actum Contritionis. Ratio est, quia necessitas procurandæ infanti æternæ salutis præponderat apprehensæ irreverentiæ Sacramenti; quinimo cum Sacramenta sint instituta in salutem animarum, nulla in casu irrogatur irreverentia Sacramento, ob hujus administrationem, non præmisso contritionis actu, cum, ob defectum temporis ad ipsum eliciendum, ejusdem in tali circumstantia eliciendi non adsit præceptum: ob quam rationem nec peccat is, qui existens in peccato, et non habens tempus eliciendi actum Contritionis, consumit hostiam consecratam, ne ab ingruentibus hæreticis contemnatur.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Parochus in Diœcesi venit ad urbem quavis hebdomada, raro tamen pernoctat extra Parœciam. Qu. An graviter violet obligationem residentiæ?

Resp. cum dist. Vel talis Parochus pluries id facit intra hebdomadam, et quidem per totam, aut fere integram diem : vel id facit semel tantum; aut, si pluries, ad breve, ac modicum tempus præcise. Si primum ; dico, ipsum graviter violare obligationem residentiæ, quamvis substitutum in Parochia relinquat suæ absentiæ tempore. Ratio est, quia sic deest personali regimini suorum Parochianorum per tempus anni notabile; ad quod regimen cæteroquin tenetur sub gravi, nedum jure Ecclesiastico, verum etiam Divino, ut colligitur partim ex cap. *Extirpandæ* § *Qui vero, de Præbend.* partim ex Tridentino *Sess.* 23, *de ref.* c. 1. Propterea id Parocho non licere, quamvis nocturno tempore resideat penes suam Ecclesiam, et in hac celebret summo mane, declaravit S. Congregatio Conc. die 10 Maii 1681. Si secundum ; dico, ipsum graviter non violare obligationem residentiæ. Ratio est, quia ille interpolatus dierum, vel horarum numerus non facit in toto anno absentiam duorum mensium, per quod temporis spatium potest Parochus ex causa, quæ ipsi æqua videatur, ac substituto sibi idoneo, saltem per dies sigillatim interpolatos, absque peccato mortali abesse; ut eruitur ex Tridentino l. c. Dico, *saltem per dies sigillatim interpolatos*, ob Notificationem 17 olim Eminentissimi Archiepiscopi, dein Papæ Nostri Sanctissimi Benedicti XIV. quam hic ad amussim observari a novo Eminentissimo Archiepiscopo, ac Principe, præceptum est.

CAS. II. — Obligatus quotidie celebrare ad mentem Testatoris, recepit eleemosynam, ac Missam applicavit ad mentem alterius tum feria V. in Cœna Domini, cum in die omnium Defunctorum. Qu. An licite?

Resp. Quamvis improbare non audeam sententiam Dianæ absolute affirmantis part. 4. tract. 4, resol. 86, probabilior tamen mihi videtur opinio Fraxinelli sect. 4. concl. 4, aliorumque negantium id licite factum a Capellano in casu. Ratio est, quia licet hic revera potuisset feria V. in Cœna Domini desistere a celebratione, et Communionem sumere cum Clero; item in die omnium Defunctorum non celebrare ad mentem Testatoris, sed Missam applicare pro defunctis in communi, ut respondit S. Rituum Congregatio die 4 Augusti 1665; tamen semel ac resolvit celebrare prædicta feria quinta ob ipsi occurrentem opportunam occasionem, tunc licite id peragendi; et vice versa non celebrare pro Defunctis in communi, in die omnium fidelium Defunctorum, sed pro aliquo in peculiari; statim occurrit obligatio Missæ quotidianæ pro Testatore, utpote prior in tempore, et quidem urgens ex justitia, ratione oneris assumpti ad celebrandum pro ipso, seu conformiter ad mentem ipsius: negari enim non potest, quod obligatio cum ipso contracta, sit de celebrando ad ipsius mentem quotidie: ergo etiam tali die, semel, ac iste celebrat; vel pro aliquo in particulari: eo plane modo quo licet obligatus ad celebrandum quotidie, possit quandoque abstinere a celebratione causa honestatis, vel alterius virtutis; tamen non per hoc potest eo tunc accipere ab alio eleemosynam, et pro eo celebrare, quia tunc non esset devotio, humilitas, vel alia virtus, quæ ipsum induceret ad non celebrandum pro onere quotidiano; bene vero esset avaritia, quæ ipsum potius induceret ad accipiendum aliud stipendium; et sic ad recipienda duo stipendia pro eadem Missa; quod reprobatum est per S. Congregationis Decreta. Quemadmodum ergo in hoc casu, si Sacerdos celebret, celebrare tenetur pro onere quotidiano, quamvis absolute posset a celebrando desistere; ita idem quoque dicendum de Capellano quoad Missam sive feriæ quintæ in Cœna Domini, sive diei omnium fidelium Defunctorum. Vide Giribaldum de sacrif. Miss. c. 4, dub. 4, n. 22 et seq.

CAS. III. — Dominus directus cujusdam fundi, ab

ipso dati in emphyteusim, donavit illum causa mortis quoad proprietatem uni, quoad usumfructum alteri. Qu. Cui ex his debeatur laudemium?

Resp. quoad hoc standum esse praxi, ac consuetudini locorum; hæc enim vim legis habet, estque optima legum interpres. Hinc licet communior ea opinio videatur, quæ docet, laudemium in casu deberi Usufructuario, quia est quidam usus, ac fructus proprietatis, qui ut patet, ad Usufructuarium spectat, tamen apparet æquitati ac praxi conformius, quod debeatur Domino directo habenti proprietatem: tum quia laudemium quasi dicitur, a laude et obsequio domini; cui proinde solvendum videtur, quemadmodum ei solvitur annualis pensio in recognitionem dominii directi: tum quia illi debetur laudemium, ad quem spectat facere investituram, et immittere in possessionem; quod sane non ad Usufructuarium, sed ad dominum proprietatis, adeoque ad dominum directum spectat. Accedit praxim huic secundæ sententiæ videri favorabiliorem: ergo potius domino directo debetur; ut inter alios docet Rosignolus de Emphyt. prænot. 4, n. 15, contra Bonacinam, Giribaldum et alios.

CASUS CONSCIENTIÆ

BONONIENSIS DIOECESIS

PRESBYTERIS,

AD DISCUTIENDUM PROPOSITI, AC RESOLUTI, AB ANNO 1759 USQUE AD 1781 ET ITERUM IMPRESSI.

ANNO MDCCLIX.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Titius habet usum, ac propositum consulendi varios Doctores, donec unum inveniat ad beneplacitum suum ipsi respondentem. Qu. An sic consulendo, seque ita practice regulando, sit tutus in conscientia?

Resp. Titium per se non esse tutum in conscientia. Ratio est, quia ad ejusmodi securitatem esset necesse, quod Titius in casu haberet solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum tam de rectitudine consilii habiti a tali Doctore, quam de honestate actionis, quam fretus tali consilio ponit in executione : notum siquidem est, ad licite operandum requiri tale judicium, ne quis practice semetipsum exponat periculo peccandi. Jam vero, ex eo præcise quod Titius, inter varios DD. a se consultos, unum invenerit ad beneplacitum suum ipsi respondentem, eidem plane non suppetit solidum

fundamentum efformandi hujusmodi judicium. Quemadmodum enim ex eo præcise, quod quis inveniat aliquam opinionem in libro unius Authoris, etiam junioris ac moderni, non per hoc statim eidem occurrit solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum de probabilitate talis opinionis, ut clare constat ex damnatione 27 propositionis proscriptæ ab Alexandro VII. quæ dicebat : *Si liber sit alicujus Junioris, et Moderni, debet opinio censeri probabilis , dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Ita ex eo præcise quod Titius, inter varios DD. a se consultos, invenerit unum ad suum beneplacitum ipsi respondentem, non per hoc statim eidem occurrit solidum fundamentum efformandi judicium moraliter certum de probabilitate talis responsionis , adeoque de rectitudine consilii habiti a tali Doctore , et de honestate actionis , quam fretus tali consilio idem Titius ponit in executione; proindeque sic consulendo, seque ita practice regulando, non est per se tutus in conscientia, ut post Adrianum in 4, de Restit. quæst. 88, dub. ult.et Navarrum in Man. c. 17, num. 85, docet Natalis Alexander tom. 3. Theol. Dogm. et Mor. lib. 3, cap. 4, art. 1, reg. 31, de sic consulentibus, seque ita regulantibus dicens, quod non veritatem, ac legem Dei exquirunt, sed suæ fomenta cupiditatis ; quod coacervant sibi magistros prurientes auribus, et a veritate auditum avertunt etc. Neque dicas, hæc quidem verificari de iis, qui data opera consulunt imperitos , aut plures adeunt, ut laxum tandem inveniant eorum affectioni indulgentem : nequaquam vero de iis, qui solos consulunt doctrina præstantes ex puro animo agnoscendi, an pro rei veritate ipsis liceat aliquid facere, vel omittere, prout supponitur fieri a Titio : hi namque, si intra tempus discretum consulunt plures ad hunc finem, utuntur jure suo, ac medio licito ; et si inveniunt ad placitum respondentem, qui assertum suum validis rationibus probet, ac solide aliorum momenta refellat, tute utique possunt juxta hujus responsum se practice regulare, eidem adhærendo, tanquam opinioni solide probabili, ut cum utroque Sanchez, Bonac. Palao, et aliis docet Jo. Angelus Bossius de Consc. Opin. part.

1, tit. 1, § 22, num. 220, ac Viva in præfatam propositionem damnatam num. 7. Ne dicas, inquam; in primis enim (ut notat doctissimus Christianus Lupus cum aliis, ipsaque experientia compertum est) admodum raro contingit, quod inveniatur iste Vir, afferens rationem firmam, ab aliis Doctoribus vel non solutam, vel non animadversam; quique aliorum rationes adeo facile refellat, si et hi sunt in scientia talis materiæ valde versati, ac utriusque partes sedulo librarunt. Propterea cum merum accidens sit, quod ille Vir adeo præstans quandoque inveniatur, tutum profecto in conscientia nequit per se reddere Titium, sic consulentem, seque ita practice regulantem ex usu, et proposito, ut exponitur in Casu; usus namque frequentiam importat, seu connotat. Deinde etiam transmisso, quod Titius ita se regulans ex usu, unum hunc singularem Virum inveniat, non per hoc fit statim per se tutus, nec ideo tuto adhæret ipsius responso, quia inter varios DD. a se consultos hunc unum invenit ad suum placitum ipsi respondentem; nam, ut supra dictum est, simplex auctoritas unius Doctoris non efficit assertionem solide probabilem, sed valor rationis in probationem adductæ ille est, qui veram, et solidam opinionis probabilitatem constituit, ut tradit Alphonsus de Ligorio de Consc. Dub. 2, § 12, num. 69, circa fin. quique proinde validum exhibet fundamentum eidem tuto adhærendi. Unde Titius in casu non ideo est tutus, quia hujusce unius sequitur auctoritatem, sed quia sequitur firmam, et validam rationem, ut recte ait Giribaldus de Consc. dub. 6, num. 41, cum Maderno, et aliis.

CAS. II. — Vovit Sergius donare Viduæ per decem annos certam frumenti, et vini quantitatem, ut commodius alat familiam suam. At post biennium nunc mortua est Vidua. Qu. An remaneat Sergio dicta obligatio in reliquos annos?

Resp. resolutionem hujusce Casus proprie pendere ab intentione, quam habuit Sergius, cum Votum emisit. Vel enim finis, quem sibi tunc præfixit, fuit commodior alimentatio familiæ, prout satis indicare videntur ea

verba casus, *ut commodius alat familiam suam;* et tunc dico, Sergio remanere dictam obligationem in reliquos annos; quod enim voverit donare Viduæ frumenti et vini quantitatem, solummodo probat, personam Viduæ aliquo modo fuisse a Sergio respectam, non tamen ut causam finalem, sed ut medium ad finalem causam deserviens; aut, si vis, ut causam mere impulsivam, cum finis, quem in hypothesi sibi præfixit Sergius in vovendo, fuerit commodior familiæ alimentatio. Et sic, quia post obitum Viduæ adhuc perseverat Voti causa finalis, dicendum, remanere Sergio in reliquos annos prædictam obligationem; est namque communis Doctorum sententia, quod etsi cesset causa impulsiva, dummodo tamen perseveret causa finalis, perseverat quoque Voti obligatio, ut videre est apud Sanchez in Decal. lib. 4, cap. 2, n. 42. Vel Sergius tunc sibi præfixit pro fine levamen ipsius Viduæ ab omni anxietate et incommodo in procuranda congrua alimentatione familiæ suæ, prout quandoque fit a propinquis erga consanguineos, aut affines; et tunc dico, quod, quia levamen ipsius Viduæ fuit vera causa finalis, et non alimentatio familiæ, in tali casu non remanet Sergio obligatio in reliquos annos, quia, cessante causa finali, cessat obligatio. In dubio postea, quem finem in casu Sergius intenderit, nonnulli dicunt, obligationem Sergio non remanere; tum quia tunc melior est conditio voluntatis libertatem possidentis; tum quia, cum ad voti valorem debeat causa subsistere, idem est dubitare de subsistentia causæ finalis, ac de voti valore. Attento nihilominus præfato tenore verborum, hoc in casu oppositum censeo, eo quia, si attentius verba perpendantur, obvius et connaturalis eorumdem sensus indicat, causam finalem a Sergio intentam, esse commodiorem alimentationem familiæ, non autem Viduæ liberationem ab omni anxietate, et incommodo; ait enim, *ut commodius alat familiam suam.* Deinde si hoc secundum pro fine habuisset, non dixisset, se donare Viduæ illam quantitatem frumenti et vini *ut commodius*, sed *ut commode* alat familiam suam: qui enim intendit auferre incommodum, commodum positive intendit inducere, non vero majus commodum, quod

positivum jam supponit. Ergo cum finis exprimatur termino comparativo *commodius*, dicendum, quod si non constet de Sergii determinata intentione, commodior familiæ alimentatio censenda sit causa finalis a Sergio intenta; ideoque huic insit dicta obligatio in reliquos annos.

CAS. III. — Audit Petronius, rem a se persoluto jam pretio emptam, etiam Vitali fuisse jam antea venditam. Qu. I. An venditio ejusdem rei facta ipsi Petronio sit valida? 2. An hujusmodi res ad Vitalem spectet, an vero ad Petronium?

Resp. cum dist. Vel Vitalis, cui talis res fuit antea vendita, et ipse pro ea solvit pretium, seu fecit quid æquivalens; puta, convenit cum venditore de solutione facienda tali tempore; aut dedit ipsi fidem solutionis, ab ipso acceptatam, seu pignus in securitatem solutionis etc. tunc dico, venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, non esse validam, ac hujusmodi rem ad Vitalem spectare. Vel Vitalis, cui etc. non solvit pretium, nec fecit quid æquivalens; et in hoc casu dico venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, illicitam quidem esse, sed validam, et hujusmodi rem spectare ad Petronium. Ratio I. part. est, quia semel ac etiam Vitalis solvit pretium, seu fecit aliquid æquivalens, jam pro eo valet illa regula legalis: Qui prior est tempore, potior est jure; et per ipsam solutionem pretii a Venditore acceptam transtulit in se dominium rei; sicuti Venditor acquisivit dominium pretii. Hinc cum res jam in Emptoris dominium translata nequeat a venditore valide amplius alteri vendi, quia sub ejus jure amplius non est; ideo venditio ejusdem secundo, in casu, facta Petronio, valida non est, sed res ad Vitalem spectat, utpote legitimum dominum. Neque dicas, rei venditæ dominium solum transferri per actualem, et realem ejus traditionem emptori factam a venditore. Hoc namque falsum esse patet ex *l. Quod vendidi ff. de Contrahenda Emptione*, ubi dicitur transferri dominium rei post solutum pretium, vel post fidejussionem datam de solvendo eodem pretio, si res ipsa vendita tradatur, vel realiter, vel juris fictio-

ne, hoc est, per dispositionem venditoris ad eam tradendam: cum jus approbet dispositionem vendentis ad tradendam rem, perinde ac si realiter traderetur, juxta l. *Lectos*, et l. *Quod si neque* ff. de peric. et comm. rei vend. ac talis dispositio actuali traditioni a jure æquiparetur, ut videre est apud Rosignolum de Empt. et Vend. prænot. 9. num. 3. Ratio postea 2. part. quod nempe, si Vitalis non solvit pretium, aut non fecit quid æquivalens, venditio dictæ rei postea facta Petronio sit quidem illicita, sed valida, proindeque in hoc casu ad Petronium spectet; in primis ex eo probatur illicita, quia licet Vitalis pro hujusmodi re non solverit pretium, hæc tamen fuit ipsi prius vendita, et per emptionis contractum acquisivit jus ad illam; unde venditor facit ei injuriam dein eam alteri vendendo, isque habet actionem contra ipsum de omni interesse, et damno inde sibi proveniente; et a jure ipsi imponitur pœna falsi, ut passim notant DD. Hoc non obstante, quod ista secunda venditio sit valida, et ideo res ad Petronium spectet, ex hoc evincitur, quia per solutionem pretii, fortius jus acquiritur in ipsa re, et completur contractus ex parte emptoris, in quem propterea juxta dicta transfertur rei dominium. Hinc sicuti, non obstantibus præcedentibus Sponsalibus cum una, valet Matrimonium cum altera contractum, eo quia per Matrimonium acquiritur jus in re, per Sponsalia vero solum jus ad rem; ita, non præsupposita solutione pretii pro re empta a Vitali, bene vero pro eadem re dein empta a Petronio, ob rationem supra allatam venditio talis rei facta Petronio valida est; proindeque ad eumdem, utpote habentem majus jus, imo et tanquam ad dominum, præfata res spectat. Rosignolus l. c. prænot. II.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I.— Mutuat Cajus rustico egenti fabam, cum pacto ut sibi restituat pretium tempore messis in tanto frumento, quod tunc valebit. Qu. An hic Contractus sit usurarius?

Resp. talem Contractum in ratione Mutui esse usurarium. Ratio est, quia imponitur onus Mutuatario, ad quod non tenetur ex mutui natura, imo quod est contra naturam Mutui. Mutuum namque ex sui natura obligat Mutuatarium ad restituendum tantumdem in eadem specie, mensura, vel numero, et bonitate: hic vero obligatur Mutuatarius ad restituendam rem diversæ speciei, scilicet, frumentum pro faba, et quidem ad illud restituendum, cum minus valet, nimirum tempore messis, quo vilius vendi solet. Propterea cum hoc sit usurarium, eo quia tale onus in casu imponitur ratione ipsius Mutui, idco dicendum est talem Contractum in ratione Mutui esse usurarium. Dico *in ratione Mutui*, proprie enim loquendo hujusmodi Contractus resolvitur in Contractum permutationis, ex regula textus in l. 1. ff. de rer. permutatione. Et resolvi etiam potest in Contractum venditionis reciprocæ, si nimirum Cajus obliget se ad nunc dandam rustico fabam justo pretio currente æstimatam: et vicissim Rusticus obliget se ad dandum Cajo tempore messis in pretium tantum frumenti, justo pariter pretio æstimandi: et in utroque casu, sive permutationis, sive reciprocæ venditionis, si vere servetur æqualitas inter datum et acceptum, inter mercem et pretium, seu id, quod traditur loco pretii, neuter ex his Contractibus est usurarius, sed uterque est licitus, modo in utroque ineundo habeatur respectus, ac serventur ea omnia, quæ servari debent, ut post Molphesium de Contract. tr. 12, c. 13, num. 72, ac Rebellum de Oblig. Just. lib. 8, quæst. 4, n. 4, docet Bonacina de Mut. et Usur. disp. 3, punct. 3, num. 6.

CAS. II. — Berta execrando jurat, se non mansuram ubi modo habitat, eo quod frequenter jurgia cum ejusdem domus incolis succedant. Qu. An, mutato consilio, tuta conscientia in eadem domo remanere possit?

Resp. cum dist. Vel Berta sic execrando jurans, profert hujusmodi verba ex animo, ac vera intentione jurandi, se obligandi, et exequendi: Vel ea non profert ex

animo, ac tali intentione, sed potius ex impatientia, et ex quadam consuetudine muliercularum. Si primum; dico, quod perseverante ibidem occasionem jurgiorum, per se loquendo nequit, mutato consilio, tuta conscientia remanere in eadem domo. Ratio est, quia in tali casu nihil deest valori, ac obligationi juramenti, cum fuerit emissum requisita cum deliberatione, ac habeat pro materia, seu objecto finem bonum, vitationem scilicet jurgiorum, quæ regulariter non sejunguntur ab actibus iræ, contumeliis, odio, vel similibus, et proinde cum interveniat quidquid requiritur ad istud juramentum implendum et exequendum, nequit per se loquendo tuta conscientia remanere in eadem domo. Dixi *perseverante ibidem occasione jurgiorum*, quia si hæc cessat, cum cesset causa finalis juramenti, et objectum ejusdem, cessat etiam juramenti obligatio. Unde Bonacina de Legib. disp. 4, quæst. 1 punct. 14, n. 3, cum aliis comm. inquit, juramentum habere hanc tacitam conditionem: *nisi causa varietur*. Dixi *per se loquendo*, quia per accidens fieri potest, quod, non obstante juramento a se emisso, possit tuta conscientia ibi remanere, puta, si sit conjugata, vel alia ratione alteri subjecta, et is, cui subest, nolit inde discedere; nam tunc potest ibi manere: quemadmodum et in casu, quo discessus esset impeditivus majoris boni. Si secundum; dico, Bertam, mutato consilio, posse tuta conscientia in eadem domo remanere. Ratio est, quia juramentum non ex animo factum, ac vera cum intentione jurandi etc., sed potius ex impatientia, et ex quadam muliercularum consuetudine, non est religiosum, ac verum juramentum, ac proinde nec obligatorium. Unde in isto casu Berta utique potest, mutato consilio, in eadem domo tuta conscientia remanere.

CAS. III. — Mutuavit Gneus Sempronio tres corbes frumenti, quin explicitum fuerit, an reddenda res esset eadem mensura, vel eodem valore. Qu. Ad quid in casu obligetur Mutuatarius?

Resp. Mutuatarium probabilius obligari ad reddendam rem eadem mensura, tres nempe corbes frumenti in eadem mensura, quantitate, et bonitate. Ratio in pri-

mis desumitur ab ipsomet usu, ac consuetudine, de qua testantur cum Soto, Lessio, Layman, et aliis, Castropalaus t. 53, disp. 4, punct. 1, num. 6, et Giribaldus de Mutuo et Usur. dub. 10, in principio : quæ consuetudo fortasse ortum habuit ex quasi virtuali pacto inter sic contrahentes, quando inter ipsos nulla intervenit conventio in contrarium. Deinde ita exigere videtur ipsamet natura Contractus Mutui, de cujus ratione est obligare Mutuatarium ad restituendum tantumdem in specie, quantitate, et bonitate. Neque dicas, sic nimis facile posse in Contractum ingruere usuram, cum admodum facile sit, quod, vel tempore Restitutionis, frumentum pluris valeat : quod inconveniens evitatur obligando Mutuatarium ad reddendam eodem valore, quem scilicet, res habebat tempore Mutuationis, adeoque obligando Sempronium restituere in casu tantumdem frumenti, ejusdem qualitatis, et bonitatis, quantum correspondet valori, quem habebat totum frumentum ipsi mutuatum tempore mutuationis; sic enim vere servatur æqualitas, ac neuter patitur damnum : Ne dicas, inquam; nam ad hoc in primis respondeo, quod, cum mutuationis tempore utrique Contrahenti nota esset possibilitas incrementi quoad pretium rei, uterque etiam potuit quoad hoc respectivo suo juri cedere; quinimo, ex tacita conventione, huic cessisse censentur, semel ac, non obstante præfata notitia, inire voluerunt contractum Mutui frumentarii, nullo alio superaddito pacto; cum uterque eo tunc æquali periculo, ac fortunæ subesset. Deinde, cum hujusmodi incrementum, aut decrementum pretii sit quid rei extrinsecum, et ab extrinseco proveniens, nimirum, ab æstimatione hominum, est quidem Mutuo necessarium, quod restituatur res cum eadem bonitate intrinseca, non sic vero cum eadem bonitate extrinseca, ut cum Castropalao l. c. tradit Giribaldus de Mut. et Usur. dub. I, num. 4, versus fin. hinc inferens, quod si post contractum Mutui pretium rei crescat, aut minuatur sine culpa, et mora debitoris, nempe Mutuatarii, damnum, vel commodum pertineat ad Mutuantem, quatenus huic ille solum tenetur solvere, seu reddere rem in eadem specie, bonitate, et quantitate; quod etiam repetit dub. 10, su-

pra cit., quia solum attendi debet substantia rei mutuatæ, ad servandam æqualitatem dati, et accepti, prout est usu, ac consuetudine confirmatum. Neque reponas paritatem de Mutuo pecuniæ, quæ reddenda non est secundum numerum, qualitatem, et speciem illius, quam Mutuatarius accepit; sed tantum secundum valorem, quem habebat tempore mutuationis, si aliter non fuit conventum. Nam etiam quoad pecuniam id negatur a pluribus, maxime ex Jurisperitis, et signanter a Cæsare de Panimollis t. 2, decis. 44, adnot. I, n. 4, et seqq., quia si ex. gr. mutuas accepisti centum Duplas hispanas, quæ tempore restitutionis in valore creverunt, etsi videaris restituere plures libras, tamen istæ libræ non constituunt plures Duplas, quam acceperis, sed illas dumtaxat quas accepisti, ac debes; et proinde Mutuator a te totidem Duplas hispanas accipiendo, nullam committit usuram, quia nihil recipit ultra sortem; centum namque tibi mutuavit, et centum a te recipit. Quidquid tamen sit de hoc, si assumptum verum est, ut cum aliis satis comm. cod. dub. 10, asserit Giribaldus, disparitas sufficienter habetur a diverso usu, et consuetudine quoad rem, et pecuniam mutuatam.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Sponsis ignorantibus impedimentum, inter ipsos contracta fuere Sponsalia, quæ postea, detecto impedimento, ab eisdem fuere renovata, sub conditione obtinendæ dispensationis. Qu. An isthæc Sponsalia subsistant?

Resp. quatenus renovata eadem subsistere in ratione Contractus conditionati, supposito quod impedimentum sit ex iis, circa quæ concedi solet dispensatio. Ratio est, quia, licet renovationis tempore nondum ablatum esset impedimentum, tamen contrahentes illa non renovarunt pro eo tunc, sed pro tempore, quo erunt habiles, addita ad hunc finem conditione de futuro, honesta, et possibili, nempe obtinendæ dispensationis. Item eadem renovarunt novo legitimo mutuo consensu, pariente

hinc obligationem expectandi conditionis eventum, ut *ex l. Potior*, et *l. Qui balneum ff. qui pot. in pig. hab.* tradit Rosignolus de Sponsalib. l. Præn. 5, sect. 9, num. 8 et ex *c. Super eo de Cond. Appos.* Glossa, et Panormitanus. Sed aliud non requiritur ad hoc, ut sic renovata subsistant in ratione Contractus conditionati : factum namque tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile, valet pro tempore habili, ut de legato tempore inhabilii, sed relato ad tempus habile dicitur in *l. In tempus ff. de hæred. instit*, ergo etc. Neque dicas, conditionem petendæ dispensationis, utpote derogatoriam juris communis, turpem esse, vel saltem minus honestam : cum melius, ac honestius sit conformari legi communi, prohibenti nuptias inter impeditos, quam ab illa recedere per dispensationem ; ac proinde cum isthæc Sponsalia fuerint renovata sub conditione turpi, vel minus honesta, minime subsistere, etiam in ratione Contractus conditionati ; ne dicas, inquam ; nego enim, præfatam conditionem turpem esse, aut minus honestam positive, quatenus positive importet defectum honestatis ; et dico, eam præcise esse minus honestam negative, quatenus bonum quidem est, ac honestum, id facere ; melius vero, ac honestius facere oppositum. Porro homines in contrahendis Sponsalibus, et in petenda dispensatione, non tenentur ad melius, sed satis est, quod bene operentur, faciendo id, quod est eis permissum. Propterea cum Sponsis in casu permissum sit Sponsalia conditionate contrahere modo prædicto, et ad Superiorem recurrere, ut cum ipsis in impedimento dispenset (utuntur namque jure suo, et Superior solet in his dispensare) ideo etc. Nec replices, Impuberibus integrum esse in hisce casibus, cum ad pubertatem pervenerint, a Sponsalibus resilire absque ulla vel minima culpa. Id enim non provenit ex eo, quod istiusmodi Sponsalia licita non sint valida, et ex natura sua obligatoria ; sed quia impuberibus, sive istiusmodi, sive absoluta Sponsalia contrahentibus, indultum est jure positivo, favore ætatis, ut quando ad pubertatem pervenerint, valeant ab iis resilire. Cæterum quod licita, et valida sint in ratione Contractus conditionati,

necnon obligatoria, ex eo patet, quod neque impuberes ante pubertatem possunt ab eis licite resilire. Et sicuti, quamvis pubertatis tempore possint licite resilire a Sponsalibus absolutis, hæc tamen prius licita erant, valida, et obligatoria; ita idem quoque dicendum est de Sponsalibus conditionatis, cum hoc discrimine, quod ista non sunt complete Sponsalia, nec inducunt impedimentum publicæ honestatis ante purificationem, et eventum conditionis appositæ; bene vero illa, nempe absoluta. Vid. Giribaldus de Sacram. Matrim. cap. 1, dub. 7.

CAS. II. — Parochus unius ex contrahentibus, extra Parœciam utriusque eos unit in Matrimonium, eisque benedicit. Qu. An rite id faciat?

Resp. cum Rosignolo de Matrim. I. Prænot. 25, Sanchez, aliisque communius, probabilius esse, quod rite id faciat, hoc est, non solum valide, sed etiam licite, quoad unionem in Matrimonium; illicite vero quoad benedictionem solemnem fieri consuetam. Et quantum ad primam partem, in primis quoad valide, pluries id definivit S. Congregatio penes Fagnanum lib. 4, in c. *Quod nobis* de Cland. Despons. num. 36 et 40, declarando quod *Parochus potest assistere nuptiis sui Parochiani, etiam extra Parochiam, et adhuc contradicente Parocho illius loci;* ut videre est apud ipsum, et apud de Ligorio, de Matr. cap. 2, dub. 1, num. 108. Et ratio est, quia hujusmodi assistentia vel non est proprie actus jurisdictionis, sed potestatis assistendi ut testis authorizabilis, ac persona specialiter deputata a Tridentino, ut volunt plures; vel si est actus jurisdictionis, ut alii dicunt, non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, cum fiat contrahentibus non invitis, sed volentibus, nec exigat juridicam causæ cognitionem; qui actus voluntariæ jurisdictionis potest exerceri a talem jurisdictionem habente etiam extra proprium territorium, Diœcesim, seu Parochiam, ut habetur in *l. Emancipati ff. de Adopt.*, ac tradunt Glossa in l. fin. ff. de Jurisd. omn. Jud. ac noster Bossius de Trip. Jub. Priv. sect. 5, cas. 2. § 6, num. 193 et

seqq., et sic valide exercetur a Parocho in casu. Quod postea id ab eo fiat etiam licite, ex eo liquet, quod nec ulla lex vetat fieri hujusmodi actum a Parocho in Parochia alterius; nec proprie dici potest læsivus alieni juris, seu jurisdictionis, cum alienam non usurpet jurisdictionem, sed suam exerceat, nec ulli afferat præjudicium, utpote id exercens in subditos proprios, volentes, ac sine strepitu, et forma judicii; et sic Parochus loci nonnisi irrationabiliter esse queat invitus quoad talem actum; quemadmodum in hac nostra Diœcesi irrationabiliter esset invitus, si ægre ferret, exterum Parochum proprii subditi Confessionem excipere. Neque dicas cum Navarro in Sum. cap. 23, num. 144 et de Despons. Clandest. consil. 4, edit. sec., aliisque, Patrum Tridentini mentem fuisse, quod quilibet Parochus subditorum quidem Matrimoniis assistat, sed in sua Parochia, non extra, cum hoc cedat quodammodo in præjudicium habentis jus in tali Parochia, in qua contractus celebratur: et Parochus extra suam Parochiam non sit persona publica, sed mere privata: Ne dicas, inquam; mens namque Patrum Tridentini potius fuit, quod ubilibet Parochus contrahentium, ipsorum Matrimoniis assistat, cum Tridentinum loquatur indefinite. Et si expresse non dixit, posse id Parochum facere etiam extra, fortasse id fuit, quia jam definitum erat a jure communi, quod actus jurisdictionis voluntariæ potest exerceri etiam extra proprium territorium. Nec ullo modo id est in præjudicium habentis jus in tali Parochia; cum non agatur de subditis istius, sed alienis, quos hic neque valide unire potest in Matrimonium absque licentia Parochi, vel Ordinarii eorumdem. Ad id postea, quod additur circa qualitatem personæ publicæ, dico, per ipsummet actum assistentiæ tanquam testis principalis, auctorizabilis, et ad id per Tridentinum specialiter deputati, æqualiter exercitum sive intra, sive extra Parochiam, in qualibet contractione Matrimonii, Parochum semper repræsentare, ac agere eamdem qualitatem personæ, ideoque etc. Hinc si quid probant rationes opinionis contrariæ, probant, Parochum ex quadam non morali, sed mere civili convenientia probe facturum, si

loci Parochum prius commonefaciat; non probant tamen, ipsum ad id teneri in conscientia. Ratio denique secundæ partis, nimirum quod non rite, sed illicite, extra Paræciam hujusmodi nuptias solemniter benedicat, ex eo infertur, quod solemnis benedictio Nuptiarum regulariter fit intra Missarum solemnia, et sic cum quodam strepitu tangente jurisdictionem Parochi loci; proindeque hic actus fieri nequit in aliena Parochia, sine licentia ejusdem Parochi, ne oriatur confusio in Ecclesia Dei, ut prudenter inquit Rosignolus l. c. n. 6. Et de facto graviter peccare Parochum, si in alterius Parochia Sponsos a se conjunctos solemniter benedicat, non semel declaravit S. Congregatio, ut refert Bossius l. c. cas. 4, num. 19 et 33.

CAS. III. — Dono accepit Sempronius a Cajo par gallinarum, revera putans has esse donantis; et uno in prandio easdem comedit. Nunc certior factus, quod erant furto ablatæ, petit a Confessario, an, si Cajus pro eis domino non restituat, teneatur ipse ad restitutionem. Quid Confessarius respondet?

Resp. ipsum non teneri pro eis ad restitutionem, sed in dicto eventu dare id, quod plus expendisset, si in tali prandio illud par gallinarum non comedisset. Ratio est, quia eo ipso, quod tales gallinas accepit, et comedit bona fide, tenetur ad restitutionem uti possessor bonæ fidei, qui, cessante bona fide, tenetur restituere rem si extat, et si non extat, id, in quo factus est ditior ratione rei acceptæ. Atqui in casu amplius non extat par gallinarum, et factus est ditior in eo, quod plus expendisset ad tale prandium, si gallinas pro eo non habuisset : ergo restituere tenetur solum illud plus, ut docent Theologi communiter in tract. de Restitut.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Titius vendit Cajo fundum credito, ad certum tempus solvendo, interim tamen vult percipere fructus, et hos non computare in sortem. Qu. An licite?

Resp. cum dist. Vel Titius per talem venditionem intendit immediate transferre in Cajum dominium fundi; vel non. Si non, ac propterea dicit, se interim velle percipere fructus, eosque non computare in sortem; dico, ipsum in celebratione contractus posse id licite apponere, ac prætendere; cum enim tunc fundi sui adhuc sit dominator et arbiter, utique potest hunc Cajo vendere ea conditione expressa, vel tacita, quod dominium fundi penes ipsum remaneat, usquequo a Cajo ipsi non solvitur pretium, ac interim ejusdem fructus percipere, et non computare in sortem : sive enim talis contractus in casu resolvatur in contractum locationis usque ad solutionem pretii, ut ex *l. Cum manu sat. in fine ff. de Contrah. Empt.* cum pluribus tradit Surdus decis. 305, num. 59, ac Molphesius in sum. part. 2, tr. 12, cap. 5, num. 33 et 100; sive dicatur contractus Venditionis incompletus, et nondum perfectus, ut eum alii vocant; id certum videtur, quod si Titius nonnisi sic cum Cajo paciscitur, et contrahit, licite potest interim percipere fructus fundi, ac eos non computare in sortem; quemadmodum enim ratione pacti interim Cajus licite retinet pretium, eoque fruitur, ita et Titius, adhuc dominus fundi ratione pacti, licite adhuc percipit fructus ejusdem fundi, eisque fruitur. Si postea per dictam venditionem intendit Titius immediate transferre in Cajum dominium fundi, dico cum Marcello Megalio 2, 2, lib. 2, cap. 6, quæst. 1, num. 19, quod nisi prætendit interim percipere fructus etc., ob aliquam sui jacturam vel lucri cessantis, vel damni emergentis, tempore contractus Cajo manifestatam, et sic refici conventam, illicite omnino, ac usurarie vult hosce fructus interim percipere, eosque non computare in sortem. Ratio est, quia sic gravatur Emptor cedere ipsimet Ti-

tio venditori ultra sortem, seu pretium debito tempore solvendum, etiam fructus fundi ad Cajum ipsum spectantes, utpote dominum fundi : et quidem gravatur ratione dilatæ solutionis, cum justus alius titulus supponatur non intervenire. Sed hoc illicitum est, ac usurarium : hujusmodi enim cessio facta evincitur ratione Mutui, ac venditionis temporis; Ergo, etc. Hinc D. Thomas 2, 2, quæst. 78, a. 2, ad 7, ait : *Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifeste usura committitur ; quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui : unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium Mutui, quod pertinet ad rationem Usuræ.*

CAS. II. — Excipit quis Confessionem constituti in occasione proxima, cui nequit differri Absolutio sine infamia notabili. Qu. Quid agendum in isto casu ?

Resp. cum dist. Vel agitur de constituto in occasione proxima voluntaria; vel de constituto in occasione proxima necessaria. Si primum, subdistinguo : Vel hic erat conscius, seu ab alio monitus, quoad obligationem dimittendi talem occasionem ; vel non. Si non, dico quod si det vera signa doloris, firmiterque proponat occasionem quamprimum dimittere, debet absolvi, datis ei salutaribus monitis, ipsique imposita congrua pœnitentia. Ratio est, quia tunc est sufficienter dispositus ad Absolutionem, cum promptus sit, statim ac novit suam obligationem, occasionem dimittere. Si vero jam erat conscius etc. dico, attendendum esse, an det extraordinaria signa doloris, nec ne. Si enim hæc dat, dico, eum pro tali vice posse adhuc absolvi, quia propter hujusmodi signa potest Confessarius prudenter judicare, in ipso non adesse periculum illud proximum infringendi propositum, cum talia signa indicent, eum recepisse uberiorem gratiam, qua magis constanter se geret in occasione removenda. Si vero non affert extraordinaria signa doloris, tunc aliam reflexionem faciendam censeo, cujus nempe qualitatis sit occasio, in qua pœ-

nitens reperitur; an scilicet sit ex iis occasionibus, quæ (uti loquitur S. Carolus Borromæus in sua Instructione pro Confessariis) *sunt in esse*, uti evenit, cum Pœnitens ex. gr. retinet domi concubinam; an vero sit ex iis, quæ *non sunt in esse*, uti contingit, cum Pœnitens ex. gr. in ludo alearum frequenter blasphemat, vel in caupona frequenter se inebriat. Si enim sit ex hisce postremis, dico cum S. Archiepiscopo prælaudato, quod si det vera signa doloris, quantumvis non extraordinaria, firmeque proponat occasionem dimittere, per secundam, et etiam tertiam vicem potest absolvi. Ratio est, quia etsi respectu Pœnitentis supponatur occasio proxima, tamen huic non est adeo obvia, et hic saltem adeo proxime in ea non versatur, sicut constitutus in occasione primæ qualitatis; unde facilius sperare potest Confessarius occasionis dimissionem, ac Pœnitentis emendationem: proindeque facilius potest eum absolvere. Hinc satius judico, hoc in casu, secunda, aut tertia vice Pœnitenti imponere satisfactionem medicinalem (ultra sacramentalem) pro casu relapsus, quam eum inabsolutum dimittere; siquidem timor pœnitentiæ medicinalis inserviet ei tanquam frænum, reddetque occasionem de proxima remotam. Econtra si occasio sit ex iis, quæ sunt in esse, censeo, Pœnitentem non esse absolvendum, sed prius ab eo occasionem dimittendam, quia respectu ipsius nedum occasio est proxima, verum etiam facile obvia, et ipse in ea proxime versatur; sicque cum in vigore permaneat triplex ille funiculus, nimirum dulcedo illecebræ, inclinatio vehemens, ac objectum ad libitum præsens, difficile rumpitur, nisi prius hoc dimittatur, ut compertum facit experientia; et ideo quando non interveniunt extraordinaria signa doloris, Pœnitens, ante remotionem occasionis, non est absolvendus. Nec refert periculum infamiæ notabilis; cum enim Pœnitens monitus de obligatione removendæ occasionis, ac potens eam removere, eamdem removere noluerit, semetipsum voluntarie reddidit indispositum ad Absolutionem, seque a semetipso posuit in eo statu, adegitque Confessarium ipsi differre Absolutionem cum infamia notabili, si hæc est inevitabilis dilata Absolu-

tione. Quod si Pœnitens sit constitutus in occasione proxima necessaria, tunc pariter est interrogandus, an prius fuerit conscius, vel monitus quoad suam obligationem de proxima eam reddendi remotam, si non per separationem sui ab objecto, seu circumstantia extrinseca, quæ supponitur ei moraliter impossibilis, saltem quoad enervationem, et ablationem internæ illius pravæ inclinationis, et affectionis, quam ipse habet erga tale objectum: Si enim non erat conscius, vel monitus, tunc si vere doleat, ac firme proponat omnem curam adhibere pro ea in se enervanda, et a se auferenda per actus internos virtutum, Sacramentorum frequentiam, vitationem periculi, et per alia media, quæ passim suggeruntur a DD. in tali casu debet absolvi, ob rationem præfatæ consimilem. Si vero jam erat conscius, etc. debet attendi, an adhibere studuerit mox dicta remedia, et procurare emendationem; si enim id facere curavit, licet quandoque relapsus sit, est absolvendus, dummodo prædictam, ac uberiorem proponat adhibere diligentiam; idque etiam fieri potest per plures vices, si aliqua in eo dignoscatur emendatio. Si vero nullam, vel modicam prosequatur habere curam in adhibendis remediis, et procuranda sui emendatione, primo Confessarius difficilem se præbeat ad Absolutionem impendendam; inde si perseveret eadem negligentia ac frequentia peccandi, differat ei Absolutionem ex. gr. ad quindecim dies; nam si Pœnitenti in casu imminet infamia notabilis, ipse est vera, et unica causa proprii mali.

CAS. III. — Concepit fœmina ex illicita copula. Qu. An ei licitum sit sibi mortem optare ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum?

Resp. licitum esse tali fœminæ desiderio inefficaci sibi mortem optare ad prædictum finem, dummodo id non faciat ex impatientia, aut desperatione, sed cum humili, et debita resignatione in divinam voluntatem; ita Anacletus Theol. Mor. tract. 4, quæst. 1, num. 9. Tamburinus, Sporer, aliique comm. Ratio est, quia, etiamsi nemini liceat sibi, vel alteri malum optare, quatenus malum est; tamen id licet, quando id optatur qua-

tenus bonum, et in quantum est medium conducens ad bonum finem, prout in casu conducit ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum; non enim in casu ipsum malum intenditur, sed bonum, nimirum ipsa bonitas finis, quæ in casu est conservatio famæ ac boni nominis, et evitatio infamiæ penes publicum, vel alterius gravis damni: quod esse licitum, alibi diximus cum S. Thoma. Neque dicas, illicitum esse sibi mortem inferre, etiam ad evitandam infamiam, adeoque et sibi mortem optare ad eumdem finem. Disparitas enim est, quia actualis occisio sui præsefert voluntatem absolutam, et efficacem, quæ respicit effectum a se causatum, ut talem, ac in tali specie, et ab eo specificatur tanquam objecto, ad quod assequendum simul etiam inquirit media. Unde, cum respicere hujusmodi effectum, ut talem, ac inquirere media ad illum causandum, ut patet, sit malum gravissimum, nil mirum, quod illicitum sit sibi mortem inferre; in hoc etenim sensu, nempe desiderio efficaci, neque licitum est sibi mortem desiderare, cum sit ipsum malum positive, et formaliter intendere, quod non licet etiam ad vitandam infamiam, vel aliud grave damnum; etenim non sunt facienda, nec intendenda mala, ut eveniant bona. Et licitum quidem est intendere minus malum, quatenus minus, non vero quatenus formaliter malum. Fœmina e contrario sibi in casu mortem optans ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum, eam sibi non optat voluntate absoluta, sed conditionata, ut dictum est; nec desiderio efficaci, sed inefficaci, quatenus apprehendens amissionem sui boni nominis, et infamiam, tanquam malum pejus amissione propriæ vitæ, in necessitate alterutrius, eligit, ac optat sibi hoc minus, quam illud majus: quo modo Elias lib. 3. Reg. cap. 19, petiit animæ suæ, ut morereturr, ad evadendas Jezabelis insidias.

MENSE MAII.

CAS. I. — Parochus, vocatus ad excipiendam Confessionem fœminæ graviter ægrotantis, cum sit pluribus occupatus, ad eam mittit Capellanum, qui scit, se turpia cum illa egisse, nec ullo detinetur impedimento Qu. Quid agere in hoc casu debeat Capellanus?

Resp. vel fœmina est in proximo mortis periculo, et absque gravi infamia, vel scandalo nequit Capellanus ad ipsam alium mittere, qui ejus Confessionem excipiat; et in hoc casu dico, Capellanum debere se ad illam conferre, ejusdemque Confessionem excipere; quia pro eo tunc non est privatus facultate eam absolvendi, cum Benedictus XIV, fel. rec. pro tali casu hanc ipsi reliquerit, ne in æternum ægrotantis anima pereat; ut patet ex secunda Constitutione declaratoria hac super re edita ab eodem Pontifice. Nec refert, eumdem ibidem dicere *in articulo Mortis;* nam Mortis articulus, et proximum Mortis periculum, quoad Absolutionem Sacramentalem impendendam, in jure pro uno et eodem sumuntur, ut constat ex cap. *Eos qui*, de sent. excomm. et de communi testatur Pasqualigus in Theor. et prax. quoad constitutos in mortis periculo, quæst. 3., num. 1, in fine. Vel fœmina non est in proximo mortis periculo, aut si in hoc constituta est, ipse potest, absque periculo gravis infamiæ, vel scandali, ad eam alium mittere, seu facere, ut iterum opportune vocetur Parochus; et tunc dico, Capellanum sub pœna majoris excommunicationis, Summo Pontifici reservatæ, teneri ab ejus Confessione excipienda abstinere (ni forte a turpibus contra sextum cum ea commissis jam fuerit ab alio directe absoluta) ac seclusa infamia et scandalo, curare ut alius, vel ipsemet Parochus ejusdem Confessionem excipiat; nam ex una parte idemmet Capellanus tunc est ipso jure privatus a laudato Summo Pontifice facultate absolvendi complicem in peccato turpi et inhonesto contra sextum, ut liquet ex Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, et alia præfata declaratoria; ex alia, ut

gerens tunc vices Parochi, et ab hoc substitutus ad providendum animæ ægrotantis, debet modo possibili curare, ut opportune spirituali ejusdem saluti prospiciatur, interim (si de proximo decessu metuitur) ægrotam non derelinquens, ut in eventu mortis, et absentia cujusvis alterius Sacerdotis, ipse præsto illi esse possit per Absolutionem. Dixi, *ni forte a turpibus contra sextum, cum ea commissis, jam fuerit ab alio directe absoluta*, quia in casu jam habitæ ab alio Confessario directæ Absolutionis ab hujusmodi peccatis, Capellano non est adempta facultas eamdem ab aliis, et etiam iterum ab iis ipsam absolvendi, cum Pontifex loquatur de peccatis, ob quæ incurritur periculum æternæ damnationis, ut eruitur ex causali concessionis factæ Confessario absolvendi complicem in articulo Mortis, absente quocumque alio Sacerdote, *ne* scilicet *hac occasione aliquis pereat.* Cum enim nemo in æternum pereat ob peccatum jam directe absolutum. et, ut supponitur, rite confessum, certe de his Pontifex videtur non intelligendus sed de nondum directe absolutis, uti etiam colligitur ex pœna gravissima excommunicationis appositæ, prout alibi monuimus. Unum addo, et est, quod Confessarius excipere non debet Confessiones hujusmodi peccatorum, quantumvis hæc jam ab alio fuerint directe absoluta, quando eorumdem expositio vel sibi, vel pœnitenti, ingerit aliquod periculum relapsus in aliquam pravam complacentiam. Propterea satius erit, hujusmodi complices, talia iterum exponentes, extra casum gravis ægritudinis, ad alium dimittere.

CAS. II. — Si scandali, et propriæ infamæ periculum potuit dictus Capellanus avertere, et nihilominus se in necessitate constituit absolvendi complicem, ac revera absolvit: Qu. An inciderit in Excommunicationem S. Pontifici reservatam, si ante Absolutionem ipsum facti vere pœnituerit?

Resp. affirm. Ratio est, quia, licet ipsum facti vere pœnituerit ante Absolutionem, tamen pœnitentiæ præmisit, quantum sufficit, ut incideret in talem excommunicationem; semel ac enim advertit, quod avertere po-

terat scandali, et propriæ infamiæ periculum, etsi pro Absolutione complicis uteretur opera alterius Sacerdotis, erat prope conscius, quod ad hujusmodi usum tenebatur, adhibendo congrua media, ut ille advocaretur, et exciperet Confessionem complicis, non vero ipse; cum legem pontificiam, et legis pœnam non ignoraret. Cum ergo hisce non obstantibus, semetipsum constituerit in necessitate absolvendi complicem, ac per consequens congrua debita media adhibere neglexerit, jam fuit audax et contumax inobediens contra legem, cujus propterea pœnam, scilicet excommunicationem, incurrit, ut expresse tradit idem Benedictus Papa XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 14. num. 4. in fine. Neque dicas, eumdem Pontificem in sua Constitutione *Apostolici muneris*, ubi distinctius hanc legem exponit, ad incursum censuræ in primis requirere, quod Sacerdos complex *congrua media adhibere de industria neglexerit*. Deinde quod interveniat ausus, seu præsumptio etiam in ipso actu Absolutionis, et quod hæc impertiatur nulla interveniente causa necessaria, cum immediate subjungat: *atque ita personæ in dicto crimine complici, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ, Sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine Absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumpserit.* Hinc, cum in casu Capellanus omiserit quidem adhibere media congrua, sed non *de industria;* neque in eo fuerit amplius ulla præsumptio in exceptione Confessionis, et actu Absolutionis, sed illam exceperit, et hanc impertierit motus necessitate, ob absentiam cujusvis alterius Sacerdotis, necnon ex charitate, ne scilicet illa occasione complicis anima periret, ipsum propterea dici debere immunem ab Excommunicatione: Ne dicas, inquam, quod enim attinet ad omissionem *de industria*, hæc statim evincitur, cum fit reflexio ad modum, quo in casu se gessit; prævidebat enim, quod alium Sacerdotem non advocando, ipsi soli tale munus superfuisset; dignoscebat etiam, quod absque sui, ac pœnitentis infamia, et sine aliorum scandalo, poterat alius Sacerdos advocari, et quod ipse vi legis positive tenebatur in id

curam impendere, ad hunc finem adhibendo media congrua : noluit, hoc non obstante, id facere, et perstitit ibi, usquequo ob volitam necessitatem ipsemet complicis Confessionem excepit, eique Absolutionem impedit : nonne factum ipsum, ac talis modus agendi, id ab eo peractum de industria, si non expressa, saltem tacita, manifestat ? quod ideo per ipsummet Legislatorem l. c. de Syn. Diœc. sufficit ad incursum talis censuræ. Quantum postea ad exigentiam præsumptionis etiam in ipsa exceptione Confessionis, et actu Absolutionis, eam absolute nego, dicens, nec id recte inferri ex citatis verbis ; nam sensus illorum terminorum *atque ita præsumpserit* appellat actionem, seu modum agendi præcedentem, qui, ut ex dictis facile colligitur, vere ac proprie audax est, utpote directe oppositus legi, ac menti Legislatoris ; non vero actionem, seu modum agendi subsequentem, qui utpote factus, in casu, ex necessitate subveniendi animæ complicis, valore non destituitur ab eodem Summo Pontifice, ea profecto de causa, ne illa occasione aliquis pereat ; et si etiam hic ibi ab eo dicitur illicitus, ac sic agentem non effugere pœnam excommunicationis, hoc ideo est, quia ibi respicit quod regulariter evenit ; nam regulariter in legum transgressoribus ausus, et mala voluntas perseverat usque ad finem operis. Cæterum quod non effugiat in casu pœnam excommunicationis, id est, quod asserimus, quemadmodum etiam quod et casus necessitatis quandoque valeat ab ea excusare. Dico tamen, quod ista necessitas illa non est, ad quam quis voluntarie se reducit, prout fecit Capellanus in casu, sed illa, quæ nos apprehendit ipsam non inquirentes.

CAS. III. — Titius habet apud se depositam rem Sempronii, quam Cajus absumpsit. Qu. Cuinam hic ipsam restituere teneatur, Sempronio, an Titio ?

Resp. per se loquendo debere illam restituere Titio. Ratio est, quia restitutio rei per se illi facienda est, qui eamdem justo titulo possidebat, et hactenus possideret, si eidem ablata non fuisset ; nam hic justus titulus in ipsum refundit quoddam jus particulare, vigore cujus alteri præferri debeat quoad talis rei possessionem.

Jam vero res ita se habet in casu relate ad Titium, ratione depositi ; ex quo enim legitime fuerat constitutus ejusdem depositarius , ideoque legitimus Custos, spectat ad ipsum custodia illius, adeoque possessio, seu detentio : qua proinde privari non potest absque injuria, et læsione justitiæ. Neque dicas, Sempronium esse dominum talis rei, ac propterea hanc ad ipsum clamare, et non ad Titium; sicque Sempronio eam esse restituendam. Contra enim ; ex eo, quod Sempronius sit ejus dominus , utique probatur, rem ad ipsum clamare tanquam ad dominum , non tamen tanquam ad legitimum possessorem ; fieri etenim potest, quod quis sit dominus rei, et non actualis ejusdem legitimus possessor ; ut patet exemplo domus locatæ, equi commodati etc. quarum rerum usus, ac possessio spectat ad Conductorem , et Commodatarium ; qui propterea rei possessione, ac usu privari licite nequeunt, quamvis proprietas spectet ad dominum. Similiter ergo in casu nostro proprietas et dominium rei spectat ad Sempronium, attamen rei possessio , ac detentio spectat ad Titium, cui proinde restitui debet. Dixi postea , per *se loquendo* ; quia per accidens fieri potest, quod depositario nihil intersit, quod ipsi potius, quam domino fiat restitutio : in quo casu, si id innotescat debenti facere restitutionem , potest hic eam restituere domino ; quemadmodum huic illam posset etiam restituere, si depositarius magno cum rationabili fundamento crederetur eam vel furaturus , vel consumpturus , cum domini injuria. Toletus de Rest. cap. 5. dub. 1. Layman, aliique communiter.

MENSE JUNII.

CAS. 1. — Parochus pharmacum tradit Bertæ gravidæ, ut abortum faciat, dubitans tamen, an fœtus sit animatus. Qu. An effectu secuto sit irregularis in foro interno ? 2. An possit in tali dubio Parochianis præbere Sacramenta? 3. An incurrerit reservationem ?

Resp. in toto rigore cum non esse irregularem tam in foro externo , quod etiam plures adversarii admittunt,

quam in foro interno; ipsumque in tali dubio posse Parochianis præbere Sacramenta; nec eum incurrisse reservationem. Ratio primæ partis est, quia in Jure legitur quidem pluries expressa irregularitas, quando homicidium est certo secutum, et dubium est, an quis per suam actionem istud causaverit, ut patet ex cap. 12. cap. 18. et cap. 24. de Homic. volunt. At nullibi legitur expressa irregularitas, etiam in dubio, an homicidium sit secutum, ut cum pluribus notat de Ligorio lib. 3. tract. 4. cap. 1. n. 396. Hinc, cum ex una parte irregularitas non incurratur, ni sit expressa in jure, ut habetur cap. *Is qui de sent. Excomm.* in 6. ex alia simus in casu dubii, an homicidium sit secutum, quia Parochus dicitur dedisse pharmacum fœminæ gravidæ, dubitans (uti supponitur rationabiliter, et cum fundamento) an fœtus esset animatus, ideo dicendum est, etiam effectu secuto, ipsum in toto rigore non esse irregularem. Neque dicas, in hisce dubiis, saltem pro foro interno, tutiorem partem esse eligendam, ut inquiunt Clemens III. Innocentius III. ac Honorius III. in præindicatis capitibus; nam hi omnes loquuntur in casu homicidii certo secuti, in quo pariter sensu procedunt alii textus adducibiles pro irregularitate dubii de homicidio. Ratio postea secundæ partis infertur ex illa primæ : si enim Parochus non est irregularis, nullum afferri potest interveniens impedimentum legitimum, eumdem impediens, ne exerceat officium suum, sive quoad potestatem Ordinis, sive quoad illam jurisdictionis, et sic ne Parochianis ministret Sacramenta. Nec obstat praxis Sacræ Pœnitentiariæ etiam in casu dispensantis cum recurrentibus; hoc enim probat, ab ea concedi dispensationem, si fiat recursus, non vero necessitatem recursus pro dispensatione : quæ necessitas alioquin interveniret, si Parochus esset irregularis. Ratio denique quoad tertiam partem hæc est, quia, cum inter Casus reservatos hujus Diœcesis nil peculiare exprimatur quoad abortum, ejusque procurationem, ad incursum in reservationem requiritur certitudo, quod fœtus expulsus esset animatus; cum reservatio hic tantum sit de casu abortivo animati fœtus.

CAS. II. — Proculus altercando cum Berta muliere loquaci, dixit ei : Mulier pessima, diabolus te fecit. Qu. An sit blasphemia hæreticalis, ac Proculus denuntiandus sit sanctissimæ Inquisitioni?

Resp. cum dist. Vel Proculus talia proferens intendit, opus creationis ipsius Bertæ esse opus diaboli, et non Dei ; et tunc dico, esse blasphemiam hæreticalem, quia tribuit creaturæ quod convenit Deo; et si hoc ita protulisset, ut hæresis suspicionem aliquam fundatam ingereret, esset utique denuntiandus Sanctissimæ Inquisitioni tanquam suspectus de hæresi, ut patet ex Edicto ejusdem Tribunalis. Vel intendit, ejusdem loquacitatem, ac mores tales esse, ut quoad hos, juxta humanum dicendi modum, sit filia diaboli; et in hoc sensu dico, non esse blasphemiam hæreticalem, quia sic nec aliquid tribuit creaturæ, quod conveniat soli Deo, nec aliquid protulit, quod sit contra fidem, cum etiam Christus Dominus, Joannis cap. 8., in hoc sensu Judæis dixerit : *Vos ex patre Diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere ;* ubi Augustinus, Beda, et Maldonatus inquiunt, illum vocare filios diaboli Judæos, *non utique natura, sed imitatione ;* seu *non carnis successione, sed criminis*, prout ait D. Ambrosius in Lucam lib. 4. et in hoc sensu Proculus, ut constat, non est Sanctissimæ Inquisitioni denuntiandus ; etenim tale dictum, quantumvis ab ipso prolatum etiam cum aliqua aversione contra Bertam, est potius convitium, seu contumelia ; quæ est injuria, qua objicitur alteri crimen, vel alius defectus in ipsius præsentia.

CAS. III. — Cajus occulte se polluit in Ecclesia, ac pugnis ibidem lividum, ac tumidum effecit vultum Terentii absque effusione sanguinis. Qu. An per utrumque crimen Ecclesia fuerit polluta ?

Resp. per neutrum Ecclesiam fuisse pollutam, saltem si utrumque fuit, ac manet occultum. Et quidem quoad secundum omni dubio caret, si pugni non fuerunt adeo bestiales, ut Terentio causent mortem : etenim hac ob eos non interveniente, non adest homicidium, nec effusio

sanguinis, quorum alterutrum cæteroquin a jure in casu requiritur, ut Ecclesia polluatur. Deinde ad inducendam Ecclesiæ pollutionem requiritur publicitas, seu notorietas criminis, sive hoc consistat in voluntaria, et peccaminosa effusione sanguinis, sive in effusione seminis, seu pollutione, sive in alio quocumque crimine in jure expresso, ut de communi testatur Puteobonellus de Sacrif. Missæ, quæst. 5. art. 2. § 4. num. 9. In tantum enim Ecclesia per hæc polluitur, in quantum per hujusmodi crimina deturpatur, inhonoratur, et ab ea aufertur debitus ille respectus, seu illa reverentia, quam exigit sanctitas loci. Porro isthæc reverentia, ut recte notant Salmanticenses Morales de Matrim. c. 15. punct. 5. num. 64. consistit in opinione hominum, sicuti fama. Hinc sicuti homines non fiunt per crimina infames, nisi hæc promulgentur, ac fiant notoria, ita nec Ecclesia apud homines reverentiam amittit, aut maculam contrahit per aliquod ex præfatis criminibus in ea commissum, nisi hoc publicetur, ac fiat notorium; et sic usquequo pollutio, aut etc. est, ac manet in occulto, per hujusmodi non polluitur Ecclesia. Nec refert, quod ex. gr. pollutio, quantumvis occulta, contrahat ex circumstantia loci sacri, in quo facta est, formalem malitiam Sacrilegii; ideo enim hoc, quia formalitas Sacrilegii afficit pollutionem ut culpam, quæ cum imbibat omnem malitiam formalem, etiam sibi adjacentem, sive publica sit, sive occulta, ideo, quatenus facta in loco sacro, est sacrilega, licet occulta. E contra, pollutio, seu violatio Ecclesiæ, est quidem veluti macula quodammodo in ipsam resultans, sed a jure alligata certis criminibus in ea commissis, et ab iis exurgens in publicam pœnam delinquentis, ut nempe hic reflectens ad maculam, quæ per talia perpetrantem in ipsammet Ecclesiam inducitur, ad confusionem, ac dedecus resultans committenti, si vel palam ea committat, vel commissa publicentur, caveat ab iis perpetrandis, aut de aliquo a se perpetrato magis erubescat, et doleat. Jam vero notum omnibus est, Ecclesiam non infligere pœnam, seu pœnitentiam publicam, nisi ob delictum publicum; et per consequens Ecclesia polluta dici non debet ob pollutionem occultam.

MENSE JULII.

CAS. I. — Mulier pessima, ut Confessarium ad inhonestum sui amorem provocet, plura obscœna ei narrat in Confessione. Qu. An hæc cadant sub sigillo; an vero possit extra Confessionem mulier corripi, ut a Confessariis sollicitandis desistat?

Resp. cum dist. Vel talis Mulier narrat tantum hujusmodi obscœna, eaque ex hoc solo fine, ut Confessarium provocet ad inhonestum sui amorem; et in hoc casu dico, ista non cadere sub sigillo, sed posse extra Confessionem mulierem corripi etc. Vel etiam narrat alia peccata, omniaque ordinat ad Confessionem Sacramentalem; et tunc dico, ista omnia cadere sub sigillo, et Mulierem non posse corripi extra Confessionem. Ratio primæ partis est, quia in eo casu illa narratio non est Confessio, sed mera sollicitatio, et provocatio ad inhonestum sui amorem, circa quam non tenetur Confessarius ad sigillum, ac proinde eam celare non obligatur, sed jure potest sollicitantem ac provocantem objurgare, et corripere, ut a Confessariis sollicitandis desistat. Graffius Decis. Aur. lib. 1. cap. 23. num. 18. Ratio secundæ partis est, quia in hoc alio casu est Confessio, quantumvis mala, et sacrilega, omniaque ordinata sunt ad Confessionem. Propterea, cum ea omnia, quæ cadunt sub Confessionem, et ad Confessionem ordinantur, cadant sub sigillo, hinc fit, quod extra Confessionem nequeat Mulier corripi, etiam ad hunc finem, ut illa a Confessariis sollicitandis desistat.

CAS. II. — Novit Confessarius ex Confessione, mulierem quamdam esse valde proclivem ad venerea; unde post tres dies eam convenit domi, eamdemque sollicitat. Qu. An sit denuntiandus?

Resp. neg. Ratio est, quia licet Confessarius ex auditis in Confessione talis Mulieris motivum sumat eamdem sollicitandi, et sic abutatur notitia habita in actuali Confessione ejusdem, tamen non verificatur sive phy-

sice, sive moraliter, quod eamdem sollicitet in actu Sacramentalis Confessionis, neque immediate post, neque etc. cum lapsus interjacens trium dierum, nedum physicam, verum etiam moralem interruptionem inducat. Et propterea si nihil tali mulieri dixit, uti supponitur, in actu Sacramentalis Confessionis, neque immediate ante neque immediate post, dicendum quod minime sit denuntiandus. Putebonel. de Pœn. quæst. 5. art. 9. num. 23. circa fin.

CAS. III.—Franciscus renuntiavit jurejurando hæreditati Patris; eo tamen mortuo, filii Francisci in eam succedere contendunt. Qu. An juste?

Resp. affirmat. Ratio est, quia obligatio Patris mere personalis, et ab ipso voluntarie assumpta, non transit in filios, neque hi illi stare tenentur, ut tradunt DD. comm. Jam vero talis erat Francisci obligatio, ab eo contracta per juramentum de renuntiando hæreditati paternæ, propterea cum filii nulla lege adigantur stare renuntiationi factæ a Francisco respectivo eorum Patre, scilicet, non ex vi juramenti, quo ille semetipsum obligavit, quia hæc fuit mera illius obligatio personalis, quæ proinde non transiit in ipsos; neque ratione contractus, quia etiam Franciscus, cessante juramento, de jure communi non tenebatur abdicare a se hæreditatem, ejusque dominium transferre in renuntiatarium; hinc fit, quod mortuo Francisco, filii ejusdem superstites juste in eam succedere contendunt. Sanchez lib. 3. Moral. cap. 23. Sayrus in Clav. Reg. lib. 5. cap. 6. quæst. 4. Sotus. de Just. et Jur. lib. 8. quæst. 2. art. 2. col. 4., Graffius Decis. Aur. part. 1. lib. 2. cap. 18., quidquid in contrarium dicant Molina tom. 3. tr. 2. disp. 579. num. 4. et Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 1. vers. Tertium. Nam juramentum Patris non tollit jus filii adeundi hæreditatem c. *Quamvis pactum*, de pactis in 6.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Etsi Titius prævideat, quod se inebriando blasphemabit, etiam hæreticaliter, se inebriat, ac in ebrietate hæreticaliter blasphemat. Qu. An istæ hæreticales blasphemiæ sint reservatæ?

Resp. negative cum P. Mansio de Casib. Reserv. part. 1. quæst. 2. cas. 1. num. 22. et seq., aliisque comm. Ratio est, quia hujusmodi blasphemiæ, a Titio in ebrietate prolatæ, proprie non sunt veræ, ac formales blasphemiæ, sed tantum materiales; nec in se ullam habent propriam formalem malitiam, cum non proferantur a Titio quatenus homo est, ac rationalis, sed præcise continent malitiam suæ causæ, in qua sola sunt voluntariæ. Hinc cum ad rationem casus reservati sit necesse, quod sit peccatum, et quidem formale, ideoque quod in se contineat propriam formalem malitiam, dicendum, blasphemias hæreticales a Titio in ebrietate prolatas, non esse reservatas. Nec refert, quod Titius eas præviderit in ebrietate secuturas, et hoc non obstante se inebriaverit; id enim probat affectum, et inclinationem ad illas, easque fuisse volitas in causa. Ast quia reservatio non est quoad hujusmodi affectum, et inclinationem, ac volitionem in causa, sed quoad ipsam formalem blasphemiam hæreticalem; ideo quia in se tales non sunt blasphemiæ hæreticales a Titio in ebrietate prolatæ, istæ non sunt reservatæ: reservatio namque in hoc imitatur legem pœnalem; quod sicut pœna non incurritur, nisi quis probetur reus, atque adeo nisi probetur delictum, et quidem commissum prout cadit sub tali pœna; ita idem valet de peccato, ut cadat sub reservatione: præcipue cum forum internum nitatur veritati, et non meris præsumptionibus, ut forum externum. Neque oppositum evincit paritas de homicidio voluntario, quod licet volitum in causa, puta in propinatione veneni, ex quo sequitur mors, in gravi percussione prægnantis, unde sequitur abortus etc.

adhuc est reservatum, ut inter alios tradit Girib. de Sacr. Pœnit. cap. 15. dub. 4. § 5. Disparitas enim est, quia homicidium volitum ex. gr. in propinatione veneni, est volitum in causa proxima, non vero in remota, sicuti sunt blasphemiæ prævisæ secuturæ in ebrietate. Hinc sicuti si quis prævideat, quod se inebriando aliquem occidet, si se inebriet, ac ebrius aliquem occidat, per eumdem Giribaldum ibidem num. 57. tale homicidium in eo casu non est reservatum, etsi prævisum, quia tunc est voluntarium solum in causa remota; ita neque sunt reservatæ blasphemiæ prævisæ secuturæ in ebrietate, ob eamdem rationem.

CAS. II. — Occidit Sejus Clericum, sed occulte. Qu. An Jubilæi tempore tum possit absolvi a peccato, et excommunicatione, tum etiam dispensari ab irregularite?

Resp. Quamvis resolutio hujusmodi casuum proprie pendeat a tenore peculiaris indulti, quod occasione cujuslibet Jubilæi publicatur; nihilominus, attentis facultatibus, quæ tali occasione regulariter conceduntur, dico, Sejum absolvi posse, tum ab excommunicatione, tum a peccato; non sic vero dispensari ab irregularitate. Ratio utriusque partis ex eo desumitur, quod hujusmodi occasione conceditur quidem facultas absolvendi a casibus, et censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, dempto crimine complicis in peccato turpi contra sextum, ac crimine hæresis formalis externæ; concedi vero nequaquam solet facultas etiam dispensandi, saltem in præfata irregularitate; ut aperte colligi potest ex indultis, talibus in occasionibus hactenus publicatis. Neque dicas cum Soto in 4, dist. 22, quæst. 3. Salmanticensibus, et aliis, quos refert De Ligorio de Pœnit. cap. 1, num. 537. circa fin. irregularitates ex delicto habere rationem censuræ, ac proinde Sejum posse etiam dispensari occasione Jubilæi ab irregularitate contracta ob occisionem Clerici. Contra enim, nego assumptum, nempe quod irregularitas ex delicto habeat rationem censuræ; nam Innocentius III. cap. 20 de verb. Signif. *Quærenti*, inquit, *quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi; respondemus, quod per eam non so-*

lum Interdicti, sed Suspensionis, et Excommunicationis sententia valeat intelligi. Ubi ly *valeat* idem significat ac *debeat*, ut responsio sit interrogationi correspondens; et sic cum Pontifex nullam Irregularitatis ex delicto ibi faciat mentionem, signum evidens est, hanc proprie non esse censuram, nam secus, cum ibi recenseat species censurarum, etiam hanc expressisset. Accedit, censuram de primario ferri ut pœnam medicinalem, ac ordinari ad corrigendos Fideles, ut resipiscant, et caveant delicta in futurum. E contra Irregularitas, etiam ex delicto, non est pœna medicinalis, sed inhabilitas; nec ordinatur ad corrigendos etc. sed apponitur tanquam impedimentum canonicum, de quo Ecclesia non est adeo sollicita, quod removeatur ab impedito; imo etiamsi hic multoties illud removere satagat, hoc non obstante, pluries negat ei hujusmodi remotionem. Denique Censura aufertur per Absolutionem, Irregularitas vero per dispensationem; et cui conceditur facultas, ut absolvatur a Censuris, ex stylo Romanæ Curiæ non censentur concessa facultas, ut dispensetur ab Irregularite, nisi fiat hujus expressa mentio, ut testatur, ac tradit D. Carolus Borromæus in Instructione apud P. Antoine de Censur. cap. 5, versus fin. Unde infertur, quod etsi Sejus possit occasione Jubilæi absolvi ab excommunicatione, et a peccato, per dictam occisionem contractis, non sic tamen dispensari ab irregularitate.

CAS. III. — Potest Sempronius solvere integrum debitum; at quia ex pecunia percipit aliquod emolumentum, vult solvere tantum per partes. Qu. An Confessarius, hoc non obstante, debeat illum absolvere ?

Resp. per se loquendo negative, nisi interveniat Creditoris consensus; imo debere illum inabsolutum dimittere. Ratio est, quia semel ac in eo supponitur possibilitas solvendi integrum debitum, et jam lapsum esse terminum integræ solutioni præfixum, statim urget præceptum nihil retinendi de alieno, et per consequens, totum solvendi, quod alteri debetur : id ipsum clamat ipsamet dies præfixa, interpellans pro solutione, adæquata debito; et omnia jura injustæ detentionis arguunt

debitæ integræ solutioni aliquid detrahentem ; totum namque quod detinetur, detinetur contra jus naturale divinum, et contra justitiam postulantem æqualitatem. Unde fit, quod Sempronius volens tunc solvere non in totum, sed per partes, unam scilicet partem debiti hoc mense, aliam alio, et sic successive usque ad totalem solutionem, habeatur ut violator justitiæ commutativæ, ut fractor legis naturalis, divinæ, cæterarumque legum ; et tanquam voluntarie persistens in actuali peccato, communi suffragio reputatur indispositus pro Absolutione, adeoque indignus, qui absolvatur, et positive dignus, qui dimittatur inabsolutus, ut videre est apud Giribaldum de Restit. cap. 5, dub. 4, num. 30. ac Bartholomæum a S. Fausto de Restit. in gen. disp. 4, quæst. 202. Neque illi suffragatur ea causalis, *quia ex pecunia percipit aliquod emolumentum;* nam ultra quam quod æquum non est, ut quis ex alieno ditescat, si talis ratio sufficeret ad justificandam detentionem pecuniæ, vel alterius rei alienæ, dici etiam posset, licere furi ob idem motivum penes se retinere ad tempus notabile magnam portionem pecuniæ alteri furatæ, eidemque sufficere, quod restituat per partes : quod quam alienum sit a veritate, nemo non videt : ideoque neque licere Sempronio potenti simul solvere totum ac integrum debitum. Dixi tamen ab initio *per se loquendo ;* nam per accidens, et signanter *si interveniat Creditoris consensus*, vel expressus, vel tacitus, id posse licite fieri a Sempronio, minime inficior : quemadmodum enim potest Creditor ipsi absolute debitum remittere, et condonare ; ita certum est, quod illi potest etiam permittere, ut paulatim solvat per partes : sicuti etiam id Sempronio liceret, casu quo, simul solvendo integrum debitum, subesset damno valde notabili; ni vice versa illud solvendo per partes, Creditor nullum, vel modicum damnum sentiret, ut passim monent DD. At tunc censeretur moraliter impotens simul solvere, cujus oppositum supponitur in casu de Sempronio : quem propterea dixi nec debere, nec posse per se loquendo absolvi, sed dimittendum inabsolutum, saltem ni doleat ex corde, se hactenus integre non persolvisse, et

statuat, ac firmiter proponat, quamprimum per integrum solvere.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Ob non impletum præceptum Paschale Gneus fuit publice interdictus. Qu. An ab hac censura possit absolvi occasione Jubilæi?

Resp. regulariter non posse ab ea absolvi, saltem si intra tempus præscriptum, quod solet esse duarum hebdomadarum, non compareat coram Ordinario, seque promptum exhibeat ad ejus, et Ecclesiæ mandatis obtemperandum. Ratio est, quia nonnisi sub hac conditione solet concedi facultas absolvendi hujusmodi delinquentes, ut colligi potest ex Indultis Jubilæorum præcedentium; imo SS. D. N. Clemens Papa XIII. feliciter regnans in indulto Jubilæi ab ipso concessi anno præterito positive expressit, se aliter non concedere hujusmodi facultatem. Ergo nisi Gneus id præstet, ab hac censura nequit absolvi occasione Jubilæi: facultas namque sub tali conditione concessa (ut recte ait Viva de Jubil. q. 10, art. 2, num. 7.), conditione non purificata, minime conceditur, et sic Absolutio non subsistit; ideoque etiam Gneus aliter nequit absolvi a tali censura.

CAS. II. — Ad excipiendam Confessionem constituti in proximo mortis periculo contemporanee adveniunt Parochus, et alius simplex Sacerdos. Qu. An sit necesse, quod hic cedat locum Parocho, ut valida, ac licita sit Absolutio?

Resp. probabilius esse, quod sit. Ratio est, quia simplici Sacerdoti videtur solum concessa facultas absolvendi in casu extremæ necessitatis, quando nempe deest copia Sacerdotis tum ordinarii, tum delegati; et aliunde imminet Pœnitenti periculum, quod decedat inabsolutus. Fundamentum desumitur ex eodem cap. 7, sessionis 14. Tridentini, unde adversarii pertrahunt suum. Ibi enim Concilium expresse dicit, pie semper in

Ecclesia Dei custoditum fuisse, ut in articulo mortis nulla sit reservatio, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: atque ideo omnes Sacerdotes posse absolvere quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris. Quo posito, sic dissero : Si in Ecclesia Dei id semper custoditum fuit, Concilium ibi quoad hoc non statuit jus novum, sed solum declarat, et approbat antiquum, seu antiquam consuetudinem; nam secus antea id custoditum non fuisset, prout asserit Concilium. Sed jus antiquum, seu antiqua consuetudo erat, quod simplici Sacerdoti solum intelligeretur concessa facultas absolvendi in casu extremæ necessitatis, quando nempe deerat copia tum Parochi, seu Sacerdotis ordinarii, tum Sacerdotis delegati; et quidem imminente Pœnitentis periculo, ne inabsolutus decederet seu ea in occasione periret, ut constat *ex can. Presbyteri* 26, *quæst.* 6. ex cap. *Inter cunctus* § *incendiarii de Privileg.* et ex aliis textibus antiquis : ergo etiam nunc talis est intentio Tridentini; ac per consequens necesse est, quod simplex Sacerdos cedat locum Parocho, ut valida, ac licita sit Absolutio. Addo, Concilium dicere, omnes Sacerdotes posse etc. *ne hac occasione aliquis pereat.* Sed quando adest Parochus, non intervenit tale periculum, quia præsto est Parochus; ergo etc. Secundo per l y *omnes Sacerdotes* probabilius a Concilio ibi non comprehenduntur Sacerdotes simplices, ut adnotant plures DD. inter quos Fagnanus in cap. *Non est vobis de Sponsalib.* num. 1, et 4. Sed soli Sacerdotes ordinarii, et delegati; quod colligunt tum ex iis, quæ præcedunt in eodem cap. 7. tum ex aperto Decreto S. Congregationis Concilii ibidem relato a Fagnano hisce terminis : Cap. 7. *Tridentini de casuum reservatione referendum est ad eos Sacerdotes, qui habent ordinariam, vel delegatam potestatem.* Ergo etc. At dices : A quo ergo simplices Sacerdotes habent potestatem, saltem in extrema necessitate, absolvendi, ne tunc aliquis pereat? Respondeo, eos illam habere a præfato *Can. Presbyteri*, et aliis Canonibus antiquis. Propterea cum horum tenore nec in articulo mortis possent absolvere in præsentia Parochi, ut supra dictum est, ideo etc. Hinc

Catechismus Romanus de Pœnit. § 55. ait, Concilium docere, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omni peccato, et censura, si mortis periculum imminet, et *proprii Sacerdotis facultas non datur*. Et Rituale Romanum de Sacram. Pœnit. sub init.: Si periculum mortis immineat, *approbatusque desit Confessarius*, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris, ac peccatis absolvere. Moneo hic tamen, quod si simplex Sacerdos, inscius de proximo Parochi adventu, Confessionem constituti in proximo mortis periculo jam excipere cœpisset, tunc etiam adveniente Parocho prosequi posset; tum quia judicium jam cœptum debet compleri; tum quia non est gravandus Pœnitens duobus in casu eadem sua peccata confiteri.

CAS. III. — Emit quidam a rustico argenteum pollubrum cum aliquali dubio, an esset venditoris. Ast quia hic juramento affirmavit suum esse, stante ignorantia facti, complevit emptione Contractum. Nunc certo detectum est, quod pollubrum erat alienum. Qu. An possit hoc emptor reddere venditori, recuperando pretium solutum, an vero teneatur pollubrum restituere domino, si pretium facile nequeat recuperare?

Resp. cum Giribaldo de Rest. cap. 1, dub. 2, et aliis quampluribus, quod si aliter nequeat pretium a se solutum, vel nonnisi cum magna difficultate recuperare, potest emptor rescindere Contractum, et pollubrum reddere venditori, sic recuperando pretium a se solutum. Ratio est, quia ipse non tenetur damnum pati, ut servet rem domino; sed potest jus suum prosequi, hanc reponendo in statu, in quo erat, rescindendo Contractum: si enim dominus jus habet ad suum pollubrum, etiam hic habet jus ad pretium a se solutum; et si dominus non recuperat suum pollubrum in manu rustici repositum, respectu reponentis id est per accidens, ac ex sola malitia ipsius rustici, cum ille mere intendat Contractum rescindere, et suum pretium recuperare: uno verbo, est damnum alterius, cui obviare non tenetur, mere permittere, ut semetipsum servet indemnem; quod licitum esse, omnia jura clamant, cum

naturale sit, prius sibi consulere, ac rebus propriis, quam alienis. Vide Alphonsum de Ligorio de Rest. dub. 2, num. 569.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Quidam honorem alteri abstulit per contumeliam, convitium, ac improperium; deinde taliter affectum benigne, et amicabiliter tractavit. Qu. An iste modus resarciendi honorem læsum sit sufficienter satisfactorius?

Resp. cum dist. Vel agitur de Superiore, qui inhonoravit inferiorem; vel de inferiore, qui inhonoravit Superiorem; vel denique de æquali, qui inhonoravit æqualem. Si primum; dico talem modum resarciendi honorem læsum, esse sufficienter satisfactorium: quia licet etiam Superior, quando injuste offendit inferiorem, debeat reparare offensam; modus tamen hujus reparationis talis esse debet, ut nec deprimatur dignitas, nec imminuatur auctoritas, nec gradus, aut conditio vilescat: præcipue cum satisfactio, quæcumque in se sit, in hoc casu, ex diverso respectivo statu, et conditione personarum augmentum recipiat. Hinc si Prælatus subditum, Princeps vasallum, Pater filium, Dominus servum offendit, non est ab his facienda veniæ petitio (idem dic de valde nobili respectu plebei) quia hæc esset eidem subjectio contra naturæ ordinem, ut ait Stephanus a S. Gregorio de Rest. in partic. cap. 12, num. 49, sed sufficit, eisdem exhibere extraordinaria signa honoris, et benevolentiæ, quæ nempe similibus personis exhiberi non solent; cujusmodi plane sunt, benigne, et amicabiliter tractare, honorifice consalutare, aut quid simile; ut tradit etiam Valerius Reginaldus, Praxis tom. 1, lib. 10, de Restit. num. 355, quod est conforme monito relicto Superioribus in Regula a D. Augustino hisce verbis: *Si vos modum excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut vos a subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctori-*

tas. Si secundum ; dico , prædictum modum non esse sufficienter satisfactorium , ob rationem oppositam, propter magnam disparitatem inter offensorem , et offensum ; ideoque quid plus requiri cum proportione ad qualitatem inhonorationis, et excellentiam , seu majoritatem personæ offensæ. Hinc communis est Doctorum sententia, requiri in casu petitionem veniæ, si in id offensus consentiat; et etiam quid plus, quod necessarium prudenter reputetur pro integra restitutione. Notant tamen Cajetanus, Molina, Covarruvias, et alii quamplures apud relatum a S. Gregorio num. 50 , non esse necessariam veniæ petitionem , quando judicio viri prudentis honor alio modo restituitur. Si tertium ; dico pariter, non sufficere dictum modum satisfactorium , sed ulterius requiri petitionem veniæ : imo, si inhonoratio fuit admodum gravis, venia petenda est flexis genibus , ut satisfactio sit adæquata ; ut cum S. Antonino , Salmanticensibus, et aliis tradit de Ligorio.

CAS. II. — Sejus furatus est aliquot oves jam tonsas Cajo ; deinde ex nova lana lucratus est multum. Qu. An teneatur restituere domino etiam hoc multum , acquisitum ex lana ?

Resp. affirmare Rebellum de Just. part. 1, lib. 2 , quæst. 4, num. 2, et alios non paucos, inquientes, lanam istam esse fructum naturalem. Ast negat Pharaonius de Restit. sess. 29 , cas. 32 , cum aliis, quia hujusmodi lana numeratur inter fructus industriales, ut testantur Card. Tuschus Pract. Concl. tom. 4, Concl. 485, num. 5. Menochius lib. 2 , de arbitr. cent. 5 , cas. 210, num. 26. Azorius , et alii apud Sanchez. in Dec. tom. 1, lib. 2, cap. 25 , num. 53, quoniam non modica industria , et cura intercessit in pascendis , et custodiendis ipsismet ovibus ; ubi e contra fructus naturales dicuntur, in quibus industria hominis non est necessaria , ut loc. cit. docet Tuschus num. 12. Tertiam tamen mihi placet inire viam , hujusmodi lanam recensendo inter fructus mixtos cum Giribaldo de Restit. cap. 2, dub. 5, num. 45, ideoque dico, Sejum teneri domino restituere etiam hoc multum acquisitum ex lana ,

deductis tamen expensis, ac æstimatione industriæ. Ratio est, quia etiam talis lana est fructus rei alienæ : quamvis enim partim procedat ab industria, et partim a natura, tamen quia natura principaliores quoad eam habuit partes in operando, censetur fructificasse domino ovium, cui proinde sicuti deberetur lana, si apud ipsum cum ovibus adhuc extaret ; ita his cum lana apud Sejum amplius non extantibus, eidem domino debetur illud multum ex lana acquisitum, facta prædicta deductione ; ut sic nec malæ fidei possessor ditescat ex re aliena, nec dominus fructum reportet ex aliena industria, et expensis ; quemadmodum ibidem, num. 49, docet laudatus Girib. cum Bonac. Lugo, et aliis.

CAS. III. — Cajus bona fide emit a fure rem furtim ablatam, eamque postea alteri vendidit, qui pariter eam vendidit tertiæ personæ. Qu. An sive Cajus, sive is, cui rem ipse vendidit, deinde agnoscentes, hujusmodi rem esse alienam, teneantur in conscientia servare indemnem hunc tertium emptorem, rescindendo Contractum?

Resp. quamvis probabile videatur neutrum in casu teneri rescindere Contractum cum tertio emptore, ut hunc servet indemnem ; eo quia Cajus cum eodem nullum iniit Contractum, et alter videtur propriæ obligationi satisfacere, si eidem cedat actionem, quam ipse habet contra Cajum; tamen si tertius emptor instet contra secundum, et hic contra primum pro rescissione Contractus, dico, secundum ad id teneri in conscientia, ut servet indemnem hunc tertium emptorem; primum vero ut sic servet, non tertium, cum quo vere contraxit, sed secundum. Ratio utriusque partis est, quia licet ambo in venditione processerint bona fide, tamen de utroque illorum verificatur, quod respective vendiderit rem vitiosam; ac proinde respectivo emptori teneatur pretium restituere, absque eo quod possit illum remittere ad alium, cum quo non contraxit; ut cum Bonacina de Restit. quæst. 4, punct. 2. Soto, Lessio, et aliis, recte inquit de Ligorio de Rest. dub. 5, num. 61. Quod valet etiamsi convenerint non teneri de evictione, ut aperte constat ex l. *Emptorem* § *qui autem ff. de Action.*

Empt. Hinc sicuti si quis vendat alteri vitrum pro gemma, vel solvat monetam falsam pro legitima, vel permutet aurichalcum pro vero auro, tenetur in conscientia rescindere Contractum, semel ac dignoscitur error, ac alter instat pro sui indemnitate; ita semel ac dictis constat, eos vendidisse rem vitiosam, seu alienam, tenentur in conscientia respectivum Contractum rescindere, ac pretium acceptum restituere.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Quis emit Censum numerata pecunia, et cum aliis requisitis, excepto tamen, quod pecunia non fuit numerata coram Notario et testibus. Qu. An hic Contractus, cæteroquin factus seclusa omni fraude, et dolo, fieri potuerit tuta conscientia?

Resp. negat. Ratio est, quia S. Pius V. in sua Constitutione *Cum onus*, edita super materiam Censuum, expresse requirit inter alias conditiones necessarias ad valorem ac liceitatem Census, ut pecunia numeretur coram Notario et testibus; cumque hujusmodi conditiones ab eo apponantur tanquam forma; adeo ut secus contractus sit irritus, usurarius, et fœneratitius, tam in foro externo, quam interno, ideo hujusmodi defectus sufficit, ne hic contractus fieri potuerit tuta conscientia. Neque dicas, finem Pontificis in apponendis illis conditionibus, ac signanter præfata de numeratione pecuniæ coram Notario, et testibus, fuisse ad avertendos ab hisce contractibus dolos, et fraudes, qui proinde seclusa omni fraude, et dolo, saltem pro foro interno liciti, ac validi sunt; et sic etiam præsens fieri potuit tuta conscientia: Ne dicas, inquam; in primis enim minime constat, quod hic fuerit unicus finis intentus a Pontifice; nam fieri potest, quod Pontifex etiam intenderit aliquid aliud, ob quod valori, ac liceitati contractus dictas apposuerit conditiones; unde ex quo cesset fraus, et dolus, non per hoc statim inferri potest, cessasse omnem finem earumdem, et signanter prædictæ. Deinde etiam demus, hunc fuisse unicum finem Ponti-

ficis, cum Bulla juste fuerit constituta ad evitandas fraudes; etiamsi in uno, vel altero casu cesset fraus, non per hoc cesset vigor legis generalis, quæ respicit quod ut plurimum evenit, non autem quod evenit in uno tantum, vel altero casu; maxime cum, etiam quando non intervenit fraus, non sit semper remotum fraudis periculum, et sic ad hoc præcavendum dici possunt appositæ illæ conditiones. Palaus tract. 33, disp. 6, punct. 16, num. 8, de Lugo, et alii. Hinc cum in nostro casu adhuc valeat vigor earumdem, si in eodem servata non fuit conditio numerationis pecuniæ coram Notario, et testibus, contractus censualis in casu fieri non potuit tuta conscientia.

CAS. II. — Vendidit Sejus rem Censui suppositam tribus emptoribus. Qu. An Creditor Census convenire valeat in solidum omnes tres emptores ad solvendum integrum Censum?

Resp. cum dist. Vel Sejus prius denuntiavit istam venditionem Creditori census; vel non. Si non; dico, Creditorem census utique posse convenire in solidum omnes tres emptores, imo et venditorem ipsum rei venditæ, ac censui subjectæ, ad solvendum integrum Censum. Ratio est, quia ex culpa debitoris, ac multiplicatis illis emptoribus, non debet fieri pejor conditio Creditoris ipsiusmet census *l.* 2, § *Ex his ff. de verb. oblig.* et *l. Plane ff. familiæ herciscundæ.* Navarrus in Comm. de Usur. num. 118. Fieret autem pejor Creditoris conditio, si quod prius ab uno tantum exigere poterat, a novis emptoribus per suummet debitorem, ipso inscio, multiplicatis, non posset in solidum exigere illud idem, aut ab eodem suomet debitore. Si vero Sejus prius denuntiavit Creditori census talem venditionem; tunc dico, Creditorem Census non posse convenire in solidum omnes tres emptores ad solvendum integrum Censum, sed tantum eos convenire pro rata, juxta partem Census; quia pars rei in tali casu transiit cum parte oneris; unde sicuti quilibet ex Emptoribus in particulari tenetur solvere ad ratam suæ partis Census; quoad eamdem ratam potest Creditor eos solum convenire.

Vide Azorium 3, part. Instr. Mor. lib. 10, cap. 21, v. Quarto quæritur, versus fin.

CAS. III. — Sempronius falsis testibus accusatus de gravissimo crimine, tormentorum metu, fatetur se commisisse crimen, quod non patravit. Qu. An ab ipso fieri debeat retractatio ?

Resp. cum dist. Vel imputatio falsi criminis, quod metu tormentorum se commisisse fatetur, resultat in grave præjudicium alterius, puta, in grave scandalum proximi, in notabile dedecus familiæ, etc. Vel non. Si non; dico, quod si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri, prout ordinarie contingit, si faciat retractationem, non est in eo hoc debitum, ut ab ipso fiat retractatio, etiamsi mors inde ipsi sequi deberet. Et ratio est, quia in hoc casu sibi ipse proprie mortem non intendit, sed vitationem illorum valde gravium tormentorum, de quibus ob cruciatum diuturnum, ac valde dolorosum, merito dici potest, quod non est tanto dolore digna salus, et vita; ob quam rationem etiam a peccato excusantur, qui resecationem alicujus membri, aut scissionem, vel aliam curationem valde dolorosam respuunt, ac proximam mortem amplectuntur. Neque, per non retractationem, proprie cooperatur injustæ sui damnationi; nam ex una parte si malum sibi evenire permittit, id facit, ut mox dictum est, ex gravi ac rationabili motivo, ne longiori morti subsit; ex alia Judex ipsum condemnans procedit juxta allegata, et probata, sicque ex hujus parte nulla intervenit injustitia. Si postea imputatio falsi criminis resultet in grave præjudicium alterius; tunc dico, quod a Sempronio fieri debeat retractatio, non obstante metu gravium tormentorum; quia, licet ipse possit licite suæ famæ renuntiare, et ex rationabili motivo sui mortem permittere, non sic tamen sua falsa confessione criminis, grave aliis præjudicium inferre. Lessius de Just. et Jure lib. 2, cap. 11, dis. 7. Sporer in 8, præc. Dec. cap. 4, sect. 1, num. 190, aliique non pauci. Dixi postea ab initio, *si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri;* nam si tormenta, quibus

se retractando subjiceret, levia essent, tunc certum est, quod deberet retractare, ad se liberandum a morte, aut alio gravi malo; nam tunc ad retractandum ipsum adigeret obligatio tuendi propriam vitam, ac se liberandi ab illo gravi malo, ut recte tradit Steph. a S. Greg. de Rest. in part. lib. 1, cap. 12, num. 19.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Obtinuit Confessarius facultatem absolvendi Pœnitentem a quodam reservato, ipsi exposito in Confessione; ast quia hic jam diu non amplius ad ipsum accessit. Qu. An valeat uti facultate obtenta, absolvendo alium eodem reservato inquinatum?

Resp. stando terminis casus, negative. Ratio est, quia illa verba, *Ast quia hic jam diu non amplius ad ipsum accessit*, clare denotant, ipsummet Confessarium petivisse, ac obtinuisse hujusmodi facultatem pro certa ac determinata persona. Jam vero communis est DD. sententia, quod, quando facultas absolvendi ab aliquo reservato petita est, ac obtenta pro absolutione personæ certæ, ac determinatæ, Confessarius tali facultate solum cum ea persona uti potest, pro cujus absolutione determinate eamdem obtinuit; quemadmodum enim si idemmet Confessarius obtinuisset facultatem a tali reservato absolvendi suum Pœnitentem, non posset uti tali facultate, faciendo ab eodem in specie peccato absolvere se ipsum, quia obtenta pro absolutione sui Pœnitentis, refertur ad personam diversam ab illa Confessarii; ita quando Confessarius eamdem facultatem petiit, ac obtinuit pro absolutione Pœnitentis certi, ac determinati, cum hoc solum eadem uti potest, cum hic solum is sit, qui tale reservatum ipsi exposuit in Confessione. Giribaldus de Sacram. Pœnit. cap. 16, dub. 3, num. 15.

CAS. II. — Quis habet agrum, qui vacat semine, et frugibus, sed bona suapte natura producit herbam.

Qu. An si alter ibidem animalia sua pascat, teneatur hujusmodi pascua recompensare ex justitia commutativa ?

Resp. affirm. cum Covarruvia in Pract. QQ. cap. 37, si non intervenerit domini consensus. Ratio desumitur ex *l. Qua ratione ff. de acquiren. Domin.* et ex *l. Adeo § fin. eod. tit.* ubi habetur : *Herba sponte sua nascens in agro meo , mea est :* Ergo etiam sponte sua nascens in agro illius, de quo casus procedit, illius est ; ac per consequens pascens animalia sua de tali herba sine domini consensu, utpote ea pascens de re aliena, violat justitiam commutativam , non minus ac ille, qui semetipsum pascit cum alieno frumento. Hinc sicuti iste per omnes tenetur compensare hujusmodi pastum ex justitia commutativa , quando semetipsum pavit frumento alieno , sine domini consensu , seu domino frumenti rationabiliter invito; ita ob eamdem rationem idem dici debet quoad pascua animalium in nostro casu. Accedit, herbam nascentem sponte sua in agro , esse hujus fructum naturalem , qui domino agri debetur, non solum quando hic illum percepisset, verum etiam quando ipse non fuisset illum percepturus ; cum sit fructus rei , quæ domino suo fructificat, et sic spectat ad eumdem, eo ipso , quod ex tali re percipitur, ut recte tradit Giribaldus de Restit. cap. 2 , dub. 5, num. 50. Ergo qui tali fructu pascit animalia sua, domino non consentiente , facit injuriam domino , violat jus huic competens ex justitia commutativa , ex qua proinde tenetur hujusmodi pascua recompensare : quidquid in contrarium dicant Joannes Faber , Cassaneus, et alii apud Covarruviam l. c. et in parte Azorius Inst. Mor. part. 3, lib. 5, cap. 17, v. Quarto quæritur, vers. Hæ duæ opiniones.

CAS. III. — Habet Colonus in suo agro Columbarium, ubi abundanter columbas suas pascit, hac tamen intentione , ut alienæ columbæ alterius Columbarii veniant ad suum, ac ibi nidificent , prout de facto contingit. Qu. An possit id licite facere , an vero teneatur restituere pullos acceptos ex alienis columbis?

Resp. intentionem Coloni revera illicitam esse , imo

et actionem ipsam ut tali intentione directam; hanc tamen non esse adeo malam, ut propterea Colonus teneatur restituere pullos acceptos ex alienis columbis. Ratio primæ partis facile colligitur ex eo, quod sit intentio damnificandi proximum; cum eo tendat, ut alienæ Columbæ alterius columbarii veniant ad suum, ac ibi nidificent, prout de facto contingere exprimit casus. Ratio secundæ partis infertur ex mox allata probatione primæ; nam semel ac ideo abundanter pascit Columbas suas tali directa intentione, ac fine, jam malitia finis ac intentionis inficit actionem ipsam; nam bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu, prout fert vetus axioma. Ratio denique tertiæ partis hæc est, quia, præscindendo ab illo malo fine, ac prava intentione, utitur jure suo, si abundanter suas Columbas pascit; non enim malum est, optime suas Columbas pascere: neque alienas Columbas per hoc compellit venire ad suum Columbarium; et si adveniunt, hoc ideo est, quia non ita bene, et forte admodum parce eisdem præbetur cibus in aliis Columbariis; unde fit, quod advenientes tamdiu morentur, ubi bene tractantur, ut consuetudinem amittant redeundi ad primum Columbarium, sicque transeant in dominium, ac proprietatem domini secundi Columbarii. In tantum namque dominus prioris Columbarii jam erat earum dominus, in quantum, iis ablata naturali libertate, illas in suam custodiam coercuit, ac detinebat: (animalia namque, cum sua gaudent naturali libertate, fiunt primi occupantis. Instit. de rer. divis.) Statim autem ac ab uno ad aliud Columbarium se transtulerunt, ibique tamdiu moratæ sunt, ut consuetudinem amiserint alio redeundi, pristinam censentur recuperare libertatem; (Inst. pariter de rer. divis.) sicque evadunt sub custodia et proprietate domini secundi Columbarii, qui propterea, si ibi nidificant, non tenetur restituere pullos acceptos ex talibus Columbis, alias alienis, nunc tamen suis. Nec obstat illa prava intentio, necnon illa occasio eis data adveniendi; nam transmisso, quod utraque mala fuerit, ideoque illicitam effecerit actionem; tamen quia effective non est contra justitiam commutativam, sed

solum contra charitatem, non obligat restituere pullos acceptos ex talibus columbis; ut videre est apud Azorium l. suprac. cap. 16. v. Quinta difficultas, Bartholomæum a S. Fausto in Spec. Confess. disp. 30. quæst. 18, num. 5, Bonacinam, et alios.

ANNO MDCCLX.

MENSE JANUARII.

CAS. I. — Novit Parochus, suam Parochianam simul ac Pœnitentem impuro illius amore flagrare, ipsumque sollicitare non erubuisse; et simul etiam novit, quod si pro Confessione, ac spirituali directione eam ad alium dimittit, in omne luxuriæ cœnum ipsa facile prolabetur. Qu. Quid agendum a Parocho in isto casu?

Resp. Parochum debere in primis fœminam graviter increpare de temeritate habita in ipso sollicitando; deinde totis viribus curare, ut illa impurum erga se amorem deponat, efficaciter ei ostendendo, ipsam esse in statu damnationis, atque indignam Sacramentorum, quousque ita vixerit; denique opportuna eidem præscribere remedia orationis, mortificationis etc. ut resipiscat, et desinat insanire. Si noscat Parochus, se hisce mediis proficere, prosecutionemque directionis nec sibi, nec fœminæ afferre spirituale nocumentum, debet in tali casu prosequi eam audire in Confessione, eamdemque dirigere; quia, cum tunc spes affulgeat illam tandem reducendi in semitam rectam, ex officio tenetur cooperari tali bono spirituali suæ Parochianæ, præcipue cum secus ea subsit periculo prolabendi in omne luxuriæ cœnum, prout exprimitur in casu. E contra si Parochus animadvertat, omne medium, etiam magis saptum, cum ea adhibitum, ac pluries repetitum, respectu ipsius esse inutile, ac ineflicax; aut hujusce directionis prosecutionem impurum potius illius erga se amorem fovere, vel sibi esse spiritualiter noxiam, aut periculosam; tunc dico, Parochum in primo casu posse,

et in duobus aliis casibus teneri ad alium Parochianam dimittere, non obstante præfato periculo. Ratio primi est, quia statim ac Parochus movit, ut dici solet, omnem lapidem, ut Parochianam ad bonam frugem reduceret, ast ipsa rectam viam scire non vult, redditque inutilem omnem conatum, curamque Pastoris, hic satisfecit muneri suo; nec culpabilis est, si dolens de illius pervicaci impœnitentia, ac enixius eam Deo commendans, ipsam ad alium dimittit; nam si perit, ipsius perditio ex ipsa est, quæ sequi noluit ductum Pastoris, demum coacti dicere cum Angelis, deputatis ad curam Babylonis: *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.* Ratio secundi est, quia in eo casu tenetur Parochus subtrahere hujusmodi fomentum, ne ipse sit Parochianæ laqueus iniquitatis; unde si sua directio ea est, quæ fœminæ potius fomentum præbet impuri erga ipsum amoris, debet Parochus a tali directione desistere, ac fœminam ad alium dimittere: maxime cum sua directio sit fœminæ malum actuale, ac certum; dimissio vero ipsam relinquat soli periculo expositam, quod, si ipsa vult, adjuvante Deo, potest etiam declinare. Ratio denique tertii, ac ultimi hæc est; quia ex ipsamet lege naturæ etiam Parochus prius tenetur prospicere saluti animæ suæ, quam alienæ: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* dicebat Christus Matth. 16. Ergo si dicta prosecutio directionis est animæ Parochi noxia, vel periculosa, debet idem Parochus malum, seu periculum, exinde sibi resultans, declinare, fœminam ad alium dimittendo, præfato fœminæ periculo non obstante; siquidem Parochus pro spirituali salute Parochianorum tenetur quidem, si opus sit, periculo exponere propriam vitam corporalem; non sic tamen etiam spiritualem, ut eruitur ex allatis verbis Christi Domini. Neque dicas, Parochum posse confidere, quod sicuti Deus hactenus ipsum adjuvit, ne decideret, ita ipsum in posterum adjuvabit ne decidat; hæc enim omnia ponderaverat etiam Doctor Maximus, et tamen tum in Epistola ad Nepotianum, cum in Reg. Monach.

cap. de Castit. clamabat : *Ne in præterita castitate confidas, quia nec Davide sanctior, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior;* cumque agatur de directione fœminæ, quæ, ut ex casu constat, Parocho ingerit non leve periculum, non video cur magna temeritas, ac Dei tentatio potius dici non debeat ista fiducia; cum Deus ipse tot locis Sacræ Scripturæ doceat nos, ut a periculis caveamus; lexque ipsa naturæ clare nobis insinuet, ut prius nobis, quam aliis, prospiciamus.

CAS. II. — Titius ob incestum cum suæ Uxoris Sorore, monitus a simplici Confessario, ut a petitione debiti abstineret, usquequo restitutum ei fuisset tale jus, interim debitum quidem non petiit, sed a tactibus impudicis non abstinuit. Qu. An peccaverit ?

Resp. cum dist. Vel fecit hujusmodi tactus, secluso ab utroque pollutionis periculo, et ad finem honestum, puta, ad contestandum, ac fovendum amorem conjugalem; et in hoc casu dico cum Sporer. Theol. Mor. tom. 3, part. 4, cap. 2, sect. 3. Titium non peccasse, ne quidem venialiter. Vel fecit hujusmodi tactus cum præviso, saltem in alterutro, pollutionis periculo; aut ad finem moraliter malum ; et tunc dico, Titium peccasse in primo casu mortaliter; in secundo vero mortaliter, aut venialiter juxta qualitatem finis, mortaliter, aut venialiter peccaminosi. Ratio pr. partis est, quia præscriptum legis pœnalis, cujusmodi est privans conjugem incestuosum jure petendi debitum, utpote odiosum, extendi non debet ultra id, de quo lex loquitur ; sed stricte est interpretandum, juxta celebrem regulam juris: *Odia restringi, favores vero convenit ampliari.* Porro Sacri Canones, conjugi incestuoso vetantes petitionem debiti, loquuntur de copula ab ipso petita, non autem de tactibus, de osculis, de amplexibus etc., siquidem loquuntur expresse de debito conjugali, quod solvitur per copulam, ut constat ex cap. *Tuæ fraternitati de eo, qui cogn. Consang.* et cap. *Jordanæ eod. tit.* Ergo si Titius a copula abstinuit, ac meros habuit tactus, nil sibi vetitum exercuit; ac proinde si eosdem habuit, secluso ab utroque pollutionis periculo, et ad honestum finem,

prout supra dictum est, ne quidem venialiter peccavit. Neque dicas, cui prohibitus est finis, prohibita esse etiam media ad eumdem tendentia et ordinata, juxta illam regulam Juris : *Cum quid prohibetur, omne id prohibitum censetur ex quo pervenitur ad illud, l. Oratio ff. de Sponsal.* ideoque cum tactus ordinentur ad copulam, semel ac Titio hæc vetita erat, eidem vetitos fuisse etiam tactus, per quos propterea peccavit : Ne dicas, inquam ; assumptum enim valet, quando id, quod est medium, adhibetur ut medium ex intentione finis. Secus vero si e contra, quando nempe exercetur ut actio, in qua operans sistit ; vel si eam ad aliud ordinat, eam dirigit ad finem honestum, a prohibito omnino diversum ; tunc namque hujusmodi actio, si, ut taliter facta, non comprehenditur a legis præscripto, operans non est hujus transgressor : ut explicari posset innumeris exemplis. Cum ergo tactus in casu facti a Titio, ab eo facti non fuerint ex intentione copulæ, sed ad contestandum, ac fovendum amorem conjugalem, vel ad alium finem honestum ; et ut sic facti non comprehendantur sub præscripto præfatæ legis canonicæ, ut supra probatum est ; ideo etc. Nec refert, quod fuerint cum affine ; fuerunt namque cum Conjuge, facta affine post Matrimonii celebrationem ; cujus affinitatis intuitu apposita est incestuoso pœna non petendi debitum, non autem abstinendi etiam a tactibus ; ad quos proinde non debet extendi. Ratio postea secundæ partis, nempe, quod Titius mortaliter peccaverit, si fecit hosce tactus cum præviso periculo pollutionis saltem in alterutro, ex eo desumitur, quod se, vel alium voluntarie exponere periculo mollitiei, juxta sanæ doctrinæ Theologos, etiam in Conjugibus, mortale est ; cum mollities sit contra naturam, finem primarium Matrimonii, et castitatem conjugalem, ut recte tradunt Giribaldus de Matrim. cap. 19, dub. 15, num. 105. Sporer. l. c. num. 498, et alii comm. Conjugium namque non dat jus ad illam, nec eam cohonestat. Atqui Titius in casu se vel Conjugem per hujusmodi tactus voluntarie exposuisset periculo mollitiei, ut patet ; ergo eosdem faciendo cum tali prævisione, peccavit mortaliter ; idem enim fuit expresse in

casu velle hosce tactus, ac velle tacite, et *implicite* prævisum periculum mollitici, imo et ipsam mollitiem, si secuta est; quod ad mortale sufficit, cum quantum ad hoc taciti, et expressi eadem sit vis; et qui amat periculum, in illo pereat. Nec quis reponat, quod dabat operam rei licitæ; id enim nego stante hoc periculo cum prohibitione attentationis copulæ; ut notat etiam Giribaldus. Quod demum peccaverit mortaliter, aut venialiter, juxta qualitatem finis, ordinando præfatos tactus ad finem moraliter malum, constat ex illa regula, communiter tradita in tract. de Actib. Hum. nempe, quod Actus humani desumunt moralitatem etiam a fine; inde enim sequitur, quod si Titius fecit eosdem tactus ad finem mortaliter peccaminosum, per eos peccavit mortaliter; venialiter vero, si eos fecit ad finem peccaminosum tantum venialiter.

CAS. III. — Dedit Sempronius Cajo mandatum occidendi Mævium; eidemque consuluit, ut Antonium graviter verberaret. Utrumque præstitit Cajus, sed coactus est damna compensare, quæ tum Antonius ex gravi verberatione, tum Mævii filii ex ejus occisione passi sunt; unde modo contendit, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Qu. An jure?

Resp. quoad pr. part. cum distinct. Vel Cajus occidit Mævium ex simplici mandato; vel ob pactam mercedem pro executione occisionis. Si primum; dico, ipsum jure prætendere, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Ratio est, quia licet in foro exteriori mandatum rei turpis sit nullum, et ex eo non oriatur actio, l. *Si remunerandi* § *rei turpis ff. Mandati*; *et* § *illud quoque Instit. Mand.* tamen in foro conscientiæ etiam ex mandato rei turpis tenetur Mandans ad damna, ex eo, quantumvis nullo, proxime secuta etiam Mandatario; nullum siquidem damnum, in casu non acceptæ mercedis, Mandatarius pati debet ex mandato, l. *Ex mandato ff. mandat.*, maxime cum Mandans fuerit causa primaria, et principalis omnium damnorum, ex mandato, ejusdemque executione sequentium, quæ propterea ipse primo tenetur reficere, et compensare, utpote causa primaria, et prin-

cipalis eorumdem ; nam Mandatarius in hoc casu fuit causa mere executiva, et ipsi deserviens ; et ideo Cajus jure contendit, Sempronium teneri ad ipsum relevandum. Si vero Cajus id præstitit ob pactam mercedem ; dico, immerito ipsum prætendere relevationem, quia similes propterea stipendium accipiunt, ut delictum committant, et, pro eo committendo, quibuscumque periculis se exponunt : quæ proinde in ipsamet constitutione stipendii considerantur. Quare si inter eos non fuerit aliter conventum, in hoc casu irrationabilis est Caji prætensio. Quantum postea ad sec. part. responsio negativa clare colligitur ex Can. *Nullus* de Reg. Jur. in 6. ubi Bonifacius VIII. ait : *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Et ratio est, quia licet consulens malum, peccet ; in malum positive, ac efficaciter influat : ideoque in defectu refectionis factæ a consulto, mali patratore, ipse teneatur damnum reficere; tamen quia, hoc consilio non obstante, consultus remansit omnino liber ad hujusmodi consilium exequendum, et non exequendum ; ideo hujus voluntati, et causalitati principaliter damnum imputatur ; quod propterea tenetur ipse totum reficere, sine ullo jure actionis contra consulentem, in ordine ad relevationem ; cum consultus ex iniquitate sua non debeat actionem, et commodum reportare, ut cautum est in *l. Itaque Fullo ff. de Furt.* et voluntarie semetipsum exposuerit compensationi damni, ex gravi verberatione Antonio causati per ipsum ; a quo proinde non tenetur consulens ipsum relevare, cum ipsi, utpote volenti, ac consentienti, nulla ab eo facta fuerit injuria.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Contraxit Gneus Sponsalia cum Berta impubere, quæ nunc facta pubes in illa non consentit, imo reclamat. Qu. An Gneus ducere possit Bertæ Sororem ?

Resp. neg. supposito quod Berta tempore Sponsalium jam esset septennis, et in hæc deliberate consenserit ;

vel saltem eadem legitime ratificaverit completo septennio. Ratio est, quia in tali casu hujusmodi Sponsalia valida fuere, induxeruntque impedimentum publicæ honestatis Gneum inter ac Sororem Bertæ, ut clare colligitur ex cap. *Litteras*, cap. *Accessit* etc. de Desponsat. Impub. Neque enim ad id necesse est, quod etiam consentiat, et non reclamet, cum ad pubertatem pervenerit : hoc namque Jura non exigunt pro valore Sponsalium jam initorum, neque pro inductione impedimenti. Hinc si Berta ad pubertatem perveniens statim reclamat, vult ab hisce Sponsalibus resilire, id quidem ab ea fieri licite potest, saltem si ea non firmavit juramento ; at Gneus illius Sororem ducere valide non potest, absque prævia dispensatione ; quia, etiam dissolutis Sponsalibus cum Berta, inter ipsum ac Bertæ Sororem datur impedimentum perpetuum : ut patet ex eo, quod si Berta interim mortua fuisset, aut moriatur, neque tunc, absque dispensatione, Gneus ducere valide queat ejus Sororem, vel aliam Bertæ consanguineam in primo gradu ; ut definitum refert a S. Congregatione Fagnanus in cap. *Ad audientiam* num. 29, de Sponsalib. subdens, Alexandrum VII. anno 1658. declarasse, quoad hoc inhærendum esse S. Congregationis judicio ; prout etiam refert Continuator Oper. Tournely de Dispens. in spec. part. 1, cap. 10. Addidi tamen sub initio responsionis illa verba : *Supposito quod Berta, etc.* quia si Berta contraxisset Sponsalia nondum septennis, eaque completo septennio non ratificasset, tunc probabilius ejus Sponsalia cum Gneo invalida fuissent ; nam Alexander VII. in præfato cap. *Accessit*, loquens, non de infante in cunabulis, sed de puella absolute, ut constat ex Glossa ibid. expresse ait : *Desponsationes ante septem annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit*, et cum ibidem, cum in cap. *Litteras* idem Pontifex perspicue inquit, non induci impedimentum per Sponsalia contracta ante completum septennium, si eodem completo non ratificentur per consensum. Ex quibus infero ad rem nostram, quod si Berta iniisset Sponsalia septennio non completo, eodemve completo illa non ratificasset ; tunc inter Gneum, ac Bertæ Sororem non adesset

impedimentum, sicque in isto casu ipsam ducere utique posset.

CAS. II. — Non interrogatus Sejus de qualitate equi, assueti sese in aquam conjicere, eumdem locavit Sempronio, causa transportandi merces in locum duodecim milliariis distantem. Evenit autem, quod per viam in flumen sese equus conjecit, magno cum mercium detrimento. Qu. An Sejus teneatur reficere damna Sempronio?

Resp. per se loquendo teneri, prout decisum habetur in l. *Sed addes si quis ff. Locati*, ac tradunt Giribaldus de Loc. et Cond. dub. 2, num. 12. Bonacina et alii comm. Ratio est, quia cum ageretur de defectu respective notabili, et ad finem intentum pernicioso, tenebatur ex se, etiam non interrogatus, hujusmodi defectum ex justitia manifestare, monendo Conductorem de tali vitio equi; et non monendo evincitur, voluisse causare damnum inde subsecutum per mercium detrimentum: quod proinde ipse tenetur Sempronio reficere. Sicut in materia restitutionis dicitur de *muto*, qui poterat, ac ex justitia tenebatur clamare ad impediendum damnum, et non clamavit; ideoque damnum evenit; ad cujus propterea refectionem communiter obligatus adjudicatur. Dixi nihilominus in responsione, Sejum teneri reficere damna Sempronio *per se loquendo*; quia per accidens, potest saltem in foro conscientiæ, a tali onere excusari. Etenim excusatur primo, si, quando locavit equum, et ipse ignorabat tale vitium ejusdem; unde equum tradidit Conductori bona fide; in hoc enim casu eximitur ab obligatione refectionis, quia non fuit in culpa: imo juxta Bartholomæum a S. Fausto de Loc. et Cond. quæst. 25, num. 2, potest in hoc casu adhuc exigere mercedem, et Conductor hanc ipsi solvere tenetur. Secundo neque tenetur reficere damna in foro conscientiæ, si omisit Conductorem monere ex vera naturali irreflexione, ac positiva oblivione, et inadvertentia; quia etiam in tali casu omissio monitionis non fuit culpabilis. Tertio si Conductor eidem dixit, quod esset translaturus merces in montana, vel ad alium locum, ad quem transeundum

non erat per aquam ; sed hic alio perrexit ; tunc enim Conductor sibi imputare debet damnum secutum, et Locatori solvere mercedem. Vide laudatum a S. Faust. l. c.

CAS. III. — Rusticans Nobilis in loco Diœcesis consulit Parochum, an satisfaciat propriæ conscientiæ, si filio spurio, quem ipse habuit ex damnato coitu, relinquat pura alimenta necessaria ad ejus vitam. Quid respondet Parochus ?

Respondet, ipsum sic propriæ conscientiæ probabilius non satisfacere, supposito, quod istud relictum non sit secundum quod ei suppetunt facultates. Ratio desumitur ex cap. *Cum haberet de eo qui dux. in Matr.* ubi Clemens III. loquens de ministrandis a parentibus filiis ex adulterio genitis, in fine sic scribit cuidam Episcopo : *Sollicitudinis tuæ interesset, ut uterque* (Pater nempe, et Mater) *liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret.* En quod Pontifex hisce ministranda a parentibus non restringit ad pura alimenta, iis necessaria ad vitam ; sed ea definit mensuranda secundum parentum facultates. Ergo si facultates Nobilis, uti supponitur, tales sint, ut secundum hanc mensuram spurio quid plus sit relinquendum, ille non satisfacit propriæ conscientiæ isti relinquendo pura alimenta necessaria ad ejus vitam. Nec opponas, textum dicere *Necessaria subministret*, et illud in re qualibet dici necessarium, sine quo res nequit consistere : unde in casu venire pura alimenta necessaria ad vitam. Contra enim : textus non dicit præcise *necessaria subministret ;* sed *secundum quod eis suppetunt facultates :* per hoc volens innuere, quod si ultra ea, quæ sunt simpliciter, et ad vitam necessaria, ferant facultates, ut eisdem ministrentur etiam quæ necessaria sunt ad bene, et commode vivendum, hæc a parentibus iis quoque ministrentur. Et hæc textus intelligentia non solum eruitur ex ipsismet verbis relatis, verum etiam colligitur ex eo, quod in jure non dicimur posse aliquid facere, nisi commode illud facere possimus, l. *Nepos Proculo ff. de Verb. signif.* etiam

alibi. Accedit, naturali quoque pietati congruere, quod cum valde amplæ, ac pingues suppetunt parentibus facultates, etiam spuriis relinquatur, unde convenienter vivant; siquidem omnes filii a Deo, et natura æquales sunt; ac ex mero humano invento posita est inter legitimos, et illegitimos differentia, et inæqualitas; imo licet spurius, jure humano, non Patrem, sed Matrem sequatur, ne sit paternæ gloriæ, ac nobilitatis particeps, l. *Cum legitime ff. de stat. hom.* sed in rigore quoad hoc par sit conditio spurii, illustri patre procreati, et ejus, qui ex plebejo; l. *Si spurius, ff. unde cognat.* usu tamen inductum est, quod Majorum splendor, et natura aliquid honoris etiam spurio tribuant, ut experientia compertum est. Sicque attenta hac consuetudine, est paternæ pietati consonum, quod Nobilis in casu, ultra alimenta necessaria ad vitam, filio spurio relinquat, quo congruenter vivat. Et de facto S. Pius V. tam in Const. *Quæ ordini*, quam in alia *Ad Romanum spectat*, prohibuit quidem Clericis, filios suos spurios hæredes instituere de bonis acquisitis ex fructibus sui Beneficii Ecclesiastici; at eisdem non vetuit congruam sustentationem et filiabus congruam dotem etiam testamento exinde relinquere. Vide Giribaldum in 4 Dec. Præc. cap. 3, dub. 5, et 6, per tot.

MENSE MARTII.

CAS. I. — Quis videt domum vicini diripi, et tacet, nec impedit damnum, quod cæteroquin commode posset impedire. Qu. An teneatur ad ullam restitutionem?

Resp. cum dist. Vel hic ex iis est, qui ex officio, ac per consequens ex justitia tenentur impedire hujusmodi damnum: vel non. Si primum; dico, ipsum teneri ad integram refectionem damni, et adæquatam Vicino restitutionem; suo namque pernicioso silentio censetur in casu injusta causa totius damni eidem illati; quandoquidem justitia ipsum adigebat in tali casu non tacere, et damnum vociferando impedire; cum casus exprimat, quod istud impedire commode posset. Unde direptore

non restituente, tenetur ipse pro suo posse ad integram restitutionem. Accedit quod tacendo in hac circumstantia, censetur in damnum implicite ac tacite consensisse. Jam vero *facientem, ac consentientem par pœna constringit, Can. Notum* 2, *quæst.* 1, *et reus est furti, qui furti conscius, possessore quærente, non indicat, Cap. Qui cum fure de Fur.* Si secundum; dico, ipsum non teneri ad ullam restitutionem. Ex quo enim tacendo non impediverit damnum, quod cæteroquin impedire commode poterat, infertur quidem, quod peccaverit contra charitatem, obligantem ad impediendum proximi damnum, cum id commode fieri potest; at non infertur, quod peccaverit etiam contra justitiam commutativam, ex cujus sola læsione inducitur obligatio restitutionis, ut cum D. Thoma 2, 2, quæst. 62, art. 7, ad 3, tradunt DD. comm. idem asserentes, etiamsi quis in hoc secundo casu tacuisset ex odio, invidia, aut alia passione; siquidem malevolentia cordis ex se non inducit obligationem restitutionis, bene vero violatio justitiæ commutativæ.

CAS. II. — Confessarius dubitans, an Pœnitens sit satis dispositus, ipsum absolvit sub conditione *si es capax*. Qu. An bene?

Resp. cum dist. Vel urget necessitas statim absolvendi hujusmodi Pœnitentem, puta, quia ægrotat in extremis, ac est periculum in mora; et tunc dico, Confessarium bene sic illum absolvere. Vel nulla urget necessitas pro eo tunc eumdem absolvendi; et in hoc casu dico, Confessarium male sic illum absolvere. Ratio primæ partis est, quia statim ac urget necessitas illico absolvendi Pœnitentem, simul etiam emergit urgens motivum eidem statim succurrendi eo meliori modo, quo in tali circumstantia id fieri potest. Cum ergo Confessarius prudenter dubitans, an Pœnitens sit satis dispositus, nequeat hunc absolvere absolute, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis (nullum siquidem esset, si revera illi deesset aliqua essentialis dispositio,) hinc fit, quod bene se gerat illum absolvendo sub præfata conditione. Vel etenim Pœnitens hac in circum-

stantia vere est rite dispositus; et tunc, cum Confessarius intendat in hac hypothesi ipsum absolvere, conficitur Sacramentum; et sic ille remanet absolutus. Vel non est dispositus, quantum satis est ad valorem Sacramenti; et tunc, quia Confessarius per conditionem appositam intendit non conficere Sacramentum, hujus reverentiæ cautum est, ac nihil positum in esse, non obstante illa materiali prolatione Absolutionis. Ratio postea sec. part. est, quia ad usum licitum Absolutionis conditionatæ requiritur aliqua necessitas; ut docet, ac de communi testatur Benedictus XIV. de Syn. Diœc. lib. 7, cap. 15: hac enim seclusa, velle absolvere sub conditione, est aperte recedere a consueto, et antiquissimo usu, ac praxi totius Ecclesiæ; proindeque illicitum. Moneo hic tamen, quod, licet Confessarius, prudenter dubitans de sufficienti Pœnitentis dispositione, debeat extra casum necessitatis differre Absolutionem, usquequo ipsi constet de sufficienti dispositione; nihilominus ut licite absolvat, ipsi necessaria non est certitudo infallibilis; nam secus vix ullus posset absolvi, ut cum Suarez recte advertit de Ligorio lib. 6, tract. 4, cap. 1, dub. 461, cum quæcumque signa Pœnitentium non præstent nisi probabilitatem dispositionis. Illi ergo satis est, ut absolute possit Pœnitentem absolvere, quod hic ei præbeat fundamentum efformandi prudens judicium probabile de sui dispositione sufficienti; cum enim *materia prudentiæ sint singularia contingentia, circa quæ sunt operationes humanæ, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur*, ut ait S. Thomas 2, 2, quæst. 47, art. 9, ad 2, quemadmodum nec in Pœnitente tanta requiritur dispositio, ut major, seu intensior in eo esse non possit, ut alibi monuimus, et colligitur ex Catechismo Romano de Pœnit, num. 60, dicente: *Si audita Confessione* (Sacerdos) *judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem Pœnitenti omnino defuisse, absolvi poterit.*

CAS. III. — Orta est non levis contentio inter duos Confessarios, affirmante uno, damnatam esse modo sen-

tentiam dicentium, quod dispensatus a carnibus in Quadragesima possit sero cœnare, id vero alio negante. Cuinam ratio adjudicanda ?

Resp. hactenus esse adjudicandam neganti : quamvis enim a Benedicto Papa XIV. pro tali tempore, aliisque Vigiliis de præcepto infra annum vetita sit promiscua comestio epularum; et ab eodem præceptum legatur Episcopis, eorumque Delegatis, ne ulli indulgeant diebus Quadragesimæ, valetudinis causa, carnibus vesci, nisi adjecta lege religiose servandi alteram jejunii partem, quæ consistit in unica comestione; tamen damnata ab eo non legitur, neque hactenus ab ejus Successore Clemente Papa XIII. fel. regn. opinio asserentium, dispensatos posse sero cœnare. Quinimo ipsemet Benedictus XIV. in sua Constit. *Cognovimus*, quæ est 55, tom. 1, sui Bullarii, respondens postulato Archiepiscopi Valentiæ super hoc, expresse declaravit, in Constitutionibus super jejunio editis, mentem suam non fuisse definire, an qui Ecclesiastica auctoritate a jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant; bene vero præcipere Episcopis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicæ comestionis norma. Ea formalia verba præfatæ Constitutionis, editæ die 12 Maii 1742 : *Laudavimus Pastoralem sollicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter aliquot tuæ Diœcesis disputationem de sensu litterarum Nostrarum, quibus quo pacto Ecclesiastici jejunii lex observanda, aut solvenda sit, constituimus. Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem litteris definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Episcopis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicæ comestionis norma. Ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto etc.* Idem declarasse videtur etiam in Constitut. *Si Fra-*

ternitas § 1, quæ est 99, tom. 1, cum innuit, ipsi per editas Constitutiones animum non fuisse definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex ab ipso proposita jejunandi regula; ut clarius exprimit apostilla ad talem paragraphum per hæc verba : *Pontifex, non disceptantium quæstionibus, sed disciplinæ relaxationi obviam ire intendit.* Ergo quantum attinet ad præfatam opinionem, hæc hactenus damnata non est, sicque ratio adjudicanda neganti.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — Sabbato Sancto, cum facienda est fontis Baptismalis benedictio, et renovatio, caret Parochus ruralis novis Oleis benedictis, quæ præ nimia distantia a Civitate, aut alia de causa, obtinere non potuit. Qu. primo, quid faciet quoad benedictionem fontis? Secundo, quid quoad ministrandum Parvulis Baptisma, si occasio offeratur, antequam nova Olea habeantur?

Resp. quantum ad primum, faciendam a Parocho aquæ benedictionem, omissa pro eo tunc immissione oleorum sacrorum, usquequo nova olea advenerint; ut recte tradit Bauldry, Man. Sac. Cær. part. 4, cap. 11, art. 4, num. 9, et Pignattarius cap. 14. Manualis Sacr. Rit. pro Majori Hebdom. anno proxime elapso pro secunda vice Bononiæ editi typis Longhi. Ratio est, quia ex una parte Fontis Baptismalis benedictio tali die omittenda non est, nedum quia præscribitur a Rubrica, verum etiam quia Baptismus per Apostolum ad Rom. 6, significat Mortem, Sepulturam, et Resurrectionem Christi, quæ potissimum hac die celebrantur, ut ex Ruperto notat Gavantus ad Rub. Miss. de Sab. Sanct. Ex alia illicitum est, ob meram fontis benedictionem tunc oleis veteribus uti; prout colligitur ex Concilio Lugdunensi, relato in Can. *Si quis de alio* dist. 4, de Consecr., ac ex cap. *Litteris* de Consecr. dist. 3, præcipitur namque olea vetera comburi, et nova adhiberi. Ergo Fontis benedictio debet fieri a Parocho modo possibili, nimirum, per benedictionem aquæ, huic postea immiscendo nova olea, cum

advenerint : ad quem finem ea quamprimum habere curabit. Atque hoc esse conforme Decretis Sacræ Rituum Congregationis, patet ex decreto ab ea edito in Lucana die 12 Aprilis 1755, sub hisce terminis : *Qui ante fontis benedictionem olea sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim, ac separatim in aquam mittere poterunt.* Quantum ad secundum respondeo cum distinctione : Vel hi parvuli baptizandi, sunt in mortis periculo ; vel extra tale periculum. Si in mortis periculo ; dico, oleum vetus posse, imo in eo casu debere cum eis adhiberi, isto eosdem ungendo. Ratio est, quia Canones præcipientes non adhiberi olea vetera, excipiunt casum necessitatis, seu periculi mortis, ut constat expresse ex allato Can. *Si quis de alio*, hæc habente : *Si quis de alio chrismate, quam de illo novo, quod proprii Episcopi largitione, vel concessione accepit, baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.* Si vero sunt extra mortis periculum, tunc inquit Gobat. de Baptism. cas. 16, num. 511, posse totum Baptismum differri, vel si in Diœcesi vigeat usus antiquis utendi, hujusmodi usum servari ; quia consuetudo rationabilis potest derogare Ecclesiasticæ legi contrariæ, etsi pervetustæ. Ubi tamen talis consuetudo non viget, et sit instantia, quod baptizetur infans, censeo cum præfato Pignattario ibid. pro tunc omittendas esse unctiones, ac baptizandum infantem reliquis præmissis ; nam etiam Rituale Romanum, cui in tali casu standum est, vetat in hujusmodi circumstantia usum olei anni elapsi. Hinc modo mox dicto baptizabitur infans, supplendo postea unctiones quamprimum advenerint nova olea.

CAS. II. — Mandatarius post mortem Mandantis dedit damnum sibi commissum. Qu. An teneantur hæredes Mandantis restituere ?

Resp. cum dist. Vel Mandans retulit mandatum etiam post mortem suam : vel non. Si retulit ; dico, hæredes Mandantis in casu teneri restituere. Ratio in primis est, quia ipsi repræsentant personam Defuncti, tam

quoad jus agendi, quam quoad obligationes reales; cum hæ ad ipsos devenerint una simul cum hæreditate. Deinde supposita dicta relatione, mandatum finem non habuit per mortem mandantis; ut patet ex *l. Si vero* § *fin. ff. Mandati*, et alibi in jure; prout notat Giribaldus de Contractib. cap. 13, dub. 1, num. 9. Hinc sicuti si Mandans vitam diutius protraxisset, nimirum, post executionem mandati a se dati, ipse teneretur ad restitutionem, hoc est, ad refectionem, et quidem adæquatam, damni ex suo mandato subsecuti; ita in casu ad eamdem tenentur ipsius hæredes. Quod si Mandans non retulit mandatum post mortem, tunc subdistinguo : Vel antequam Mandatarius dederit damnum, ipsi innotuit mors Mandatis : vel non. Si primum; dico, hæredes non teneri restituere, quia tunc, ante damnum illatum, mandatum re integra vere finitum erat morte Mandantis; ut expresse habetur in *l. Mandatum*, *Cod. Mandati;* ideoque si Mandatarius post notam mortem Mandantis damnum dedit, hoc intulit non ex mandato, sed ex se; non quatenus sibi commissum, sed quia a se volitum : ad proinde ipse tenetur ad illius refectionem. Si secundum; dico, quod illud intulerit ratione accepti mandati, et ob ignorantiam mortis Mandantis tenentur hæredes ipsum relevare ab onere refectionis, prout innuere videtur Glossa in præfata *l. Mandatum*, nam tunc adhuc tenore mandati Mandatarius egit.

CAS. III. — Titius jam a tribus annis nonnullas arbores ex aliena in propriam villam transposuit, ubi radices fixerunt. Qu. An easdem arbores extantes teneatur restituere?

Resp. neg. sed tantum reficere damnum, juxta peritorum æstimationem. Ratio est, quia per immissionem radicum in suo fundo, translatum in ipsum est earumdem dominium, per textum clarum in §. *Si Titius Instit. de rer. divis.*, ubi dicitur, quod si Titius alienam plantam in fundo suo posuerit, ipsius est; et si e contrario suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit, dummodo in utroque casu ibidem radices egerit. Quod etiam in foro conscientiæ locum habere tradit; ac

probat Aragonius de Dominio col. 40, vers. Tertia conclusio fol. 102, potest namque lex humana, etiam dominis invitis, juste facere translationem dominii. Neque inferas : Ergo in foro conscientiæ licebit alienas plantas surripere, et in fundo proprio transplantare, cum intentione restituendi æstimationem. Nego siquidem illatum ; non enim est semper bona illatio ex factis ad facienda ; cum multa post factum teneant, quæ fieri prohibentur. Concedo igitur et ego, surripientem invito domino alienas plantas peccare contra justitiam, et charitatem ; dico tamen, quod post factum illicitum, si alienæ plantæ in proprio fundo transplantatæ ibi radices egerint, tunc earumdem dominium translatum est in dominum fundi, ideoque quod hic non tenetur amplius restituere plantas, sed tantum reficere damnum priori domino, juxta peritorum æstimationem : sicuti qui alienum frumentum seminavit in agro suo, præcise tenetur reficere domino damnum, ex furto ejusdem illi causatum. Quod si plantæ nondum radices egerint, tunc et ipsæmet plantæ restitui, et totum damnum, quod inde domino resultavit, refici debet.

MENSE MAII.

CAS. I. — Furatus est Sergius uvam, ex qua fecit vinum, lanam, ex qua fecit pannum, etc. Qu. An teneatur restituere ipsum vinum, pannum, etc. ?

Resp. cum Palao, Layman, La Croix, et aliis, probabilius esse quod sic ; saltem si dominus uvæ, lanæ etc. agat contra Sergium ad hunc finem. Ratio est, quia quando Sergius fecit ex uva vinum, ex lana pannum etc., optime sciebat, sive uvam, sive lanam, non esse suam, sed alterius : quem verisimiliter credere poterat esse etiam invitum, quod ipse inde faceret vinum, et pannum, ac optare rei sibi ablatæ restitutionem. Jam vero quando quis mutat in aliud rem alienam, sciens esse alienam, per hujusmodi specificationem non transfertur rei dominium in specificantem, sed remanet penes priorem dominum ; cui proinde, non obstante specificatione,

reddenda est. Textus est clarus in l. 22, § 3, *ff. Ad exhibendum*, ubi dicitur, Mustum, et Oleum esse meum, quod sit ex uvis, aut olivis meis ab illo, qui sciat illa esse mea; *quia* (nota bene) *si faciet sciens rem esse meam, censetur mihi donare operam suam.* En, quod res dicitur manere prioris domini, et quod specificator censeatur illi donare operam suam. Ergo priori domino, saltem ad hunc finem agenti, sive vinum, sive pannus a Sergio in casu restitui debent. Neque opponas legem *Adeo quidem ff. de acquir. rer. Domin.* ubi verius dicitur nostrum assertum, quando species reverti, hoc est, denuo redire potest ad priorem statum; secus vero quando e contra, ut in casu nostro, in quo propterea specificans, juxta eamdem legem, evadit dominus; adeoque sufficit, quod priori domino restituat valorem, secundum æstimationem. Ne opponas, inquam; id enim valet, quando specificatio facta est bona fide, ut recte ibidem advertit Glossa v. *Suo nomine*, cui et ego subscriberem in casu præsenti, si Sergius uvam in vinum, et lanam in pannum bona fide convertisset. Ast hic res e contrario se habuit; Sergius namque et uvam, et lanam abstulit mala fide; et primam in vinum, ac secundam in pannum mala pariter fide convertit, cum probe noverit, se convertere in aliud rem furatam, et dominum talis rei verisimilius malle restitutionem suæ rei, quam quod ab ipso pro se converteretur in aliud. Ergo non ista lex *Adeo*, sed illa prior in casu locum habet, juxta quam propterea vinum, et pannus domino uvæ, et lanæ ablatæ, eo saltem agente ad hunc finem, dari debent.

CAS. II. — Plures eodem loco, et tempore, Sempronio grave damnum scienter intulerunt per minuta furta, ab unoquoque eorum ita divisim commissa, ut nullus alium juverit, nec in causa fuerit, ut alius concurreret. Qu. An mortaliter quilibet eorum peccaverit, et sub mortali restituere teneatur?

Resp. neg. quoad utramque partem. Ratio est, quia in rigore quilibet intulit damnum leve, nullam habens conjunctionem cum damnis illatis ab aliis; solumque ii

omnes habuere simultatem loci, ac temporis, nullo modo in casu influentem sive in alios, sive in damnum ab istis illatum; et sic quilibet venialiter tantum peccavit; ideoque sub veniali ad meram refectionem damni, a se respective illati, tenetur. Nec refert scientia de damnis eodem loco, et tempore illatis ab aliis; cum enim hæc de se nec conspirationem inducat inter fures, nec furtum unius faciat esse partem furti alterius, sed quilibet disparate suam fecerit levem actionem furtivam, et hanc præcise intenderit; hinc fit, quod quilibet peccavit, ac habet onus restitutionis, secundum quod ipse abstulit: quod proinde cum sit quid leve, leve etiam peccatum, et onus restitutionis consimile induxit. Nec quis reponat, data hac sententia secuturum hoc absurdum, quod nempe si aliquis modo prædicto bonis omnibus a pluribus despoliaretur, nemo teneretur sub mortali illum reintegrare. Nego enim cum P. Cuniliati de Restit. in partic. cap. 5, § 1. num. 6, id fore absurdum in tali casu, ac dico, rem ita se revera habituram per accidens. Absurdum sequi videtur potius in opposita sententia, nimirum, quod qui absque ulla conspiratione cum alio intendit leve tantummodo auferre, ac revera leve tantum abstulit, reus sit peccati mortalis, et sub mortali teneatur restituere; sicut qui cum pluribus conspiravit ad auferendam, et cum iisdem abstulit notabilem quantitatem. Vide laudatum Cuniliati loc. cit.

CAS. III. — Data est res duobus in emphyteusim, quorum unus non multo post mortuus est. Qu. An ista emphyteusis accrescat superstiti?

Resp. neg. cum Rosignolo de Emphyt. prænot. 10, num. 3, ni specialiter fuerit aliter conventum. Rationem quamplures desumunt *ex l. Si mihi et Titio ff. de Verb. Oblig. quæ dicit. Si mihi, et Titio, cujus in potestate non sim, stipuler decem, non tota decem, sed sola quinque mihi debentur.* Ubi Glossa, Bartolus, aliique notant, jus accrescendi locum non habere in Contractibus, cujusmodi est propositus in casu; bene vero in ultimis Voluntatibus. Quoniam vero isthæc assertio suis non caret exceptionibus, imo et oppositionibus, ut vi-

dere est apud Baldum ibid. aliosque, ideo responsionem probo hac alia ratione : Ut emphyteusis accrescat superstiti, necessario requiritur, quod hujusmodi accretio subsequatur, vel ex natura talis Contractus, vel ex pacto, aut de consensu utriusque partis contrahentium ; concedens namque aliqua in emphyteusim, de jure ad id trahi nequit invitus. Atqui dicta accretio non subsequitur ex natura Contractus, prout omnes fatentur ; neque ex pacto, uti supponitur ; neque ex mutuo ipsorum contrahentium consensu, cum hic (quando aliud non exprimitur) ex parte concedentis in emphyteusim potius sit, quod mortuo uno ex emphyteutis portio defuncti ad se revertatur habentem jus proprietatis, et non accrescat alteri emphyteutæ : et ipsi accipientes in emphyteusim directe non intendant acquirere, et lucrari socio, bene vero sibi, ac posteris suis : Ergo etc. Hinc, si emphyteusis concessa fuerit pro Patre et Filiis, mortuo Patre, res emphyteutica tota quidem regulariter transit ad Filios, quia intelligitur conventa, et facta pro illius stirpe ac genere, ob naturalem inter ipsos conjunctionem ; imo etiam mortuo uno ex duobus Filiis, tota transit ad superstitem, quia stirps, ac genus salvatur in uno. At concessa duobus, vel pluribus extrance ac disparate se habentibus, res ita se non habet, si aliter non fuerit expressum et conventum, ob rationem allatam ; ac propterea uno mortuo, emphyteusis superstiti non accrescit.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Titius mutuo accepit centum scuta in moneta aurea ; nunc vero, cum solutionis tempus advenerit, vult restituere in moneta ærea. Qu. An licite hoc faciat ?

Resp. cum dist. Vel fuit conventum de qualitate monetarum, in qua solutionis tempore deberet fieri restitutio : vel non fuit conventum. Si non ; dico, Titium, saltem in nostra Italia, et quando id incommodum non sit mutuanti, utique posse id licite facere. Ratio est,

quia leges, statuentes quod restituatur pecunia ejusdem generis, seu speciei, uti est lex *Cum quod ff. si cert. petat.* lex 80, *ff. de solut.*, per consuetudinem in contrarium in nostra Italia fuerunt abrogatæ, ut facilius inter homines habeatur commercium, innumeræque evitentur lites, ut passim monent DD.. ususque invaluit, ut per quamcumque speciem Monetæ currentis et platealis mutuum restitui possit, dummodo tot restituantur, quot requiruntur ad adæquandam summam acceptam; et monetæ, quæ mutuatori restituuntur, eidem damno, aut incommodo non sint; sic enim servatur æqualitas inter datum et acceptum, ac locum habet justitia commutativa. Hinc si Titius æreas monetas restituendo ita se gerat, ac monetæ æreæ damno, aut incommodo, in casu, mutuatori non sint, dico, Titium id licite facere; secus vero si hujusmodi restitutio damnum, aut incommodum afferat mutuanti; cum enim mutuum principaliter fiat in bonum, ac commodum Mutuatarii, esset bonis moribus ac æquitati dissonum, quod hic beneficium acceptum mutuatori rependeret restitutione monetæ, in cujus implicatione damnum, vel incommodum haberet. Ad quod respexit Bonacina, cum scripsit: *In Italia usu receptum est, ut solutio fieri possit in qualibet pecuniæ specie, præcisa tamen ærea, præsertim in magna quantitate, cum hæc nonnullam afferat accipienti incommoditatem.* Quod si Titium inter ac mutuantem fuit conventum de qualitate monetarum, in qua, tempore solutionis, deberet fieri restitutio; tunc dico, Titium hanc illicite facturum in moneta ærea, si conventio fuit de ea facienda in alia specie monetarum, puta, aurearum, vel argentearum; pacto namque et conventioni standum est, quando hæc justa fuit ac legitime facta; proindeque si Titius, inita conventione de restitutione facienda in monetis aureis, vel argenteis, eam facere velit in moneta ærea, in hoc casu illicite hoc fecit. Neque dicas, conventionem fieri potuisse etiam de facienda restitutione in monetis ejusdem speciei, puta, in zecchinis venetis, et quod hi interim creverint in valore: profecto in hoc casu non teneretur mutuatarius restituere mutuanti tot zecchinos, quot ab eo accepis-

set; sed sufficeret, quod daret tot, quot adæquant summam tot scutorum 100 acceptam. Ergo etiamsi convenerint de restitutione facienda in moneta aurea, vel argentea, sufficit, quod ei restituat centum scuta in moneta ærea. Contra enim, transmisso antecedente, quod a pluribus negatur, nego consequentiam : et dico, rationem esse, quia tunc attenderetur valor, quem haberet pecunia tempore restitutionis, et conventio fuisset quoad qualitatem, non vero quoad quantitatem monetarum, quibus restitutio fieri debuisset. Et sicuti quamvis mutuatarius non debuisset totidem zecchinos venetos eo in casu restituere, tamen debuisset restitutionem facere in hujusmodi zecchinis ob conventam determinatam speciem monetæ; ita quia in casu nostro supponitur facta conventio de facienda restitutione in monetis aureis, vel argenteis, in his, et non in æreis, tenetur Titius restituere.

CAS. II. — Furtive sustulerat Cajus Sempronio gemmam, quam facti pœnitens volebat illico ei restituere : Ast hic dixit ei, ut penes se illam adhuc teneret per aliquot dies, intra quos tamen fuit ei ab alio furto sublata. Qu. An Cajus teneatur restituere aliquid Sempronio ?

Resp. cum dist. Vel ab alio fuit furto sublata ob mortalem incuriam Caji in ea custodienda : vel non. Si non, dico, Cajum non teneri aliquid Sempronio restituere. Ratio est, quia in hoc casu ipsi non inest talis obligatio ratione actionis furtivæ, a se factæ; neque ratione furtivæ actionis, factæ ab alio. Etenim ei non inest ratione suæ actionis, quia cum illico facti pœnitens voluerit gemmam Sempronio restituere, moraliter non distraxit dominum a possessione ejusdem gemmæ; et sic, quamvis apud Deum culpabilis sit de actione furtiva, qui revera manum rapacem extendit ad rem alienam; tamen quia eamdem statim suo domino restituere voluit, nec fuit in mora culpabili quoad illius restitutionem, ideo apud homines non habetur pro fure; et tam apud istos, quam apud Deum, ratione præfatæ immediatæ restitutionis, seu oblationis rei factæ domino, illico in eo cessavit furis obligatio, ac de fure evasit depositarius.

Neque illi inest ratione furtivæ actionis, factæ ab alio, quia restitutionis obligatio oritur ex gravi læsione justitiæ commutativæ, quæ gravis læsio in eo non fuit, semel ac in custodia gemmæ, penes ipsum quodammodo depositæ, non habuit mortalem incuriam; in hoc enim casu alter censetur causa furti, non ipse; sicque non ipse, sed alter tenetur ad restituendum Sempronio, oppositum tamen sentio, si in gemma custodienda fuit in Cajo mortalis incuria, et ob hanc alter gemmam surripuit; nam statim ac dominus gemmæ eidem dixit, quod per aliquot dies penes se illam adhuc teneret, reliquit quodammodo ipsi onus restitutionis, non quidem ut furi, nam furis figura, et obligatio cessaverat per oblatam restitutionem rei ablatæ; sed tanquam Custodi, ac Depositario, qui propterea tenebatur debitam adhibere diligentiam in gemmæ custodia, vel Custodis, ac Depositarii officium recusare. Cum ergo istud voluntarie assumpserit; et per hujusmodi assumptionem tacite semet-ipsum simul obligaverit ad eas leges, quibus adstringuntur alii Custodes, et Depositarii: hinc fit, quod sicut alii mortaliter delinquentes in omissione debitæ diligentiæ circa custodiam rei, ipsis in custodiam traditæ, obligantur ad restitutionem, seu damni refectionem, si talis res furto auferatur; ita ob mortalem incuriam consimilem, in casu habitam a Cajo in custodienda gemma Sempronii, propterea ab alio furto sublata, tenetur Cajus, fure non restituente, Sempronio restituere, seu reficere damnum.

CAS. III. — Quis emit equum ex pecunia aliena. Qu. An equus obligatus existat emptori, an vero domino pecuniæ, et si pereat, cujus damno pereat?

Resp. cum dist. Vel hic fecit hujusmodi emptionem nomine ipsius domini pecuniæ: vel nomine proprio. Si primum; subdistinguo: Vel hoc fecit ipso domino sciente, et consentiente; et in tali casu dico, equum obligatum existere domino, et si pereat, ejusdem damno perire; quia in hoc casu res ita se habet, proinde ac si idemmet dominus equum emerit, idve hic egerit per emptorem, tanquam per ministrum suum, de ipsius in-

tentione, ac nomine agentem. Hinc sicuti aliæ res ex. gr. emptæ per famulum de consensu domini, huic obligatæ existunt, et si pereant, huic pereunt; ita etc. Vel id fecit domino inscio, aut invito; et tunc dico cum Petro Navarra de Restit. cap. 6, dub. 1, num. 18., equum non domino pecuniæ, sed ipsi emptori obligatum existere, quousque ipsemet herus non consenserit; ac propterea equo interim pereunte, emptori perire; ut patet exemplo possidentis mala fide alienam pecuniam, quam si hic periculo exponat, et pereat, ipsi perit, et domino tantumdem tenetur restituere, ut cum S. Thoma 2, 2, quæst. 78, art. 3, tradunt Giribaldus, aliique comm. Hinc in *l. Si alieni nummi ff. de solut.* nummorum domino dicitur competere actionem furti contra eum, qui ipsos dedit, seu alienavit. Si postea emptor fecit hujusmodi emptionem nomine proprio; tunc dico, ipsi equum regulariter obligatum existere, cum onere reficiendi tantumdem domino pecuniæ; et si equus pereat, ejusdem emptoris damno perire, ut aperte colligitur tum ex *l. Si quis alteri, vel sibi, Cod. de rei vendit.* ubi habitur : *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quærit;* tum ex *l. Si ex ea, ibid.* ubi consimilia leguntur : idque vel ex eo, quia emptio est actio personalis, acquirens jus personale ementi, ut ait Pasqual. QQ. Moral. Canon. Centur. 3, quæst. 264.; vel quia est lucrum industriæ, non pecuniæ, ut ait Giribaldus de Mut. et Usur. dub. 13, num. 141. Addidi nihilominus ly *regulariter* in responsione, quia casu, quo pecunia fuerit Ecclesiæ, pupilli, minoris, vel militis, DD. communiter monent, rem emptam istis acquiri, ut videre est apud Salmanticenses de Empt. et Vend. punct. 3, num. 29, in fine.

MENSE JULII.

CAS. I. — Titius ut se ab inimico defendat, ipsum occidit, cum satis illi erat ipsum mutilare. Qu. An ad re-

fectionem damnorum teneatur? et quid dicendum, si poterat et mutilationem fugiendo declinare?

Resp. quoad primum, Titium teneri ad refectionem damnorum, ad ratam excessus. Ratio est, quia secundum jura licet quidem vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ; non tamen uti majori violentia, quam oporteat. Propterea cum hæc quantum ad excessum illicita sit, ac injusta; ideo ad ratam excessus tenetur Titius ad refectionem damnorum. Neque dicas, quod cum sit nimis difficile in hujusmodi casibus se continere intra limites prædicti moderaminis, idque scire posset invasor, debebat a Titii invasione desistere; alias cessisse creditur juri suo in casu excessus; ideoque quod Titius ad nihil teneatur. Contra enim, est nimis difficile se continere intra limites etc. quando se defendens mere non intendit conservationem propriæ vitæ, prout intendere debet, concedo; secus, nego: licita enim defensio juxta S. Thomam 2, 2, qu. 64, art. 7, *importat actum proportionatum fini; et ideo si aliquis ad defendendam propriam vitam, utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum*, proindeque ad ratam excessus tenetur ad refectionem damnorum. Quantum postea ad secundum, respondeo cum distinctione: vel fuga vere erat Titio graviter infamatoria, et damnosa; et tunc dico, quod cum ipse non teneretur fugere, solum obligatur ad refectionem quantum ad excessum, prout supra dictum est. Vel illi non erat graviter infamatoria, et damnosa; et in hoc casu, cum teneretur occisionem, et mutilationem fugiendo declinare, dico, ipsum teneri ad refectionem omnium damnorum, quia non fugiendo non fecit quod facere tenebatur, ut damnum evitaret, sed ipsum voluit, et sic ipsum reficere tenetur.

CAS. II. — Postquam Sejus Sponsalia contraxerat cum Berta, duxit in Uxorem Cajam, viduam relictam ex fratre ipsius Bertæ. Qu. An tale Matrimonium sit validum?

Resp. affirmat. non enim ipsum irritant priora Sponsalia cum Berta, quia ex hujusmodi Sponsalibus ortum

quidem est impedimentum publicæ honestatis inter Sejum ac Bertæ consanguineas in primo gradu; non autem cum ejusdem affinibus, ut constat ex Tridentino. Jam vero ex quo Caja sit vidua ex fratre Bertæ, solum infertur quod illa sit Bertæ affinis, non autem quod sit eidem consanguinea in primo gradu; et per consequens Matrimonium inter Sejum et Cajam non desinit esse validum ratione hujusmodi Sponsalium. Multo minus postea desinit esse tale, ex quo Caja sit Bertæ affinis; per hoc namque, quod sit affinis Bertæ, non fit etiam affinis Sejo. Hinc Sejum inter et Cajam Matrimonium in casu utique validum est.

CAS. III. — Sergius Censuarius, ut pensionem annuam, quam Cajo solvit, imminuat, fingit cum Cajo se velle censum redimere : hic tamen, fictionem bene noscens, acceptat pecuniæ restitutionem; imo cum Sergius ad hanc nunquam deveniat, obligat ipsum intra annum ad redimendum, prout sibi conceditur a jure post habitam disdictam. Qu. An licite egerit sive Sergius, sive Cajus?

Resp. Sergium in casu illicite egisse; licite vero Cajum. Ratio primi est, quia, mediante illa fictione, per dolum et fraudem tentavit inducere Cajum ad consentiendum diminutioni pensionis, cum ad talem diminutionem nullum jus habebat, imo totam et integram pensionem ex justitia solvere tenebatur; ut cum Lugo, et Tamburino recte tradit Giribaldus de Sensib. dub. 3, § 5, num. 65, ac alias decisum fuit in hisce Resolutionibus, anno scilicet 1741, ad 3 Maii; ut constat ex collectione harum Resolutionum, jam pluries edita typis Longhi. Neque opponas, fingentem se velle accusare victorem de lucro sibi facto in ludo prohibito, posse cum eodem licite pacisci de parte lucri sibi restituenda, ut ab accusatione desistat; prout apud P. Zachariam de Spons. et Lud. num 1086, § 19, docent Lessius, Tamburinus, Sporer aliique cum Diana; sicque etiam Sergium licite potuisse etc. Contra enim, nego antecedens; nam quamvis, ubi adhuc viget lex : *Alearum usus de Aleatorib.* possit victus in judicio repetere, quod in ludo vetito

amisit, ac illud recuperare intra tempus sibi a lege concessum; et sic casu, quo vere instare velit apud Judicem, licite possit etiam cum victore pacisci de parte lucri sibi restituenda, ut etc. tamen tutum non censeo hujusmodi pactum, si victus vere non habeat animum instandi apud Judicem, sed mere hujusmodi animum fingat cum victore; siquidem etiam tunc uteretur dolo et fraude, non autem juris subsidio, cum jus patrocinetur, et adsistat quidem accusare volentibus, non autem hujusmodi voluntatem fingentibus. Ex quo patet, paritatem retorqueri facile posse in favorem. Cæterum qui antecedens admittunt, dicunt, disparitatem esse, quia fingens habet jus ad instandum; quod jus cum sit pretio æstimabile, ideo cessio tali juri licite potest per pactum restitutionis partis lucri compensari. Ubi e contrario Sergius nullum jus habebat attrahendi Cajum cum illa fictione ad diminutionem pensionis, ideoque illicite tentavit Cajum ad eamdem diminutionem. Ratio postea secundi est, quia S. Pius V, in sua Bulla *Cum onus*, super hanc materiam edita, expresse, ac absolute statuit, ut intra annum, post denuntiationem, etiam ab invito pretium repeti possit: quæ verba per omnes DD. apposita fuere in favorem Censualistæ, sicque in casu nostro in favorem Caji, qui proinde licite obligat Sergium ad restitutionem. Neque dicas, Pontificem loqui in casu, quo Censuarius dixerit ex animo se velle Censum redimere; non autem quando hoc dixit, ac fecit denunciam animo ficto. Contra enim, in primis responderi posset cum Card. de Lugo de Censib. disp. 27, sect. 7, num. 220, quod potius S. Pius ad hunc finem, apposuit prædicta verba, ne Censuarius ficte denuntiet redemptionem ad extorquendam pensionis diminutionem. Deinde eadem apposuit universaliter pro quocumque factæ denuntiationis casu; nam secus quis non videt, quod ille, qui etiam animo vero redimendi denunciam fecit, posset a redemptione semetipsum retrahere, dicendo, se denunciam fecisse animo ficto? Sive ergo animo vero, sive ficto Sergius denunciam fecerit, licite obligari potest a Cajo ad pretii restitutionem.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Titius una die Cajam virginem præcise defloravit, altera vero die cum eadem copulam complevit. Qu. An simplex Confessarius possit eum absolvere?

Resp. affirmat. Ratio est, quia licet ratio formalis, ac differentialis stupri, vere consistat in fractione virginalis claustri, facta per virile membrum, ut in *can. Lex illa* 3, *quæst.* 1, § *cum ergo* notat Gratianus; tamen ad integram rationem stupri, in suo esse completi (quod solum hic, et etiam alibi intelligitur reservatum, nisi aliud exprimatur) requiritur copula perfecta, et consummata uno ac eodem defloratonis actu; omnis namque naturalis concubitus ex ipsomet naturæ ordine tendit ad consummationem; per quam proinde etiam stuprum, utpote concubitus naturalis, perficitur in suo esse, ac completur. Atqui in neutro casu hoc totum intervenit; nam Titius in primo casu defloravit quidem Cajam virginem, sed cum ea copulam non complevit per intraneam seminationem; et in secundo copulam quidem complevit, sed Cajam non defloravit, cum hæc tunc jam ab ipso defloratа fuisset altera die per actum, non solum physice, verum etiam moraliter distinctum, ac diversum; ergo dici debet quod Titius non inciderit in casum reservatum, et per consequens quod simplex Confessarius possit eum absolvere. Neque dicas, defloratonem sic facile posse reservationem eludere, virginem prius deflorando, et dein, concumbendo cum deflorata quantum vult, copulam complere in fraudem reservationis: quod non est admittendum: Sicuti enim qui casum hic reservatum committit, et in fraudem reservationis dein alio migrat ad confitendum, ubi reservatus non est, juxta celebrem Bullam *Superna* Clementis X, § 6, nequit absolvi, sed remittendus est inabsolutus ad suum Superiorem, quia fraus et dolus nemini debent patrocinari; ita idem dicendum de Titio, qui in fraudem reservationis Virginem prius solum defloravit, ac postea cum eadem copulam complevit: Ne dicas, inquam; in primis enim

casus expositus non dicit, quod Titius modo prædicto se gesserit in fraudem. At etiam supponamus, quod vere in fraudem reservationis ita se gesserit : anne ob hoc simplex Confessarius habet facultatem restrictam relate ad ipsum ? Equidem non ; id namque nullibi pro hac Civitate ac Diœcesi reperitur statutum quoad præsentem casum ; siquidem id non legitur in Synodo Diœcesana, in aliquo Archiepiscopali Edicto, neque in libello, aut tabella Casuum reservatorum ; non in Jure, neque in aliqua Constitutione Pontificia. Quid ni ergo simplex Confessarius valide ac licite possit Titium absolvere? Nec officit paritas de alio pergente in fraudem ad confitendum ; quoad hoc enim Clemens X, citato loco expresse id declaravit, prout sustinent saniores Theologi, qui post talem Constitutionem scripsere. Unde nil mirum, quod alio accedens in fraudem remitti debeat ad suum Superiorem, vel hujus delegatum, ut isti se subjiciat, et etiam hoc intuitu ab hisce perpetrandis abstineat.

CAS. II. — Gneus adhuc infantulus, ductus fuit ad locum eorum, quorum Pater et Mater ignorantur. Qu. An sit irregularis ratione natalium ; et quam pœnam incurrant sic exponentes Infantes ?

Resp. quantum ad pr. part. in rigore juris ipsum non esse irregularem ratione natalium. Ratio est, quia hæc irregularitas nullibi reperitur expressa ; imo Gregorius XIV, anno 1591, contrarium declaravit quoad expositos Confraternitatis S. Spiritus Romæ, quos pro legitimis, et capacibus Ordinum, ac beneficiorum haberi voluit, et quidem non tam in gratiam dictæ Confraternitatis, quam ipsorum expositorum : noverat enim etiam illuc duci plures legitimos, prout fit in aliis locis. Sed ubi irregularitas expressa non est, ibi adstrui non debet, *cap. Is qui, de Sent. Excom. in* 6, præcipue cum adest Pontificia Constitutio in contrarium : Ergo etc. neque dicas, *In obscuris attendi, quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit,* juxta *reg. 45 jur. in* 6. ; unde cum verisimilius sit, expositos esse illegitimos, sæpiusque exponantur illegitimi, quam alii (ex centum namque expositis, teste Garzia, et aliis, plusquam 90, sunt

illegitimi ;) ideo, etc. Contra enim, cum ducti ad præfata loca ut plurimum ignoti sint, ac delati secreto, plane non percipio, qua veracitate isti AA. adeo asseveranter referre potuerint ex 100, plusquam 90 esse illegitimos. Verum quidem est, ad hujusmodi loca plures illegitimos deferri; at simul etiam verum est, eo duci plures legitimos, ob parentum inopiam, aliasque causas, Deo, ac ducentibus notas. An tamen numerus illegitimorum adeo excedat illum legitimorum, censeo, non posse certo affirmari; proindeque promiscuam hanc delationem, dubiam quidem efficere cujusque delati qualitatem; sed quia in dubio, extra casum de homicidio, quis haberi non debet pro irregulari, ut est communis opinio, ac fuse probat Bossius de Consc. dub. part. 2, tit. 1, § 40, ideo dico, Gneum in casu de rigore juris non esse irregularem. Neque replices, Glossam illegitimum eum dicere, *qui Patrem ostendere non potest; vel si ostendit, verecundum ostendit ;* hinc cum Gneus nequeat Patrem ostendere, eum esse illegitimum; ac propterea hujusmodi ductos vocari *Bastardinos*. Contra enim, dictum Glossæ non est universaliter verum ; quot enim legitimi illuc ducuntur, qui tamen Patrem ostendere non possunt? Verum quoque non est, quod universaliter vocentur *Bastardini;* nam Pisis, et alibi, vocantur *Innocentes*, eorumque locus *Hospitale Innocentium*. Deinde loquela populi non facit jus, ut ait Baldus in l. *Nutritoribus C. commun. de Succession*. Cæterum hæc dicta velim attento jure communi, sicubi enim adsit lex aliqua particularis, vel consuetudo, ut pro illegitimis, ac irregularibus habeantur, ibi eidem standum esse non infitior. Quantum postea ad sec. part. dico, patrem sine justa causa sic exponentem filium, in hunc amittere patriam potestatem; et si Patronus exponat libertum, aut dominus servum, in hunc amittere jus servitutis. Textus est clarus in Jure Canon. cap. unico de Infant. expos. et in Jur. Civ. L. 4. C. de Infant. expos. Dico *sine justa causa :* ex causa enim justa id faciens, puta, quia aliter nequit ipsum alere, hanc pœnam non incurrit, cum non desæviat in infantem, sed potius eidem consulat. Rosignolus de Matrim. 9, disquis. 5. § 4, num. 3. Secundo

privatur Jure successionis ad bona ipsius exposîti, si qua habuerit. Non enim æquitas postulat, ut qui filios necare dicuntur, l. *Necare ff. de lib. agnosc.* in bonis, quæ habuerint, succedere debeant : Saminiatus controv. 73, num. 18, et seq. Tertio Pater exponens filium, vel filiam, non acquirit quoad usumfructum bona adventitia, quæ forte acquirunt filio, vel filiæ expositæ, siquidem fundamentum talis ususfructus est patria potestas, qua juxta dicta privatur. An tamen amittat usumfructum bonorum adventitiorum, quem acquisiverat ante expositionem, ac amissionem patriæ potestatis, communius negatur, quia patria potestas requiritur in origine ad acquirendum, non vero ad continuandum post legitimam acquisitionem : Baldus in l. 3. C. de usufructu. Posse nihilominus in pœnam a Judice privari, tradit Rosignolus loc. cit. num. 11. Quarto denique subest pœnæ extraordinariæ, Judicis arbitrio : et si dives sit, est sententia satis communis, quod teneatur loco reficere expensas. V. Rosignolum ibid. hanc materiam fuse discutientem.

CAS. III. — Mercator quidam acceptas litteras, queis monebatur de superventura penuria aromatum, laceravit, et abjecit ; illas tamen collegit alius Mercator, qui tale nuncium in sui utilitatem vertens, illum prævenit in emptione, et ex copia emptorum aromatum lucrum præripuit. Qu. An hic injustitiam in illum commiserit?

Resp. probabilius videri, quod non. Ratio est, quia statim ac Mercator acceptas litteras laceravit, et in publicum locum earumdem fragmenta abjecit, videtur eadem non amplius curasse, ac tacite cessisse juri suo, ne ab alio lectioni aptarentur, ac legerentur. Quæ enim sic in publicam viam dejiciuntur, communiter pro derelictis habentur : eaque tunc legere ex mera curiositate veniale est ; et si id fiat, ut ex illa notitia quis sibi provideat, nullum peccatum est ; nam quod pro derelicto habetur, in usum suum convertere licet ; ut post S. Antoninum, Sylvestrum, et alios tradit Roncaglia de 7. Præc. Dec. cap. 4, quæst. 5, res. 11 et si, qui illa fragmenta abjecit, de hoc est invitus, est invitus irrationabiliter ; debebat enim ea comburere, non vero in publicum deji-

cere, si ea legi nolebat; Rosignolus de Rest. 1, disq. 2, § 35. Hinc sicuti si Mercator, qui tales litteras acceperat, easdem in publico legisset voce adeo alta, ut alius Mercator percepisset in iis contentum, hic absque injustitia vertere potuisset tale nuncium in sui utilitatem, prævenIendo in emptione ipsum Mercatorem legentem, et ex copia emptorum aromatum lucrum præripere; ita videtur, absque ulla in eumdem injustitia se gessisse in casu præsenti.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. Creditor Francisci videns, se creditum suum recuperare non posse, quasi desperans illi remittit partem debiti, si reliquum solvat; quod fit. Qu. An debitor hoc tantum solvens, sit tutus in conscientia?

Resp. cum dist. Vel debitor culpabiliter se gessit in solutione facienda Creditori; vel non. Si non; dico, ipsum esse tutum in conscientia. Ratio est, quia ubi mora in solvendo non est culpabilis, sed provenit ex impotentia physica, vel morali, excusabilem reddit ipsum Debitorem; qui propterea cum Creditore, contento de mera solutione partis, potest de hac tantum solvenda licite convenire, supposito quod hic sit sui juris, dominus totius summæ, etc. nam ex una parte ipse ad integram solutionem supponitur impotens; ex alia Creditor non ita convenit proprie coactus a Debitore, sed ex suæ liberæ voluntatis arbitrio, et reliquum eidem remittit, volens, ac potens illud ei remittit, sicuti ex liberalitate illi etiam posset totum remittere. Si postea Debitor, in solutione Creditori facienda, se gessit culpabiliter, puta, fingendo se physice, aut moraliter impotentem ad solutionem totius summæ, quando vere erat, aut est potens per integrum solvere, vel protraxit data opera solutionem, ut Creditor tandem lassus petere totam summam, ac videns se habere non posse totum id, quod ipsi debetur, partem ei remitteret; et in tali casu dico, Debitorem id tantum solventem, non esse tutum in conscientia. Ratio

est, quia tunc remissio non est proprie volita a Creditore, sed coacta, et per fraudem extorta, conventa ne cogatur totum amittere; quod plane efficit remissionem invalidam; unde Franciscus in casu non est certe tutus in conscientia. Giribaldus de Restit. cap. 6, dub. 5, aliique comm.

CAS. II. Sejus indigens nummis sponte offert Cajo se illi daturum quinquaginta, si pro uno anno ipsi mutuet mille. Consentit hic, et acceptis quinquaginta, mutuo dat Sejo nongenta quinquaginta pro mille. Qu. An liceat hujusmodi Contractus?

Resp. neg. Ratio est, quia Cajus sic non mutuat Sejo mille, sed tantum 950, et tamen percipit interesse, perinde ac si mille mutuasset; in quo est manifesta injustitia; ut recte docent Castropalaus, Cardenas, et Sporer. Non licere propterea hujusmodi Contractum, est manifestum.

CAS. III. Testis pro veritate dicenda in judicio pretium accepit. Qu. An istud restituere teneatur?

Resp. affirm. cum S. Thoma 2, 2, quæst. 71, art. 4. Ratio est, quia licet quis non semper teneatur ex justitia testificari; tamen semel ac semetipsum obligavit, seu obtulit ad testificandum, tenetur ex justitia dicere veritatem; ut cum communi docet Giribaldus de Restit. cap. 4, dub. 3. Unde cum accepta pro onere debito ex justitia subsint oneri restitutionis, quia secus manifeste violaretur æqualitas, si pro eo, quod jam ex justitia absolute debitum est, aliquid amplius acciperetur; hinc fit, quod si is, qui assumpsit onus testificandi (cujusmodi est testis, de quo nobis sermo,) accepit pretium pro veritate dicenda in judicio, teneatur pretium acceptum restituere, cum ipsi indebitum fuerit. Propterea S. Augustinus, quem refert Angelicus Doctor loc. cit, Epist. 54, ad Macedon. ait: Non debere Judicem vendere justum judicium; nec testem verum testimonium. Quamquam vero a teste nihil accipi possit pro ipsa veritate dicenda, seu pro ipsomet testimonio veritatis, cum hoc in se nullum laborem, nullamque novam obligationem

contineat, eo quod unusquisque jure divino dicere tenetur veritatem; tamen si testis facere debuisset expensas, aut labores sustinere pro accessu ad Judicem, ut verum testimonium ferret; aut si se privare debuisset valore operarum, uno verbo, si illi inde emersisset aliquod damnum, seu lucrum cessasset; tunc certe in his, et aliis similibus casibus potuisset ob hæc alia motiva licite aliquid accipere, imo et exigere in refectionem, levamen, ac compensationem, judicio prudentis; hæc enim pretio æstimabilia sunt, et nemo militat suis stipendiis.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. Franciscus falso infamavit de gravi crimine Petrum coram duobus, vel tribus, quos etiam scit id aliis retulisse. Qu. An teneatur se retractare etiam coram illis, quibus hi duo, vel tres idem crimen retulerunt?

Resp. cum dist. Vel hi duo, vel tres, qui id aliis retulerunt, sunt dispositi ad semetipsos coram istis retractandos; vel non. Si sunt dispositi; dico, Franciscum non teneri se retractare etiam coram illis, etc. esto enim falsa, et infamatoria relatio, etiam ab his duobus, vel tribus aliis facta, ortum habuerit ac originem a falsa et infamatoria relatione immediate facta a Francisco; tamen causa proxima infamationis Petri penes hos ultimos fuerunt hi duo, vel tres : qui propterea si semetipsos debito modo retractant coram iis, penes quos infamarunt de gravi crimine Petrum, et ab hoc delent notam infamiæ, quam eidem intulerant, ea plane amplius delenda non superest a Francisco, ni forte istius contestatio necessaria foret ad prorsus delendam malam impressionem causatam, in quo casu concedo et ego, Franciscum teneri etiam coram his contestari, ut Petro integra sua fama restituatur. Cæterum si hoc sufficienter præstetur ab iis duobus, vel tribus, tunc non tenetur Franciscus id amplius præstare : eo plane modo, quo nil tenetur amplius restituere, qui furtum mandavit, si fur, qui rem abstulerat, per integrum domino restituat,

eidemque per integrum satisfaciat. Si postea ii duo, vel tres non sint dispositi, etc. in tali casu subdistinguo : Vel quando Franciscus penes istos Petrum infamavit, prævidit, aut prævidere facile potuit, istos non fore auditum Petri crimen celaturos; et tunc dico, ipsum teneri se retractare etiam coram illis, etc. quia in tali casu etiam ab istis facta detractio fuit a Francisco volita in causa, ut recte inquiunt Petrus Navarra, et Lessius; ac ipse per suam detractionem fuit causa hujus secundæ detractionis. Jam vero qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, ut pluries legitur in jure; quod proinde reparare tenetur. Vel non prævidit, nec prævidere facile potuit, præfatos non fore auditum Petri crimen celaturos; et in hoc casu dico, Franciscum non teneri, etc. quia hæc secunda detractio ipsi non fuit proprie voluntaria, cum sit respectu ipsius secuta per accidens.

CAS. II. Infamatorii quidem, sed veri, criminis Petrus fuit accusatus, ac per justam Judicis sententiam condemnatus; tractu tamen temporis illius infamia abiit in oblivionem. Qu. An, sine gravi læsione charitatis, et justitiæ, possit quis delicti conscius illud ignorantibus manifestare?

Resp. non posse in casu delicti conscium illud ignorantibus manifestare sine gravi læsione charitatis, supposito quod desit justa et rationabilis causa id faciendi. Ratio est, quia hujusmodi relatio in primis est ex natura sua graviter contristativa fratris, qui, si id sciret, certe rationabiliter de ea graviter contristaretur. Deinde semel ac per oblivionem ejus infamia deleta est, est contra ipsummet jus naturæ, quod ei denuo impingatur absque urgenti, et rationabili causa, adeoque contra charitatem. Dixi *supposito*, etc. quia si necesse sit illud crimen manifestare, ex. caus. ob justam defensam, tunc sine ulla læsione charitatis id fieri potest; nam ordo charitatis postulat, ut potius mihi, quam alteri consulam, si aliter me juste defendere non valeo. An postea id sit etiam cum gravi læsione justitiæ, negant plures, si sententia Judicis non solum fuit justa, verum etiam publica : affirmant vero, si publica non fuit. Ratio pr. partis

est, quia quando fuit etiam publica, per hanc reus absolute, ac in universum amisit jus ad famam, ac secretum ipsi servandum ; ea namque expressa intentione delinquentes per sententiam puniuntur, ut eorum delictum, ac pœna omnibus, et semper innotescant, et sic alii horrore pœnæ a delinquendo arceantur. Ratio sec. part. est, quia quando sententia, ac punitio non fuit publica, condemnatus adhuc retinuit jus ad famam penes ignorantes ejus crimen, et hujusmodi sententiam, ac punitionem : cum enim Judex ipsum non diffamaverit per sententiam publicam, tali jure non fuit a Judice privatus ; et sic qui penes ignorantes ejus delictum manifestat, violat jus illius, maxime si infamia, inde orta, tractu temporis abiit in oblivionem : et per consequens cum violet ejus jus in re gravi, intervenit in hoc casu etiam gravis læsio justitiæ. Fateor equidem hanc sententiam mihi non displicere. Ast quia considero, quod quando humana Justitia revera vult alicujus delinquentis infamiam in universum, ac pro semper, ponit ad perpetuam memoriam eidem monumentum infamiæ, lapidem scilicet infamatorium, aut columnam cum inscriptione ; ideo hinc infero pro aliis casibus potius regulam in contrarium, eamque quidem esse Principum ac Judicum intentionem in puniendis aliis delinquentibus, ut a pœna istis inflicta generaliter alii discant a facinoribus abstinere ; cæterum mentem ipsorum non esse, quod quicumque, etiam publica sententia condemnatus, in æternum infamis vivat, etiamsi semetipsum emendet, et rectam adeo vitam ducat, ut tractu temporis illius infamia abeat in oblivionem. Quare sentio cum Corduba de Detract. quæst. 2, concl. 6, cui propendere videtur Cuniliati de Restit. Famæ § 4, num. 8, non sine gravi læsione etiam justitiæ posse delicti conscium illud ignorantibus in casu manifestare. Ratio est, quia sicuti non licet absque gravi læsione justitiæ auferre bona ab eo, qui illis per sententiam privatus fuerat, si illa juste iterum acquisierit ; ita nec licet famam auferre ab eo, qui per sententiam illam amiserat, si eam iterum juste acquisierit.

CAS. III. — Refert quis aliis auditum grave crimen alterius, testificando tamen se illud referre, non ut verum, sed ut auditum. Qu. An talis relatio sit vera detractio, restitutioni obnoxia?

Resp. cum dist. Vel referens ex iis est, queis nulla, vel saltem modica fides haberi solet, et crimen refert in circumstantia, in qua prævidet, neminem ex audientibus ipsi crediturum; et tunc dico, talem relationem non esse veram detractionem restitutioni obnoxiam; detractio namque obnoxia restitutioni est *alienæ famæ occulta, et injusta læsio, seu denigratio*, quæ in isto casu non intervenit, cum referenti supponatur a nemine fidem præstari. Vel referens ex iis est, quibus, etsi mere audita narrantibus, fides præstari solet, aut talem relationem facit in circumstantia, in qua prævidet, aliquem ex audientibus ipsi fidem præstiturum, et auditum crimen pro vero habiturum; et tunc dico, hujusmodi relationem esse veram detractionem, restitutioni obnoxiam penes eum, vel eos, quos credit ipsi fidem præstare, et auditum crimen pro vero habere. Ratio est, quia penes istos relator occulte ac injuste vere lædit, denigrat, et corrumpit famam alterius; juxta illud Angelici Præceptoris 2, 2, quæst. 73, art. 1, ad. 2. *Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus.* Nec refert, quod crimen non referat ut verum, sed ut mere auditum; nam cum in præsenti circumstantia supponatur prævidere, aliquem ex audientibus ipsi, hoc non obstante fidem præstiturum, ac pro vero habiturum crimen, de altero ab ipso relatum, tenetur ex justitia a tali relatione abstinere, alias evincitur velle illam læsionem; sicuti evincitur velle scandalum, qui cum hujus prævisione coram aliis carnem commedit in die jejunii. Propterea dicebat Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Neque reponas, læsionem in casu evenire per accidens, ac ex sola levitate, seu malitia credentis crimen ut verum, cum relator ipsum ut tale non referat, sed ut auditum. Contra enim; debitores sumus sapientibus, et insipientibus, ut innuebat idem Apostolus. Unde cum humana imbecillitas prona sit ad potius male

credendum de proximo, quam bene, ad evitandam penes hos infamationem, debet coram iis conticere, et alterius crimen neque ut auditum coram ipsis referre; secus, stante dicta prævisione, volendo expresse relationem criminis, implicite ac virtualiter vult subsequentem infamationem apud istos; nam qui vult antecedens, vult etiam necessarium consequens, cap. *Præterea de Offic. deleg. l.* 2, *ff. de Jurisd. omn. Jud.* Addo, experientia compertum esse, in hujusmodi casibus bonam opinionem alterius, in aliquo ex audientibus, ut plurimum transire ad statum opinionis saltem dubiæ in re graviter famam lædente, cum supponatur referri crimen grave : Ergo est gravis diminutio famæ, ac vera detractio. Et sane si de te, qui hæc legis, et quem suppono virum honestum, ac optimæ opinionis, et famæ apud omnes, aliquis referret coram pluribus, se audivisse te esse virum inhonestum, vel latronem, vel etc. adeo ut, stante hac relatione, penes unum, vel plures, alias bona de te opinio ad statum dubietatis reduceretur; si tu in hujus notitiam devenires, nonne id tibi non solum graviter displiceret, verum etiam notabiliter in fama præjudicatum diceres penes illos? Puto quod sic, si rem bene percipis. Ergo idem quoque dicendum in casu, adeoque quod sit vera detractio, restitutioni obnoxia.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Petronius statuit dare amico centum, simul intendens semetipsum obligare in conscientia ad id executioni mandandum. Qu. An si hoc postea non impleat, sit perjurus?

Resp. cum dist. Vel per illam deliberationem obligandi se in conscientia Petronius habuit animum jurandi ; vel non. Si non : dico, quod si hoc postea non impleat, non est perjurus. Ratio est, quia deliberatio simpliciter obligandi se in conscientia, nec in se est juramentum, cum non sit vocatio Dei in testem ; nec fert secum necessario juramentum, cum quis optime possit

habere animum se in conscientia obligandi ex simplici fidelitate per promissionem, absque eo, quod habeat animum se etiam obligandi ex religione per juramentum. Unde supposito, quod Petronius simpliciter intenderit obligare se in conscientia, secluso animo jurandi, etiamsi postea non impleat id, ad cujus executionem intendit se in conscientia obligare, profecto non est perjurus; ubi enim animus jurandi non intervenit, juramentum obligare non potest, cum hujusmodi obligationem præcedere debeat animus jurandi; ut recte docent Cajetanus in 2, 2. qu. 89, art. 7, ad. 4, et Sotus lib. 8, de Just. quæst. 1, art. 7, arg. 4. Nec refert, quod solus Deus sit testis conscientiæ; et promissio facta cum animo se obligandi in conscientia, aliquo modo Deum respiciat. Cum enim, hoc non obstante, Deus non fuerit vocatus in testem, ne quidem implicite, quod saltem necessarium est, ut quis jurasse censeatur; ideo non interfuit juramentum, et per consequens postea non implendo quod promisit, Petronius non est perjurus. Quod si per illam deliberationem se obligandi in conscientia, habuit animum jurandi, tunc oppositum assero; sic enim se obligando, virtualiter ac implicite vocavit Deum in testem promissionis a se factæ, ac obligationis a se contractæ, quam proinde postea non implendo, est perjurus.

CAS. II. — Ego tibi centum cum juramento absolute promisi, sine respectu alicujus rei a te mihi promissæ: tu quoque aliquid mihi promisisti, sine respectu ad centum a me tibi promissa. Qu. An si tu mihi promissum tuum adimplere nolis, possim ego, absque perjurio, illa centum tibi non solvere, in compensationem rei a te mihi promissæ, et non solutæ?

Resp. probabilius videri quod non. Ratio est, quia licet obligatio vere fuerit hinc inde contracta, tamen fuit contracta absolute ac sine respectu ad rem a te mihi promissam; ideoque quantumvis tu mihi promissum tuum non adimpleas, teneor ego ratione absolutæ, ac juratæ meæ promissionis tibi dare, quod promisi. Et quamvis tu, ob fractam mihi fidem, indignus sis, cui ego

promissum servem ; Deus tamen, quem ego in fidejussorem ac testem promissionis meæ vocavi, meretur, ac dignus est, ut ipsum ego non efficiam testem falsitatis ; prout ipsum efficerem, si præfatæ compensationis prætextu tibi ea centum non solverem, quæ sub juramento tibi promisi. Nec refert trita illa adversariorum responsio penes Giribaldum de Juram. cap. 2. dub. 7, num 54, quod scilicet, cum compensatio sit quædam solutio, Deus in casu non fieret testis falsitatis, quia (supposito quod res a te mihi promissa æquivaleat centum a me tibi promissis) non solvendo tibi mea centum in compensationem rei a te mihi promissæ, et non solutæ, per talem compensationem adhuc vere solverem, et quidem ad æqualitatem integræ meæ promissionis juratæ. Non refert, inquam, quia compensatio non est vera solutio, sed ficta, *l. Si cum filio ff. de Compensat.* et promissio jurata non adimpletur per æquivalens, sed exequi debet in forma specifica ; ut pro rei veritate colligitur ex cap. *Ad nostram* l. 7, de Jurejur. Cum enim quidam debitores, qui sub juramento certas possessiones, ac reditus oppignoraverant, donec ex iis solverent debitum, dein contra juramentum easdem possessiones subtraxissent, antequam creditor de possessionibus illis et redditibus sortem, deductis expensis, recepisset ; Alexander III. ibi rescribit Rothomagensi Archiepiscopo, ut Ecclesiastica censura cogat præfatos debitores restituere dictas possessiones ac reditus, donec creditori pecuniam, sicut juraverunt, persolverint. Ad quid, me hercle, mandare, nedum redituum, verum et possessionum restitutionem, si implemento juratæ promissionis sufficeret sequestratio fructuum, imo et solutio æquivalens ? Quantum sapio, quantum capio, alia hujus causa non est, nisi quia requiritur solutio in specifica forma ; et sic dico, me non posse in casu, absque perjurio, illa centum tibi non solvere, in compensationem etc.

CAS. III. — Nobili ditissimo viro nupsit Thecla, miserabilis quidem puella, sed valde honesta, et pulchra. Qu. An, etiam Marito contradicente, licite possit secundum istius facultates parentibus suis indigentibus alimenta ministrare ?

Resp. cum dist. Vel Thecla habet aliunde, quo iis indigentibus alimenta ministret, puta, ex proprio lucro, ex quantitate aliqua ad liberum ejus usum ipsi concessa a Marito etc. Vel non habet. Si habet; dico, ipsam non posse contradicente Marito etc. Quia semel ac habet de proprio, quo parentum indigentiæ subveniat, non est æquitati, ac justitiæ consonum, quod sine ejusdem consensu illis subveniat cum rebus ipsius : etenim, secluso casu necessitatis, non debet uxor eleemosynam dare sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, ut docet S. Thomas 2, 2, quæst. 32, art. 8, ad. 2. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu Matrimonii, non sic tamen in alienatione rerum domesticarum : nam in hoc vir caput est mulieris secundum Apostolum I. ad Cor. II. Si vero non habet, censeo, quod moderate possit, sibi efformando hoc dictamen, *quod non displiceat Marito in corde*, etsi contradicat ore; *solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus absolute, ut sic temperent eas, non a toto, sed ab excessu, quem suspicantur*; ut inquit S. Raymundus lib. 2, tit. de furtis § 9. Et hoc maxime in casu præsenti, in quo agitur de alimentis præstandis parentibus ipsius Theclæ indigentibus, qui certo quodam modo in ipsomet jure considerantur velut parentes etiam viri, seu Mariti, ut ex eo patet, quod parentis locum socer obtinet in l. *Quia parentis ff. soluto Matrim.* Hinc sicuti veris ac naturalibus parentibus ex naturali pietate debemus alimenta, quando indigent; ita (si non æqualiter, ex quo non sint parentes proprie) saltem cum aliqua proportione etiam ipsis quodam honestatis jure debentur, ut probat Surdus de alimentis tit. I. quæst. 39, ac propterea censeo, posse Theclam (etiam in casu, quo Maritus ob tenacitatem expresse, ac absolute nollet) cum moderatione clam eisdem alimenta ministrare, prius deposito scrupulo; si enim Maritus in casu est invitus, talis est irrationabiliter : quod voluisse innuere censeo S. Raymundum, cum post præcitata verba subjunxit. *Si autem omnino et præcise dictat ipsi uxori conscientia, quod viro displicet, et scandalizatur inde : deponat conscientiam illam, si potest; sin autem, non debet dare etc.*

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Theodora habet parentes miserrimos, et ex meretricio lucro huc usque eisdem subvenit. Ast noscens miserum statum animæ suæ, si in sæculo permaneat, parochum consulit, an licite valeat Parentes derelinquere, ac fieri Monialis Convertita. Quid Parochus respondet?

Respondet, posse, imo ipsam debere a sæculo se retrahere (si aliter noscat se absque peccato in sæculo non victuram,) ut peccandi periculum, et occasionem deserat. alioquin ipsam non esse Absolutionis capacem; nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Nec in casu obstat pietas in parentes miserrimos; nam ut docet S. Thomas 2, 2, qu. 101, art. 4, in C. *Religio, et pietas sunt duæ virtutes. Nulla autem virtus alii virtuti contrariatur, aut repugnat : quia secundum Philosophum in Prædicamentis : Bonum non est bono contrarium. Unde non potest esse, quod pietas, et religio se mutuo impediant, ut propter actum unius, actus alterius excludatur. Cujuslibet enim virtutis actus debitis circumstantiis limitatur, quas si præterea, jam non erit virtutis actus, sed vitii. Unde ad pietatem pertinet, officium, et cultum parentibus exhibere secundum debitum modum : non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quod ad colendum Deum. Sed sicut Ambrosius dicit super Lucam : Necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. Si ergo cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, jam non esset pietatis parentum insistere cultui contra Deum. Unde Hieronymus dicit in Epistola ad Heliodorum : Percalcatum perge Patrem, percalcatam perge Matrem, ad vexillum Crucis evola : summum genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem. Et ideo in tali casu dimittenda sunt officia pietatis in parentes propter Divinum religionis cultum. Si vero exhibendo debita obsequia parentibus, non abstrahamur a divino cultu, hoc jam pertinebit ad pietatem: et sic non oportebit, propter religionem pietatem deserere.*

CAS. II. — Filiofamilias adhuc sub patria potestate viventi, relicta fuere plurima bona, ea tamen conditione, ut ad ejus Patrem non perveniat ususfructus eorumdem. Qu. An hoc non obstante Filius teneatur in foro conscientiæ hunc Patri donare ?

Resp. neg. Siquidem in *Authen. Excipitur C. de bon. quæ lib.* et in *Authen. ut liceat Matri et Aviæ* col. 8, in princ. expresse definitum est, ut in bonis, quæ filiisfamilias dantur contra voluntatem Patris, Patri non acquiratur ususfructus. Cum ergo filius in casu Patri negando usumfructum talium bonorum, nullam eidem irroget injuriam, hinc fit, quod in foro conscientiæ non tenetur filius eumdem Patri donare; ni forte ejus naturæ sint bona, ut in eis filius ex necessitate succedere debeat, cujusmodi est legitima Matris : in quo casu non potest tunc Patri ususfructus adimi per præfatam conditionem, ut post Bartolum et Castrum probat Gomez in l. 48. Taur. num II, quem citat ac consequitur Rebellus de oblig. Just. lib. 1, quæst. 7, sect. 2, num. 15. Idem dic quoad Avum, et Proavum tum in casu prædicto, tum in aliis, in quibus de jure nec Patri, nec Avo, nec Proavo adventitiorum ususfructus acquiritur, quem propterea filius in foro conscientiæ illis donare non tenetur.

CAS. III. — Filius per aliquod tempus non a Patre, sed ab Amico, suimet contemplatione, alimenta percepit. Qu. An talis filius possit exigere a Patre æquivalens alimentis, quæ eo tempore ipsi Pater præstare debuisset ?

Resp. neg. cum Rosignolo de Matrim. 9, prænot. 14, num. 2. Bonacina, et aliis. Ratio est, quia cum Pater non ex justitia, sed naturali pietate teneatur filio alimenta præbere, solum quando sic indiget, et aliunde non habet, nec potest habere; hinc fit, quod si ab amico per aliquod tempus sui contemplatione alimenta percipit, filius nequit exigere a Patre æquivalens alimentis, quæ ipsi eo tempore, in amici defectu, Pater præstare debuisset; nam filius tali tempore habuit, quo sustentaretur, absque eo quod faceret debitum : quod sufficit,

ne Pater ad ullam restitutionem, ac strictam refectionem teneatur. Nec dicat Azorius part. 2, Instit. Mor. lib. 2. cap. 4, quæst. 16, in foro exteriori licere filio, auctoritate Judicis, repetere a Patre æstimationem alimentorum; nam veritas est in contrarium, cum juxta dicta Pater non teneatur filium alere ex justitia, sed jure sanguinis, et ex quo ei vitam dedit: et quidem cum alimenta aliunde habere potest, l. *Si quis a liberis* §. *si vel parens ff. de lib. agnosc.* in quo casu si Pater ea neget, utique filius implorare potest officium Judicis, ut illa ipsi a Patre præbeantur: et solum in casu, quo alimenta sunt debita jure actionis, puta, legati, vel similis, etiam præteriti temporis peti possunt, ut tenet Bartolus in *l. liberis quos* § *manumissis num.* 3. *ff. de Aliment. et Cibar.* Item in Cons. 211, vol. 1, num. 4, ac Surdus de Aliment. tit. 1, quæst. 32. num. 40. Diversimode foret dicendum, si filius debitum fecisset, ut se aleret. Item si Pater filiam infantem exposuisset, ac factam nubilem impediret, quominus filio alitoris nuberet; nam tunc titulo ingratitudinis omnia alimenta præteriti temporis reddere teneretur, l. *Patre C. de Nupt.* etsi regulariter, qui filiam exposuit, non teneatur alimenta reddere, quæ alius præstitit, l. 1. Cod. de Infant. expos.

ANNO MDCCLXI.

MENSE JANUARII.

CAS. I.— Orta gravi, ac longa contentione inter duos Parochos, an adscripto Societati SS. Sacramenti in quibusdam anni solemnitatibus fas sit eligere Confessarium, a quo a Casibus quibuscumque etiam Diœcesano Episcopo reservatis, sine hujus licentia, absolvatur; ad litem dirimendam recurrunt ad Archipresbyterum. Quid hic respondet?

Resp., id fas non esse adscripto præfatæ Societati. Ratio est, quia nullum adduci potest authenticum documentum, ex quo de hujusmodi facultate, aut privile-

gio legitime constet. Licet enim Paulus III. in Const. *Dominus noster*, edita pridie Kal. Decembris anno 1539. Confratribus utriusque sexus prædictæ Societatis concesserit, ut ter in vita, etiam in mortis articulo, etiamsi mors tunc non sequatur, a quolibet Confessario, approbato ab Ordinario, absolvi possint a quibusvis peccatis, etiam Papæ (iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ legi solent,) et eorum Ordinariis reservatis; tamen non eo extendit hujusmodi Indultum, ut valeant ab iis absolvi in quibusdam anni Solemnitatibus indefinite, prout verba expositi Casus cæteroquin præseferre videntur. Deinde tali Indulto Pauli III, fuit per Tridentinum, ac per alios Pontifices successores derogatum, scilicet, per Clementem VIII. celebri Const. *Quæcumque*, edita die 7 Decembris anno 1604. ubi § 9. expresse decrevit, ut Confratres, privilegiorum prætextu, ipsorum Confraternitati concessorum, nullo modo absolvi possint a Casibus Summo Pontifici, ejusque in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis, respective reservatis, ac pro tempore reservandis. Item per Paulum V, mediante Decreto a S. Cong. Episc. et Regul. ejusdem jussu edito die 7 Januarii 1617, ubi, inter alia, hæc leguntur : *Insuper ut nulli ex Sacerdotibus prædictis* (nempe tam Sæcularibus, quam Regularibus) *quisbuscumque privilegiis, indultis, et facultatibus suffulti, ab Excommunicationibus, vel a Casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis, præterquam in mortis articulo, absolvere audeant, vel præsumant.* Denique per Urbanum VIII. die 17 Novembris 1628, ut ex laudatæ Congregationis testimonio infra patebit. Neque dicas, facultatem relatis Decretis sublatam, ob confirmationem deinde factam a Clemente X, die 23 Aprilis 1676. ac Innocentio XI, die 1 Octobris 1678. pristino valori fuisse restitutam : neuter enim unquam confirmavit facultatem absolvendi a reservatis, de qua est sermo; ut manifestum fiet attente legenti litteras, in forma Brevis ab eodem Innocentio datas die, mense et anno prædictis, quæ incipiunt : *Injuncti Nobis*, ac intercludunt Decretum Clementis X. Quin imo ibidem refertur, Clementem X. Pauli V. vestigiis inhærentem, ea concessisse dictis Confratri-

bus, quæ idem Paulus V, die 3 Novembris 1606. per Breve *Cum certas*, concesserat Archiconf. SS. Sacramenti de Minerva. Jam vero tantum abest, quod ibi Paulus V, de novo hujus Confratribus concesserit facultatem faciendi ter in vita se absolvere a reservatis, ut de hoc ne verbum quidem ibi fecerit, imo revocaverit, annullaverit, ac nullius roboris et momenti esse declaraverit Indulgentias omnes, et singulas, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, eidem Confraternitati, ac illius Confratribus, et Sororibus concessas per quoscumque Romanos Pontifices suos prædecessores, novasque impertiverit. Nec diversimode se gessit Innocentius XI, dum ibi ne quidem agat de dicta confirmatione, ibidemque confirmet Decretum ipsius Clementis X. At etiam supponamus, quod aliquid circa hujusmodi confirmationem egissent. Neque ex tunc pro vere confirmata habenda esset præfata facultas, ut probo sequenti clarissima Epistola, vulgari idiomate peculiariter quidem data a Sac. Cong. Episc. et Regul. die 7 Decembris 1646, ad Archiepiscopum Neapolitanum, sed universale continente fundamentum, ac per extensum relata a P. Theodoro a Spir. Sanct. de Indulg. part. 2, cap. 2, pag. 150. « Questa Sacra Congregazione ha più volse » dichiarato con ordini espressi di Clemente VIII, addi » 11, di Gennaro 1601, et addi 26 Novembre 1602, di » Paolo V, addi 7 Gennaro 1617. e di Urbano VIII, » 1628, che tutte le facolta di assolvere da'Casi riser- » vati, o riservandi dagli Ordinarj; overo compresi, o » da comprendersi nella Bolla in Cœna domini implici- » te, vel explicite; ed altri riservati solamente alla San- » ta, Sede nel medesimo Decreto di Novembre del 1602, » concesse a Secolari, o Regolari, Congregazioni, Con- » fraternite di qualunque prerogativa, o specialità, » etiam necessario exprimanda; sono state annullate, » ed estinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come » dalle suddete Costituzioni: e che in vigore delle Con- » firmazioni, estensioni; o communicazioni ottenute » dopo, o da ottenersi in avenire, sotto qualsivoglia » amplissime Clausule, non s'intenda mai rinnovata la » suddetta facoltà etc. » Dicendum igitur, fas non esse etc.

CAS. II. — Cum pignora Montis Pietatis licitantur, Agricola, qui suum pignus agnoscit, dum venditur, se exhibet ad emendum ; et successive pretium auget, ut etiam augeatur ab aliis emere volentibus. Pignus revera emitur, non ab Agricola, sed a Titio, pretio longe majori supra supremum. Qu. An Agricola possit a Monte recipere pretium sui pignoris, ac sibi tuta conscientia retinere ?

Resp. posse Agricolam, cum animo dein reintegrandi Titium, recipere a Monte pretium sui pignoris; sed non posse totum sibi tuta conscientia retinere. Ratio pr. part. est, quia, retento per Montem Pietatis quod sibi debetur, residuum pretii, ex pignorum venditione percepti, Proprietariis tradendum est, quorum, non Montis, erant res venditæ. Propterea cum tale pignus revera esset Agricolæ, huic residuum pretii ejusdem tradendum est; qui proinde, cum animo dein reficiendi Titium, utique potest illud recipere. Ratio sec. part. est, quia licet justum pretium eorum, quæ licitantur, publica auctoritate permittente, illud sit, quod nulla fraude interveniente, inter pretia a licitantibus oblata, ultimo majus est; ideoque fieri possit, ut per dimidium, imo et duplo majus sit justo pretio rei, etiam summo, quo res in propriis officinis valerent; tamen, si in hoc vendendi modo fraus aliqua intercesserit ex parte venditoris seu illius, cujus pignus est, contractus illico evadit injustus, subintratque onus restitutionis, ut tradunt DD. comm. Jam vero res ita se habuit in casu : una enim ex hisce fraudibus est, teste Cuniliati de Empt. et Vend. § 4, num. 8. Bonacina disp. 3, quæst. 2, punct. 4, num 21, si Venditor inducat fictos emptores, successive pretium augentes, ut sic etiam augeatur ab aliis emere volentibus ; vel etiam si Venditor id faciat per se ipsum ad eumdem finem: moraliter namque idem est, hoc facere per seipsum, ac per alios. Ergo cum Agricola plane ita se gesserit in casu, nequit tuta conscientia sibi retinere totum pretium, sed solum quantum adæquat pretium moderatum ejusdem ; ac Titio debet restituere excessum in refectionem damni, quod passus est ob fraudem ipsius. Vide Sporer tract. 6, cap. 5, sect. 1, num. 23, ac Giribaldum de Empt. et Vend. dub. 5, num. 47.

CAS. III. Occurrente die, qua recitatur Officium ritus duplicis, conveniunt Parochi, aliique Sacerdotes Plebanatus ad faciendum Officium pro uno, vel pluribus Defunctis. Qu. An ab iis tunc celebrari possit Missa defunctorum; et an quandoque liceat Missa de Requiem in festo ritus duplicis?

Resp. ad pr. part. neg. nisi concurrat aliqua ex circumstantiis, de quibus infra in responsione ad secundum. Ratio desumitur tum ex Rubricis generalibus Missalis tit. 5, ubi hæc leguntur: *Missæ privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis duplicibus, et Dominicis;* tum etiam ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, relatis a P. Merato in Nov. Observ. et Addit. ad Gavan. part. I. tit. 5. quibus sequens addo ejusdem Congregationis 29 Januarii 1752. *Missæ privatæ de Requiem, etiam corpore præsente, ac insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, etiam minori, vel aliis a Rubrica exceptis, et quæcumque consuetudo in contrarium abusus declaratur.* Et hæc prohibitio valet, cum fit de duplici etiam translato, ut declaravit eadem S. R. C. die 31 Julii 1665. apud Meratum ibid. Quantum ad sec. part. respondeo affirmative, nam unica Missa solemnis de Requiem potest celebrari primo in die Depositionis Defuncti, quando occurrit festum duplex alicujus Sancti, et quidem etiam non præsente cadavere, si tale festum non sit de præcepto; S. R. C. 19 Sept. 1654, et præsente cadavere etiam in Dominicis, et aliis festis de præcepto, dummodo non obstet magna diei celebritas, ut ait Rituale Romanum tit. de Exeq. seu non sit de festis solemnioribus primæ Classis, ut explicuit S. R. C. 19 Januar. 1752, et dicemus in responsione ad Cas. 3 Martii. Secundo, quando Testator reliquit diem tertiam, septimam, trigesimam vel etiam anniversariam sui obitus quotannis celebrandam; talibus namque diebus potest unica solemnis Missa de Requiem celebrari, quamvis Officium aliquod duplex majus, aut minus agatur, dummodo non incidant in aliquam ex Octavis privilegiatis, aut in festum de præcepto. Merati l. c. et P. Cavalieri in Agen. Defunc. cap. 4, ex diversis S. R. Congregationis decretis

Et quamvis prædicta, quoad diem anniversariam, generaliter valeant solum, quando Testator pro se ita disposuit, ut notat Gavantus part. I, tit. 5, tamen Meratus ibid. et Cavalieri cap. 5, de Anniversar. editum referunt a S. R. C. 19 Junii 1700, sequens Decretum in favorem Parochianorum Ruralium : *Ex privata devotione Parochianorum petentium sæpius per annum Anniversaria pro defunctis, Parentibus, Fratribus, Amicis, et aliis Defunctis, potest in Ruralibus Ecclesiis cantari Missa solemnis de Requiem in festo duplici minori, altera Missa cantata de festo* (ubi quoad hanc adest obligatio) *ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes, dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus.* Imo eadem die 19 Junii 1700, a S. R. C. editum fuit hoc aliud Decretum : *In Ecclesiis Parochialibus Ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu, potest dici Missa de Requiem, quando Anniversaria ex Testatorum dispositione, recurrente obitus die, incidunt in festum duplex majus. Non idem tamen dicendum de diebus tertio, septimo, et trigesimo.* Meratus in Indice Decretorum num. 546, et Cavalieri cit. cap. 4. decr. 2. Tertio. *Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus :* (Spiridion Talu refert, alicujus de gremio) *potest cantari Missa de Requiem, ut in die obitus, pro ejus anima in festo duplici majori, minori, non tamen de præcepto, ut citius suffragetur animæ defuncti, non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici quatenus adsit obligatio.* Ita in terminis S. R. C. 4 Maii 1686, apud Meratum, et Cavalieri, qui videri possunt pro aliis circumstantiis, siquidem a nobis allatæ satis probant, Missam de Requiem in festo ritus duplicis quandoque licere.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. — Cajus pauper in electione novi Parochi suæ Paroeciæ, ex multis Sacerdotibus concurrentibus dat illi suffragium, quem putat futurum in pauperes misericordiorem. Qu. An Simoniæ peccatum committat ?

Resp. cum dist. Vel Cajus, dando isti suffragium, principaliter ad hoc movetur a speratis corporalibus Eleemosynis, aliove simili motivo temporali; vel non. Si non; dico, ipsum non committere peccatum Simoniæ. Ratio est, quia in hoc casu non dat spirituale pro temporali; ideoque abest motivum eidem impingendi crimen Simoniæ, cum hoc non stet absque contractatione, vel datione, aut acceptatione, saltem mentali, rei spiritualis, seu spirituali annexæ, pro temporali, aut e contra. Si vero principaliter movetur ad dandum isti Sacerdoti suffragium a speratis Eleemosynis, etc. tunc dico, ipsum committere peccatum Simoniæ, eo quia, quantum est ex se, eligit talem Sacerdotem in Parochum, adeoque ad Beneficium, quod est quid spirituale, principaliter ob temporale : quod satis esse ad incurrendum Simoniæ crimen, evincit damnatio hujus thesis 46, facta ab Innocentio XI. *Id quoque locum habet* (quod nempe non sit Simonia) *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*; *imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* Et ratio est, quia, cum datur spirituale principaliter ob temporale, tunc ex intentione, saltem implicita, operantis, fit commutatio rei spiritualis datæ cum ipsa re temporali; et hæc quodammodo pluris æstimatur, quam illa, cum illa detorqueatur a proprio fine, et ordinetur veluti medium ad rem temporalem ut finem : per quod magna irrogatur rei spirituali irreverentia. Neque dicas, supposita veritate hujus doctrinæ, fore simoniacum etiam celebrare Missam ob stipendium, ac dare Eleemosynam pro Missa, pergere in Chorum ad canendum, imo et Canonicatum acceptare ad lucrandas distributiones etc. quæ omnia cæteroquin, communi usu, ac praxi, in universa Ecclesia comprobantur ut licita : quod manifestum indicium est, nihil irreligiositatis sapere etiam rem spiritualem ordinare ad aliquem finem temporalem honestum, quando hic non intenditur ut pretium illius, aut illi coæquari, et multo minus anteferri. Contra enim; concedo prædicta, aliaque his similia fore simoniaca, si fiant principaliter ad tales fines; valet namque eadem ratio. Nec usus, et praxis Ecclesiæ est in

contrarium ; nam Eleemosyna non datur Sacerdoti, neque ab eo accipitur pro Missa, sed *quasi stipendium suæ sustentationis*, ut ait S. Thomas 2, 2, quæst. 100, art. 2, ad 2, quod est quid temporale. Et de Canonicis, quoad distributiones, ita loquitur S. Doctor, sermonem habens de uno ex istis Quod. 18, art. 11. *Si hujusmodi distributionem accipiat, quasi finem suæ operationis principaliter intentum, Simoniam committit. Si autem principalem finem habet Deum, ad hujusmodi distributiones vero respicit secundario, non tanquam in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, Simoniam non committit, nec peccat : sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, et non alia vice.* Ex quo inferes, plurimum irreligiositatis intervenire, si res spiritualis in sensu prædicto ordinetur ad temporalem ; ideoque etc. Vide Vivam in dictam propositionem damnatam, ac P. Cuniliati de Simon. §. 8, num. 2.

CAS. II.— Idem Cajus, cum videat magnam esse dissensionem inter Electores, sitne Petrus, an Paulus dignior Sacerdos pro obeundo munere Parochi, suffragium suum dat alteri Sacerdoti, sibi penitus ignoto. Qu. An peccet ?

Resp. affirm. non enim per hoc quod inter Electores sit magna dissensio, fit licitum Cajo suum alicui dare suffragium cæco modo ; agitur namque de providenda Ecclesia Parochiali suo quasi Sponso, ac principali Ministro, et de Pastore substituendo, ac præficiendo integræ Communitati Parochianorum, qui doctrina sana istos instruat, bono exemplo eos ædificet, Sacramentorum cibo illos pascat etc. proindeque agitur de re magni momenti, quæ sane more cæcorum tractanda non est, nec a voluntate absolute, cum patroni non sint Beneficii Parochialis proprie domini, sed administratores, ac vacantis Ecclesiæ quasi Tutores, ac Procuratores, ideoque ex officio bonum ejusdem agere, ac procurare teneantur. Atqui Cajus prædicto modo se gerens ita non operatur, ut patet ex terminis ; Ergo etc. Neque dicas, hujusmodi

reflexiones esse quidem necessarias in casu, quo Parochialis sit jurispatronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, et non ad alium spectet; cum enim ex nunc Patroni teneantur Episcopo præsentare, quem ipsi judicant digniorem ex probatis in Concursu ab Examinatoribus, profecto in hoc casu teneretur Cajus digniorem nominare; et suum dando suffragium Sacerdoti, ipsi penitus ignoto, peccaret. At sumus in casu Parochialis jurispatronatus laicorum, in quo judicium de idoneitate nominati, ex Tridentino sess. 24, de Reform. cap. 18, pertinet ad Examinatores, et non ad Patronos, inter quos est Cajus; qui propterea potest absque dictis sollicitudinibus nominare, quem vult, ut habetur in c. *Monasterium*, can. 16, quæst. 7, et sic nominare etiam penitus ignotum. Ne dicas, inquam; licet enim agatur de Parochiali jurispatronatus laicorum, adhuc agitur de electione ad Ecclesiam Parochialem; et Tridentinum exigens, ut præsentatus a Patronis examinetur ab Examinatoribus, et ab iis nonnisi repertus idoneus admittatur, non excludit prævias diligentias Patronorum, imo eas supponit, cum initio ejusdem capitis generaliter, ac indefinite præmittat: *Expedit maxime animarum saluti, a dignis, atque idoneis Parochis gubernari; id ut diligentius, ac rectius perficiatur etc.* Hinc potest Cajus eligere quem vult, si requisitæ in eo reperiantur qualitates; non vero secus. Nec refert Canon *Monasterium*; ibi enim est sermo de primo Beneficii institutore, ac constructore Ecclesiæ, cui conceditur privilegium eligendi ex idoneis, quem vult, ut sic Fideles alliciantur, ac excitentur ad nova Beneficia fundanda in Ecclesiæ utilitatem; nec ibi, vel alibi simile quid invenitur concessum Patronis, qui propterea succedunt quidem Fundatori in jure nominandi, et præsentandi simpliciter, non vero cum libertate eligendi dignum omisso digniore. Accedit, in eodem Canone dici, quod Fundator valeat quidem commendare Ecclesiam illi Presbytero, cui voluerit, sed cum consensu Episcopi; unde cum Episcopus supponatur nunquam consensurus in Sacerdotem sibi, ac Fundatori penitus ignotum, sed tantum in illum, de cujus qualitatibus ad officium requisitis bonum habeat testimonium; ideo etiam Cajus

vigore præfati Canonis sacerdoti consimili votum dare debet, et non ipsi penitus ignoto. Neque replices, Glossam ibi asserere satis esse, quod nominatus non sit malus; nam in primis ly *ne malus sit*, quod habetur in Canone, refertur non ad nominatum, sed ad nominantem : si enim Canon recte construatur, facit hunc censum, quod nominans, seu eligens, ne malus sit, debet commendare Beneficium, seu Ecclesiam Presbytero cum consensu Episcopi. Deinde non potest Cajus dignoscere, Sacerdotem a se nominatum non esse malum, si est ipsi penitus ignotus. Ergo etiam transmissa Glossæ expositione Cajus nominans cæco modo, agit contra Sacros Canones, adeoque peccat.

CAS. III. Cum dies anniversaria a Testatore præscripta incidat in diem Dominicam, aut in diem infra Octavam : Qu. An Parochus tali die possit Missam de Requiem in cantu celebrare ? Et quid si incidat infra Octavam Corporis Christi ?

Resp. non posse Parochum Missam de Requiem in cantu celebrare, sive dies anniversaria incidat in Dominicam, aut illam diem festivam de præcepto : sive in diem infra Octavam privilegiatam, vel infra Octavam Corporis Christi : bene vero si incidat infra Octavam non privilegiatam. Quoad diem Dominicam, et alias festivas de præcepto, evincitur ex eo, quod hisce diebus neque in die depositionis defuncti potest, non præsente cadavere, Missa de Requiem in cantu celebrari, uti colligitur ex Decreto S. R. C. 19 Septembris 1654. Ergo nec si in eos incidat dies anniversaria. Propterea eadem Congregatio infrascripta duo Decreta edidit, unum 23 Maii 1603. *Officium anniversarium, vel septennarium, vel tricenarium, Defunctorum post obitum, si cadat in die Dominico, vel festivo, transfertur in diem sequentem, cum eadem solemnitate*, hoc est cum antiphonis duplicatis in Officio, et unica Oratione, ac Sequentia in Missa. Alterum 4 Maii 1686. *Anniversaria, sive Missæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex dispositione Testatorum pro certis diebus, his impeditis die Dominico, seu alio festo de præcepto, cantari possunt*

in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de duplici majori, non tamen de præcepto. Quantum ad diem infra Octavam privilegiatam, vel infra Octavam Corporis Christi, patet ex Decreto S. R. C. 5 Julii 1698. *Infra Octavas privilegiatas non potest cantari Missa Defunctorum in Anniversario, et Officio solemni*, hoc est, in Officio dierum tertii, septimi, vel aliorum solemniter celebratorum, de quibus loquitur Rubrica V. num. 3, ut exponit Cavalieri cap. 5, de Annivers. dec. 4 et ex alio 12 Septembris 1671. *Missæ cantatæ Mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente corpore.* Quod si hic petas, quænam sint Octavæ privilegiatæ abigentes Anniversaria, dico, eas esse Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et si quæ aliæ alicubi sunt, quæ ratione altioris ritus, et non meræ dignitatis, expellunt festum duplex majus, quod est circumstantia eminentior, in qua locum habent Anniversaria. Ex peculiari nihilominus ratione his additæ sunt Octava Corporis Christi, ob augendam venerationem, ac promovendum cultum erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, et Octava Nativitatis D. N. J. C. ob Divinæ Incarnationis mysterium. Unde S. R. C. die 26 Septembris 1706 et 14 Sept. 1714, annuente Clemente XI, edidit hoc Decretum : *Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ votivæ, vel pro Defunctis*, et quidem non tantum privatæ, ad quas non se restringit sanctio, sed etiam cantatæ, præter solemnem præsente corpore, quæ cum sit digna specialis notæ, nunquam intelligitur in inhibitionibus comprehensa, nisi fuerit specialiter expressa, ut tradit Cavalieri cap. 9, decr. 5. Ratio demum, ob quam celebrari potest infra Octavam non privilegiatam, hæc est, quia cum pro hujusmodi circumstantia nulla habeatur exceptio, valet illa regula generalis, quod Anniversarium unius Missæ cantatæ de Requiem fieri potest etiam in duplici majori, vel minori, quod non sit de præcepto.

MENSE MARTII.

CAS. I. — In electione Parochi Titius nedum votum suum dat Petro Sacerdoti, verum etiam (quia est sanguine sibi conjunctus) omnem navat operam cum amicis suis, ut et ipsi eumdem eligant, licet alii Sacerdotes concurrentes scientia, ac pietate Petrum excedant. Qu. An licite ?

Resp. neg. Electio enim Parochi fieri non debet ex motivo consanguinitatis, vel alterius humanæ affectionis, sed ut vacanti Ecclesiæ bonus Pastor præficiatur ; alias pervertitur finis, ad quem Beneficia Parochialia sunt instituta. Propterea Innocentius III. cap. unico, Tit. *Ut Eccles. Benefic. sine dimin. confer.* ait : *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare;* et S. Thomas 2, 2, quæst. 100, art. 5, ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est illicita carnalis collatio.* Ergo si Titius nedum votum suum dat Petro Sacerdoti, verum etiam navat omnem operam cum amicis suis, ut et ipsi eumdem eligant, quia est sanguine sibi conjunctus, illicite id peragit. Et hoc maxime, si alii Sacerdotes concurrentes Petrum excedant, non solum scientia, ac pietate (quæ sane requiruntur in Parocho, sed solæ in eo non sufficiunt, nec constituunt adæquate digniorem) verum etiam prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ut loquitur Tridentinum sess. 24, de Reform. cap. 18, nam. *quantum ad conscientiam eligentis*, inquit Doctor Angelicus 2, 2, quæst. 63, art. 2. ad 3. *necesse est eligere meliorem . . . . . quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam ; quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus. Si vero non pertineat ad negotium, ad quod consideratur ut causa, erit manifesta acceptio personæ.* Atqui con-

sanguinitas, ratione cujus Titius dicta peragit, non est causa, quæ pertineat ad negotium, quæ scilicet Petrum officiat Ecclesiæ gubernio aptiorem : Ergo, præfatis qualitatibus in aliis concurrentibus præsuppositis, ille modus agendi in Titio est manifesta acceptio personæ, et sic actio, et procuratio illicita. Dixi *præfatis qualitatibus præsuppositis in aliis concurrentibus*, quia si hæ in istis non reperiantur, sed rebus hinc inde perpensis Petrus sit æque idoneus, ac alii, tunc nominatio, et dicta procuratio Titii est quidem illicita, quatenus facta ex causa motiva consanguinitatis, non tamen ex alia ratione ; imo si causa motiva sit æqualis Petri aptitudo, et consanguinitas mera causa impulsiva, censeo quod Titius nullo modo peccet, si, secluso scandalo, dicta faciat, ac Petrus eligatur ; siquidem, ut notat Schmier Jurisprud. lib. 5, tract. 2, cap. 1, sect. 3, § 1, vinculum sanguinis non debet alicui esse impedimento, quominus ad Beneficia possit eluctari ; sicuti non debet esse alicui adjumento, ut ejus intuitu dignioribus præferatur ; prout admittit etiam Card. Sfondratus in Nepotismo theolog. expen. § 2, num. 1.

CAS. II. — Novit Sempronius, in futura electione, ab Universitate facienda, eligendum esse ad munus Depositarii Titium, quem scit privatim furtis, et fraudibus esse assuetum. Quamquam vero idem Sempronius pertineat ad corpus ejusdem Universitatis, tamen, ut lites evitet, nec Universitatem adit, nec Titii vitia manifestat. Qu. An ita se gerendo sit tutus in conscientia?

Resp. cum dist. Vel lites, ad quas evitandas Sempronius non adit Universitatem, sunt tales, ut si ad eam se conferat, ibique Titii vitia manifestet, eidem Sempronio immineat grave malum, aut facta ab eo manifestatio evadat inutilis ; et tunc dico, Sempronium ita se gerendo esse tutum in conscientia. Vel tales sunt, ut, præscindendo a levibus contentiosis quorumdam picteriis nullum exinde malum Sempronio sit pertimescendum, imo adsit spes impediendi Titii electionem ; et in hoc casu dico, Sempronium ita se gerendo non esse tutum in conscientia. Ratio utriusque partis est, quia ex quo

Sempronius sit membrum Universitatis, tenetur ex officio procurare bonum Communitatis, et quantum moraliter potest, ab ea malum avertere. Jam vero quando nullum, vel tantum leve incommodum ipsi imminet, effulgetque dicta spes, si Universitatem adeat, etc. Sempronius censetur moraliter potens tale malum avertere, proindeque ad id tenetur : quodlibet enim munus, omnisque gradus Communitatis, habet alicujus incommodi concomitantiam, quod ejusdem gradus, vel officii honore compensatur ; et ideo ob incommodum leve Sempronius in casu non excusatur ab aditione Universitatis, et manifestatione vitiorum Titii, quantum sufficit ad optatum impedimentum electionis ejusdem in Depositarium ; idque omittendo profecto non est ipse tutus in conscientia, sed peccat contra charitatem, et probabilius etiam contra justitiam; ut videre est apud Layman, Cuniliati, Giribaldum, et alios, ipsum obligantes pro suo posse ad refectionem damnorum, exinde provenientium. E contra quando manifestatio occulti criminis, seu vitii, prævidetur inutilis, quia, non obstante tali manifestatione, adhuc sequetur electio criminosi ac defectuosi ; item, quando facienti hujusmodi manifestationem imminet grave malum, hic tunc censetur moraliter impotens impedire damnum Communitatis, ideoque non tenetur ire ad Universitatem, et facere manifestationem ; habemus namque monitum æternæ Veritatis : *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem.* Et lex obligans ad impediendam mali, sed occulte delinquentis electionem, in hisce casibus adeo stricte non obligat etiam membrum Universitatis, ut ipsum adigat, se gravis mali periculo exponere, maxime cum vitiositatis manifestatio prævidetur inefficax, et inutilis. Ex quo inferes, quod si Sempronius ideo non adit Universitatem, quia prævidet sibi aliquod grave malum, aut inutilitatem manifestationis prædictæ, est utique tutus in conscientia. Vide Giribald. de Restit. cap. 3, dub. 3, num. 32.

CAS. III. — Audivit Parochus, posse Missam de Requiem præsente corpore cantari etiam in duplici primæ Classis. Quare cantavit eamdem Feria 5. hebdomadæ majoris, necnon solemni die Paschatis. Qu. An recte ?

Resp. neg. quoad utrumque, si per solemnem diem Paschatis intelligitur ipsamet Dominica Resurrectionis. Ratio est, quia utraque ex his diebus inter Duplicia primæ classis solemniora accensetur, ut constat tum ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, signanter ex illo diei 11 Aug. 1736, ac 29 Januarii 1752, cum etiam ex Cæremoniali Episc. lib. 2, cap. 3. § 16. Porro in duplicibus primæ classis solemnioribus non posse cantari Missam Defunctorum, etiam præsente corpore, jamdiu declaravit eadem S. R. C. ut infra constabit. Dixi nihilominus in responsione: *Si per solemnem diem Paschatis intelligatur, etc.* quia præfata Rituum Congregatio die 2 Sept. 1741. edidit sequens Decretum apud Cavalieri in Agen. Def. tom. 2, cap. 3, decr. 4. *Cum juxta Rubricas Ritualis Romani, absque Missa, quantum fieri potest, Defunctorum corpora non sint sepelienda, poterit præsente in Ecclesia cadavere unica Missa solemnis de Requiem celebrari feria secunda Paschæ, aut Pentecostes. Hæc tamen Missa non decantabitur in duplici primæ classis etiam non festivo de præcepto, si corpus præsens in Ecclesia non fuerit, aut si fuerit pridie sepultum.* Imo cum postea eidem Sacræ Congregationi propositum fuerit sequens dubium hisce terminis: *Utrum in Majori hebdomada (excepto triduo ante Pascha) et biduo post, et infra Octavam Paschæ, et Pentecostes, ac etiam in festis duplicibus primæ classis, non tamen celebribus, possit cantari Missa unica solemnis de Requiem in Sepultura cadaveris*, S. R. C. die 29 Januarii 1752, respondit *Affirmative*. Neque dicas, ambo hæc duo Decreta pugnare cum illo diei 5 Julii 1698, in quo eadem Congregatio declaravit: *In duplicibus primæ Classis, etiam præsente corpore, non potest cantari Missa Defunctorum. Et multo minus dicenda est una Missa privata, deficientibus Clericis in Choro.* Apparentem namque oppositionem auferes, hoc Decretum intelligendo e solis duplicibus primæ Classis celebribus, ac solemnioribus; de reliquis vero duo Decreta præcedentia. Et si hic scire cupis, quænam sint Duplicia primæ Classis solemniora, dico, quod sunt: Nativitas D. N. J. C. Epiphania, dies prima Paschæ, ac

Pentecostes, Ascensio Domini, Festum Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Patroni principalis loci, Sancti Titularis Ecclesiæ, illud propriæ Ecclesiæ Dedicationis; Feria V. in Cœna Domini, Feria VI, in Parasceve, et Sabbatum Sanctum. Addunt aliqui Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Verum inter Duplicia primæ classis celebriora ipsum non recensent Cæremoniale Episcoporum, neque Decreta S. R. C. Unde, nisi alicubi celebretur maxima cum solemnitate, inter Duplicia primæ Classis minus solemnia recensendum existimo, præcipue cum notissimum sit occasione reductionis festorum factæ a f. r. Benedicto Papa XIV, alicubi reductum fuisse etiam festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ. Addendum potius puto festum illud, quod eo die, in quo Defunctus debet humari, in loco habetur ut maxime solemne.

MENSE APRILIS.

CAS. I. — In eligendo Titio ad Officium Medici in Hospitali, electores precibus, ac muneribus victi, etsi Sergium agnoscerent, non quidem inhabilem, sed cæteris concurrentibus minus habilem, ipsum elegerunt. Qu. An peccaverint?

Resp. affirm. nam certo quodammodo ita se habent Assumpti, Præsides, vel alio quocumque nomine nuncupentur præfecti Hospitalis, in ordine ad ipsum Hospitale, sicuti membra Universitatis in ordine ad Communitatem; quatenus, sicuti ii, qui gradum, et officium membri acceptarunt, Communitatis bonum procurare tenentur, idque ab ea avertere, unde eidem malum, seu damnum evenire potest; ita et hujusmodi Præfecti, semel ac Hospitalis curam, et administrationem susceperc. Ex officio namque tenentur et ipsi Hospitalis bono invigilare, istud illi procurare, diligentemque curam impendere, ne subrepat aliquid, unde ipsimet Hospitali, aut infirmis in eo hospitantibus ullum malum, seu damnum evenire possit. Atqui huic officio, ac obligationi

defuerunt, cum elegerunt Sergium ab ipsis cognitum non quidem inhabilem, sed cæteris concurrentibus minus habilem; sic enim eum elegerunt, qui minus ac alii scit discernere quosdam morbos, ac per consequens est minus aptus opportune eisdem congruas assignare medicinas; Ergo, etc. Accedit, quod si elegerunt cognitum, ut minus habilem, victi precibus, ac muneribus, hæc fuit Electio per subornationem, quæ sane illicita est, ac juxta Rebellum de Oblig. part. 1, lib. 3, quæst. 7, irrita reddit Electorum suffragia, subornantemque incapacem electionis, ex omnium fere Universitatum constitutionibus. Item est injuriosa aliis concurrentibus, Sergio habilioribus, ac acceptatio personæ; siquidem justitia distributiva videtur exigere, ut etiam officia sæcularia conferantur dignioribus, et aptioribus, in commune bonum, ut subditi studeant se reddere magis aptos, et alio post studium non conantur abire ad panem sibi lucrandum, Cuniliati de Just. § 1, num. 6. Dicendum est ergo, quod sicuti peccaret Medicus, si omissa medicina certo efficaci pro restituenda salute, ægroto aliam ordinaret, quæ solum probabiliter ipsi afferret sanitatem; ita peccaverunt in casu Electores præferendo Sergium minus habilem aliis concurrentibus magis habilibus; præcipue cum id fecerint precibus ac muneribus victi, adeoque admissa subornatione, et ageretur de electione Medici pro infirmis, quibus charitas urget subvenire omni meliori modo possibili.

CAS. II. — Titius pater infantis, recenter nati, absque ulla necessitate filium suum baptizat, vidente et consentiente propria Uxore, filii Matre. Qu. An uterque possit petere, ac reddere debitum ?

Resp. cum Salmanticensibus de Matrim. cap. 13. punct. 5, num. 14, probabilius videri quod sic. Ratio est, quia licet aliqui canones eorum separationem in casu præscribere videntur, quia Titius Uxorem suam sibi commatrem effecit, ut constat ex sec. part. Decreti can. 30, qu. 1, can. 1 et 2, tamen vel hi intelligendi sunt sub conditione, quod Maritus et Uxor inducantur ad continentiam deinceps servandam; vel de separatione, usquequo de pec-

cato commisso pœnituerint, ut explicat ibi Glossa in expositione quæstionis, v. *Quod autem*. Et sane in quinque canonibus subsequentibus ibidem contrarium dicitur, ac signanter in can. 5, ubi de eo agitur, qui filium suum baptizavit, et Uxor ejus eum de fonte suscepit; et tamen hoc ibi sancitur : *Si conjuges legitimi, unus, aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, et innupti* (hoc est separati, et a copula abstinentes) *permanere voluerint, bonum est; sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, et simul maneant*. Ergo per antiquos Canones non est iis absolute præscripta separatio, sed pœnitentes de malo perpetrato possunt simul manere, et sic uterque petere, ac reddere debitum. Addo, quod sicuti Maritus Uxorem suam sibi efficit commatrem baptizando communem filium, ita sibi eamdem commatrem efficit illum tenendo ad solemnem Baptismum, ut definivit Bonifacius VIII. in cap. *Nedum de Cogn. Spir. in* 6, ac Tridentinum sess. 24, de Reform. cap. 2, et tamen in hoc secundo casu Alexander III, cap. *Si vir, vel Mulier, de Cogn. Spir.* respondit : *Quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari : quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt : Ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possit induci*. Ergo idem dicendum in primo, qui est casus noster. Hinc Glossa ibid. V. *Debitum* adnotans, quod Pontifex dixit : *Nec alter alteri debitum debet subtrahere*, proponit sibi hoc quæsitum : *Sed numquid potest exigere?* Et respondet : *Non invenimus prohibitum in hoc casu, quod non exigat; ergo nec nos prohibeamus*. At dices : Alexander III, post citata verba subjungit hanc rationem :*Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus patrocinari non debet*. Jam vero, inquit Abbas, patrocinaretur, si non privarentur jure petendi. Hinc sicut qui stante Matrimonio vovet castitatem, aut contrahit affinitatem per copulam cum Consanguinea Conjugis, potest quidem reddere, sed non petere; ita idem

dicendum de Titio in casu, si non de Uxore, eo quod de baptizatione, non vero de consensu in hujusmodi actum jura loquuntur. Sed contra, nego assumptum Abbatis cum subsequenti illatione; cum enim ille, qui malitiose se baptizat, vel tenet, ideo hoc faciat, non ut possit petere (quod ipsi liberum est, adeoque ab eo potest abstinere, si vult,) sed ne teneatur reddere; tunc ei sua fraus, seu malitia vere patrocinaretur, quando posita illa actione eximeretur ab onere reddendi Conjugi petenti; ad quod Pontifex optime advertens, declaravit ipsum posse, imo teneri reddere, ob hoc, ne illi sua fraus patrocinetur. Ad allatas postea paritates disparitas sumitur ex diversa dispositione Canonum in iis, ac in nostro; necnon ex qualitate materiæ odiosæ, in qua sumus, quam restringi debere, et non ampliari, uno ore clamant omnes juristæ, ac Theologi, quorum magnam partem nostræ subscribere opinioni, facile est adinvenire penes Giribaldum, Suarez, etc.

CAS. III. — Maurilio defuncto, ejus cadaver ad Ecclesiam postridie delatum fuit, ac persolutis exequiis tumulatum. Sed quia vellent Defuncti hæredes etiam diem tertiam, ac septimam celebrare: Qu. An a die obitus, an vero a die depositionis sint computandæ?

Resp. diem tertiam, ac septimam hoc in casu computandas esse a die depositionis, seu tumulationis ac sepulturæ. Ratio est, quia dies tertia, et septima, et etiam trigesima, sunt sequela quædam Missæ cantatæ Exequiarum tempore, quibus a Rituali eadem Missa interseritur. Atqui in casu Missa cantata, et Exequiæ persolutæ fuerunt in die depositionis, seu tumulationis ac sepulturæ, cum cadaver dicatur postridie delatum ad Ecclesiam, ac persolutis exequiis tumulatum: Ergo a die depositionis, non autem a die obitus dies tertia, et septima sunt computandæ. Addidi nihilominus in responsione illa verba *in hoc casu*, quia si contingat, Missam ac Exequias quandoque persolvi in ipsa die obitus, tunc et ego censeo a tali die tertiam et septimam, quemadmodum et trigesimam, esse computandas, etiamsi tumulatio cadaveris ob aliquam causam differatur per aliquot dies;

non enim præfatæ dies sunt sequela depositionis cadaveris, sed Missæ exequialis, quæ propterea si persoluta fuit in die depositionis, ab hac prædictæ sunt computandæ. Neque dicas sic falsificari illa Orationis verba : *Pro anima famuli tui, quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti.* Quemadmodum enim si ob occurrens impedimentum transferri debeat Anniversarium a proprio die obitus Testatoris in alium diem non impeditum, adhuc verificantur illa Orationis verba : *Cujus anniversarium depositionis diem commemoramus*, quæ proinde ex Decreto S. R. C. 22 Decembris 1753. neque tunc sunt varianda, quia, ut aiunt Dialectici, significatio talium verborum per Distractionem refertur ad tempus suæ verificationis ; ita ob eamdem rationem verificatur etiam significatio prædictorum. Cæterum a supra per nos stabilita computatione diei tertiæ, ac septimæ velim, ne idem inferas quoad diem anniversariam : hujus enim numeratio petitur a vera die obitus, ut optime admonet ex variis S. R. C. Decretis P. Cavalieri in Agen. Def. tom. 2, cap. 4.

MENSE MAII.

CAS. I. — Cum vinea quædam locari soleat a Communitate plus offerenti, prævidens Cajus eamdem locandam Titio, istum amice rogat, ut pretium exhibeat quidem, quod vult; at non augeat supra id, quod offerret ipse Cajus : quo factum est, ut Cajo offerenti pretium paulo minus vinea sit locata. Qu. An sive Cajus, sive Titius licite egerint?

Resp. sive Cajum, sive Titium probabilius illicite egisse. Ratio utriusque est, quia, licet Cajus solis precibus induxerit Titium ad non augendum oblationem supra id, quod ipse erat oblaturus ; et prima vice Titius revera obtulerit, quod a principio offerri volebat ; tamen, quia hic destitit ulterius offerre ex condicto cum illo, speciem quamdam monopolii simul ambo struxere contrariam justitiæ, ac naturæ hujus contractus ; cum

post oblationem Caji vinea non subhastata, sed per initum monopolium soli oblationi Caji subjecta remanserit. Uterque igitur illicite egit, quia ambo simul struxere monopolium; quia ineundo contractum, operati sunt contra naturam contractus; ac demum quia sic se gerendo fuerunt in causa, quod vinea paulo minus vendita fuerit, cum damno Communitatis. Vide quæ dixi in casu huic affini, anno 1750, in respons. ad cas. 2 Junii; et etiam P. Cuniliat. de Empt. et Vend. § 4 num. 8. Neque dicas, saltem Titium a culpa excusari, quia sicuti ante Caji suasionem liber erat ad licitandum, vel non, ita liber erat ad desistendum ab ulteriori oblatione post oblationem Caji. Contra enim, hoc verum esset, si quoad hanc desistentiam prius non convenisset; non autem quoad hanc, simul facta inter ipsos prævia conventione; nam in hoc casu non destitit sponte, sed ratione conventionis.

CAS. II. — Sponsi de futuro animadvertentes, Parochum nolle eos unire in Matrimonium, nisi prius Christianam Doctrinam addiscant, in fraudem Parochi alio pergunt ad habitandum, et quamprimum ibi Matrimonium contrahunt. Qu. An tale Matrimonium subsistat?

Resp. affirm. Supposito enim vero animo, et facto, animo scilicet ibi figendi domicilium, ac vera fixatione habitationis cum animo prædicto, sunt veri incolæ talis loci, a cujus Parocho propterea possunt valide jungi in Matrimonium. Nec refert, quod eo se transtulerint in fraudem prioris Parochi, et quod bene non calleant Doctrinam Christianam; neutrum enim est impedimentum dirimens, ac per consequens iis non obstantibus subsistit initum ibi inter ipsos Matrimonium. Et de facto cum S. Congregationi Concilii propositum fuerit hoc dubium: An valeat Matrimonium eorum, qui se transferunt in locum, in quo non est promulgatum Concilium Tridentinum, eo solo animo, ut ibidem sine Parocho, et Testibus contrahant, S. Conc. Congregatio, die 14 Augusti 1627, respondit *valere*, *si domicilium vere transferatur*, ut constat ex Notif. 15, tom. 2, § 8 Benedicti PapæXIV; ergo cum supponatur, Sponsos, de quibus est sermo,

vere transtulisse domicilium in locum, in quo Matrimonium contraxerunt, dicendum est, quod Matrimonium ibi ab eis contractum subsistat. Oppositum nihilominus dici debet de iis, qui alio se transferunt absque animo relinquendi prius domicilium, ibique novum acquirendi, et cum solo animo ibi contrahendi Matrimonium coram Parocho illius loci, ac dein revertendi ad locum propriæ habitationis : horum siquidem Matrimonium ita contractum nullum est, et invalidum; ut declaravit eadem S. Conc. Congregatio die 22 Februarii 1731, uti adnotatur in præfata Notificatione; ac videri potest apud Giribaldum novæ impressionis Bononiensis de Sacram. Matrim. c. 7, num 49.

CAS. III.— Defuncti Cadavere exposito in Ecclesia A., cantata fuit ibi Missa de Requiem in festo duplici. Qu. An eodem cadavere exposito die sequenti, pariter duplici, in Ecclesia B., nova Missa de Requiem ibi cantari possit?

Resp. cum dist. Vel agitur de duobus festis duplicibus primæ Classis : Vel de aliis festis duplicibus. Si de duplicibus (intellige, non celebrioribus) primæ Classis, dico, etiam exposito die sequenti eodem cadavere in Ecclesia B., non posse ibi cantari novam Missam de Requiem. Ratio est, quia in tantum S. R. C. declaravit, hisce diebus posse, præsente in Ecclesia cadavere, unicam Missam solemnem de Requiem celebrari, in quantum secundum Rubricas Ritualis Romani absque Missa, quantum fieri potest, Defunctorum corpora non sunt sepelienda, ut constat ex verbis Decreti ab eadem Congregatione emanati 2 Sept. 1741, et per integrum a nobis relati supra in responsione ad Cas. 3. Martii. Cum ergo pro tali Defuncto Missa sit jam celebrata in Ecclesia A; ideo, quantum licet talibus diebus eidem suffragari per celebrationem Missæ de Requiem, jam ipsi suffragatum est, ejusque honori consultum; et sic nova Missa solemnis de Requiem nequit pro eo celebrari sequenti die in Ecclesia B, quamvis sit alia dies, ac diversa Ecclesia : quemadmodum cantata pro defuncto ab uno Capitulo in die obitus una Missa de Requiem in Ecclesia A., nequit ibidem pro eodem cantari eadem die alia Missa de Re-

quiem a diverso Capitulo. Unde tota libertas ante Missæ cantum hisce diebus ad hoc reducitur, quod ista Missa pro defuncto cantari potest vel in die obitus, vel in die depositionis sequente, quod melius est, si tali die fiant exequiæ, et corpus tradatur Sepulturæ. Et fortasse ob hoc Missa dicenda in tali circumstantia inscribitur disjunctive. *Missa in die obitus seu depositionis defuncti*, ut notat Cavalieri in Agen. Def. cap. 3, Decr. 4, num. 8. Si agitur postea de aliis duobus festis duplicibus, dico utique posse eodem Cadavere exposito die sequenti pariter duplici in Ecclesia B. novam ibi Missam de Requiem cantari, quia in istis duplicibus, præsente corpore, et præcipue cum agitur de die depositionis, etiam in festis de præcepto cantari potest alia Missa solemnis de Requiem, ut diximus in responsione ad Cas. III. Januarii.

MENSE JUNII.

CAS. I. — Clericus verbis altercando cum alio Clerico, hunc manu de loco suo aliquantisper dejecit. Qu. An inciderit in excommunicationem Canonis: *Si quis suadente diabolo* ?

Resp. negat. seclusa quacumque alia circumstantia, reddente hanc dejectionem externe graviter injuriosam. Ratio est, quia hujusmodi dejectio de se, ac objective modica est, nec pertingens ad peccatum mortale; si enim simplici Sæculari facta fuisset, inquit Bariola cons. 22, nec magni fieret, nec attenderetur. Jam vero ad incidendum in excommunicationem Canonis: *Si quis suadente diabolo*, non sufficit percussio modica, non pertingens ad peccatum mortale; ut communiter tradunt Theologi, et Canonistæ, ea freti ratione, quod cum major excommunicatio reservata, sicuti est ista, sit pœna gravissima, non nisi ob mortale crimen incurritur. Addidi nihilominus in responsione illa verba; *seclusa quacumque alia circumstantia etc.* quia fieri potest, quod dejectio, seu percussio, de se levis, imo levissima, ratione alicujus peculiaris circumstantiæ evadat graviter injuriosa: puta, ratione spectabilis qualitatis personæ læsæ, ut si percu-

tiatur Episcopus, Abbas, Prælatus monasterii, Judex, aliusve in dignitate constitutus; aut ratione loci, temporis etc. circa quæ vide Alphonsum de Ligorio de Excommunicatione cap. 2, dub. 4, art. 4, num. 278, et in hisce casibus dejiciens etiam aliquantisper, aut leviter percutiens Clericum, suadente diabolo, incidit in præfatam excommunicationem, ut notant Suarez disp. 72, sect. 2, num. 26. Palaus, Bonacina, Sperellus, et alii, quos refert de Ligorio l. c. num. 273, subdens, talem canonem, utpote in favorem Clericorum emanatum, non stricte, sed latissime esse interpretandum. Et in dubio, an percussio sit levis, vel gravis, gravem potius declarandam esse, ac reservatam, clare habetur in Extravag. *Perlectis*, relata a Navar. in Man. c. 27 n. 91.

CAS. II. — Cum vetitum sit retinere, ac legere libros prohibitos, Qu. An quilibet Confessarius absolvere valeat hujusmodi lectores, ac detentores? Et quid quoad libros eis præscribendum?

Resp. quoad pr. part. cum dist. Vel isti legerunt, ac detinent libros hæreticorum, hæresim continentes, seu de Religione tractantes; aut libros Auctoris suspecti de hæresi, expurgatione indigentes, ac nondum expurgatos; vel denique libros agentes de Astrologia, seu divinatione ex astris futurorum contingentium, et a libero arbitrio pendentium; et in hisce casibus dico, non posse quemlibet Confessarium absolvere hujusmodi lectores, ac detentores, saltem si in materia notabili, ac scienter eosdem legerunt, ac detinent. Et ratio est, quia horum omnium lectio, ac detentio prohibita est sub excommunicatione reservata, ut patet quoad præfatos libros hæreticorum ex Bulla Cœnæ Domini; et quoad libros cujusvis auctoris suspecti de hæresi, etc. ex Constit. *Cum sicut* S. Pii V, ac demum quoad libros de prædicta divinatione ex astris, ex Motu proprio tum Sixti V, tum Urbani VIII. Vel legerunt, ac detinent alios libros prohibitos; et tunc dico, quemlibet Confessarium posse absolvere hujusmodi lectores, ac detentores, quia, etiam quando lectioni horum librorum est annexa excommunicatio, hæc non est reservata, ut videre est tum ex regulis Indicis

librorum prohibitorum, tum ex P. de Ligorio de excommun. dub. 4, art. 5. Cuniliati de Lib. prohib. § 1. Bonacina, et aliis, qui etiam casus exprimunt, in quibus lectio hujusmodi librorum aut eorum detentio nedum est graviter peccaminosa, verum etiam sub excommunicatione prohibita, et quando non. Quantum postea ad sec. part. dico, eis præscribendum esse, ut tales libros realiter, et cum effectu consignent Inquisitori; quamvis enim nonnulli asserant, ab ipsis eos posse comburi, vel aliter distrahi, tutius nihilominus est eos effective consignare Inquisitoribus, quia ita de facto præscribit Julius III, in secunda Constitutione, ab ipso edita pro Sacro Inquisitionis Officio.

CAS. III. — Die festo, quo magnus est ad Parochialem Ecclesiam Populi concursus, Parochus, ne Ecclesiam impediat, cadaver Titii defuncti exponi curat in alia Ecclesia, a Parochiali non longe dissita. Qu. An tunc possit in Ecclesia Parochiali celebrari Missa de Requiem cum cantu?

Resp. cum dist. Vel agitur de Festo proprie de præcepto, quo scilicet intervenit obligatio audiendi Sacrum, necnon abstinendi ab operibus servilibus; vel de die festo tantum quoad forum, aut quoad Chorum. Si primum; dico, tunc celebrari non posse in Ecclesia Parochiali Missam de Requiem cum cantu. Ratio est, quia tum Rituale Romanum tit. de Exeq. num. 5 et 6, tum Decreta S. R. C. declarantia, quod hisce diebus possit cum cantu celebrari unica Missa de Requiem, discrte exposcunt cadaveris præsentiam in Ecclesia; et si hoc ibi præsens non sit, inquiunt quidem, in die depositionis Defuncti posse adhuc celebrari cum cantu unicam Missam de Requiem in festo duplici alicujus Sancti, sed *quod non sit de præcepto:* ut fiet manifestum legenti Decreta, quæ attulimus in responsione ad Cas. III Januarii. Ergo si cadaver Titii defuncti non reperitur expositum in Ecclesia Parochiali, sed in alia, quamvis ab hac non longe dissita, nequit in Parochiali tunc celebrari Missa de Requiem cum cantu. Addo, dispensationem quoad hujusmodi Missam in die festo de præcepto nedum concedi,

ut Defuncti suffragetur animæ, verum etiam ut corpori, dein pro semper dimittendo, adhibito convenienti ritu, ac funebri pompa, signa honoris præstentur; ut notat Cavalieri in Agen. Def. cap. 3, decr. 4, num. 10. Sed hæc circa corpus locum non habent, semel ac corpus est alibi. Ergo etc.; ideoque etc. Nec opponas, S. R. Congreg. die 29 Januarii 1752, absolute edidisse sequens Decretum, relatum a Talu sub num. 1262. *Missa tamen unica solemnis insepulto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis, et festis diebus, non tamen solemnioribus primæ Classis*; ubi non dicitur *præsente corpore*, *sed insepulto corpore celebrari poterit, etc.* Contra enim, per corpus insepultum S. R. C. ibi intelligit ipsum corpus præsens, uti colligitur, non ex uno, sed ex pluribus quoad hoc a S. R. C. editis Decretis, quorum aliqua jam in antecedentibus protulimus; adeoque alia proferre supervacaneum existimo. Si postea agatur de die festo tantum quoad forum, vel Chorum, tunc censeo, quod si sit tantum duplex, possit in Ecclesia Parochiali celebrari Missa de Requiem cum cantu, si sit dies depositionis Defuncti. Ratio est, quia *Missæ exequiales Defunctorum in die depositionis Defuncti possunt solemniter celebrari diebus, in quibus cadit festum duplex alicujus Sancti, dummodo non sit festum de præcepto juxta Rubricas Breviarii Romani*, prout die 29 Sept. 1652, declaravit S. R. C. Atqui dies festus tantum quoad Chorum, non est festum de præcepto, nam per festum de præcepto declaravit S. R. C. die 11 Maii 1754, illud intelligi, cui annexa est obligatio audiendi Sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus: ergo etc. Dixi tamen, si sit dies depositionis, quia Decreta S. R. C. de tali die loquuntur, et sic ad alias dies extendi non debent, ni sit dies tertia, septima etc. quæ juxta dicta in præfata responsione sunt pariter privilegiatæ. A fortiori celebrari poterit dicta Missa in Ecclesia Parochiali, si festum sit *duplex ad libitum*; hoc enim, ex Decreto S. R. C. 18 April. 1744, relato a Talu num. 1262, cedit Officio semiduplici de præcepto; a proinde sicuti Missa etiam privata Defunctorum dici potest in die Officii simiduplicis, multo magis celebrari poterit in Ecclesia Parochiali præ-

fata Missa cum cantu in festo quoad Chorum officii tantum duplicis ad libitum.

MENSE JULII.

CAS. I. — Sergius mutuavit Cajo quinquaginta, et Cajus totidem expendit pro expediendis negotiis Sergii, quæ de hujus mandato agebat. At quia de mandato, ac pecunia expensa constare non potest, de mutuo vero constat: Qu. An, stante dicta reali compensatione, Cajus simpliciter jurare possit se solvisse?

Resp. videri quod sic. Ratio est, quia compensatio est quædam solutio l. *Si cum filio ff. de compensat.* et vera satisfactio, liberans ab ære alieno solvendo. Propterea si Cajus agens de Sergii mandato revera totidem expendit pro Sergio, seu pro expediendis hujus negotiis, quot mutuo ab eodem acceperat, nihil obstare videtur quominus simpliciter jurare possit se solvisse. Neque dicas, jurantem aliquid restituere in specie, propriæ obligationi non satisfacere reddendo æquivalens, uti diximus anno proxime elapso in responsione ad Cas. 2 Novemb. cap. *Ad nostram de jur.* Et sic neque Cajum, qui solvit æquivalenter, posse simpliciter jurare quod solvit. Contra enim, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu ipsum juramentum parit, et fundat obligationem restitutionis; unde cum ipsum non impleatur per æquivalens, sed exequi debeat in forma specifica, hinc fit, quod, qui juravit aliquid facere vel restituere, teneatur facere, vel restituere rem juratam in specie, et suæ obligationi non satisfaciat dando æquivalens; puta, dando dotem, cum juravit ducere puellam. Ab opposito in nostro secundo casu juramentum nullam obligationem parit, sed est mera contestatio satisfactionis jam factæ per debitorem; unde cum hic revera satisfecit, sive id peregerit per solutionem veram ac formalem, sive per solutionem fictam et æquivalentem; id est, per compensationem, semper verificatur aliquo modo, quod solverit; et sic non video, cur

Cajus absolute ac simpliciter dicere non possit, imo jurare, se solvisse.

CAS. II. — Puella fœta adit Confessarium imperitum, eidemque exponit, se agi in desperationem, ac esse paratam vel semetipsam veneno occidere, vel potionem sumere ad expellendum fœtum. Id audiens Confessarius, consulit ei sumptionem potionis, tanquam minus malum : quo ab ea peracto, sequitur abortus fœtus animati. Qu. An Confessarius inciderit in casum reservatum ?

Resp. negat. Una siquidem ex conditionibus requisitis ad incidendum in Casuum reservationem, est, quod intervenerit mortale peccatum : quidquid enim sit, an valeat reservari, quod mortale non est, hoc tamen est certum, quod de facto solum mortalia reservantur, ut passim monent Doctores. Jam vero Confessarius in casu, licet revera consuluerit quod de se mortale est, nempe potionis sumptionem ad expellendum fœtum; quod utpote naturæ contrarium, ac malum ab intrinseco nec ad evitandam mortem, vel infamiam, directe certo nunquam fieri potest; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona; tamen quia id consuluit bona fide, ex ignorantia, et ad evitandum majus malum; ideo hoc consulendo non peccavit mortaliter; et per consequens non incidit in casum reservatum, quamtumvis de eo verificetur, quod dederit consilium procurandi abortum, ac secutus de facto sit abortus fœtus animati. Et ratio est, quia hujusmodi Confessario non est proprie imputabile in ratione homicidii voluntarii, prout reservatur in hac diœcesi, imo nec ipsi formaliter voluntarium in ratione mali. Neque dicas, quod in eo ista ignorantia est culpabilis, ideoque nec ipsum excusat ab incursu in reservationem. Contra enim, etiam transmisso, quod talis ignorantia sit in eo culpabilis, ad summum id probat, quod non sit ob hoc immunis a peccato. At quia, ut dixi, illa procuratio abortus non est ipsi formaliter voluntaria in se, nec in causa proxima, quantum ad formalem rationem mali, et rationem homicidii voluntarii, ideo Confes-

sarius in casu non incidit in reservationem Casus. Mazzucchellus, Giribaldus, et alii.

CAS. III. — Cum juxta superius dicta etiam in festo duplici possit cantari Missa de Requiem, præsente Cadavere, Parochus, expositis in Ecclesia eodem die duobus Cadaveribus, duas Missas de Requiem cantari curavit. Qu. An recte?

Resp. affirmat. Ratio est, quia S. R. C. declaravit quidem, quod præsente in Ecclesia Cadavere possit unica Missa de Requiem iis diebus celebrari; at non exclusit, nec vetuit pro unoquoque Defuncto respectivam Missam consimilem, casu quo eodem mane præsentia sint in Ecclesia plura Cadavera; imo cum in eodem Decreto diei 2 Sept. 1741, referat, ac approbet Rubricas Ritualis Romani, statuentes, ut Defunctorum corpora, quantum fieri potest, non sepeliantur absque Missa, implicite videtur innuere, quod si simul in Ecclesia duo Cadavera sint præsentia, et pro neutro ex iis Defunctis celebratum sit, possit pro quolibet respectiva solemnis Missa tali die celebrari antequam sepulturæ tradantur. Etenim cum Ecclesia sit pia Mater respectu utriusque, non uni magis, quam alteri, velle suffragari præsumitur. Accedit allatum decretum ipsismet defunctis esse potius favorabile, cum eo tendat, quod defunctus non careat convenienti suffragio, et particulari honore minime privetur, ut notavit etiam P. Cavalieri in Agen. cap. 3, decr. 3, num. 6. Ergo si Parochus, expositis in Ecclesia eodem die duobus Cadaveribus, duas Missas de Requiem cantari curavit, unam scilicet pro unoquoque, recte se gessit.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. — Sacerdos octogenarius habens Beneficium simplex, vult vendere omnes fructus, quos ex eo percipere potest toto tempore vitæ suæ; et convenire cum emptore ut totum pretium unica solutione, ac præsenti pecunia sibi persolvatur. Qu. An licite id fieri possit tam ex parte venditoris, quam emptoris?

Resp. nec ex parte venditoris, nec ex parte emptoris id licite fieri posse. Ratio est, quia hujusmodi venditio esset species quædam alienationis; quemadmodum enim species alienationis est locare ad totam vitam fructus Beneficii, ideoque in Extravag. *Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alien.* prohibetur Beneficiariis sub pœna excommunicationis, locare fructus sui Beneficii ultra triennium; ita etc. Accedit hujusmodi venditionem pluries vetari in Sacris Canonibus, ut simoniacam; de facto Glossa ad cap. *Si quis objecerit* 1, quæst. 3, inquit: *Quidam simoniaci excusabant se, dicentes, se non emere præbendas; sed fructus præbendarum. Sed dicit Paschalis, quod si quis pro temporali fructu pecunias offerat, sine quo Ecclesiasticum Beneficium esse non potest, neutrum invenditum derelinquit.* Denique cum Beneficia Sacerdotibus conferantur, ut ex eorum fructibus congrue, ac decenter sustententur, si iis liceret unica venditione abdicare omnes fructus Beneficii pro toto tempore suæ vitæ, fieri posset, quod alicui quandoque deesset ista congrua, et decens sustentatio, ab Ecclesia intenta favore gradus Sacerdotalis; proindeque dicendum est, tam ex parte venditoris, quam emptoris illicitam esse præfatam venditionem. Hinc Bened. Papa XIV. Constitutionem edidit IV. Kalend. Septemb. anno 1741, incipientem: « *Universalis Ecclesiæ cura*, in qua omnibus Clericis, quacumque dignitate, præeminentia, honore, et » privilegio insignitis, interdicit, ac prohibet, ne in» posterum audeant, sub nomine alienandi utilitatem, » et commodum accipiendi fructus, vel alio quovis ti» tulo, prætextu, et colore, vendere, ac distrahere » suorum respective Beneficiorum reditus, et proventus, » vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab » emptore, per unam, vel plures solutiones, pecunia» rum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem » temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi po» tuissent, sub pœna excommunicationis, et nullitatis » actus, seu contractus, et omnium inde consecutorum; » aliisque pœnis inflictis, præscriptis, et statutis contra » alienantes bona Ecclesiæ: quas rursus hic contra eos» dem Clericos sic contrahentes renovare, decernere,

» et statuere intendit et vult. Insuper omnes hujusmodi » contractus damnat, reprobat, cassat, irritat, et annullat, eosque nullos, cassos, ac irritos decernit, et » declarat, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, et » effectu ab initio vacuos, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi pluries juramento firmati, » et vallati fuissent; sed nullum inde jus cuicumque, aut » actionem, vel titulum etiam colloratum possidendi, aut » præscribendi, per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse, præcipit, et jubet. » Ex quibus verbis colligitur, quod cum Pontifex ibi prohibeat, et damnet hujusmodi contractus, iidem illiciti sunt tam ex parte emptoris, quam venditoris.

CAS. II. — Titius abortum fœtus procuravit, quo secuto, deprehenditur, illum fuisse animatum. Cum autem renuat simplex Confessarius illum absolvere, Titius inquit, se, quando abortum procuravit, de animatione fœtus ne quidem cogitasse. Qu. An absolvi possit?

Resp. videri probabilius quod non. Ratio est, quia procurando voluntarie abortum, studiose apposuit causam proximam ejectionis talis fœtus, adeoque fœtus animati; imo in se voluit, ac directe procuravit ejusdem ejectionem, quæ fuit causa proxima ejus mortis. Jam vero, ut quis reservationem incurrat, et a simplici Confessario absolvi nequeat, sufficit, secuto effectu, quod id vel in se voluerit, vel in sua causa proxima; ut patet in eo, qui propinat alteri venenum mortiferum, quamvis actu non intendat illius mortem, ac de morte inferenda formaliter non cogitet. Neque dicas, mortem, in casu, sequi præter intentionem; et mortis causam fuisse appositam solùm materialiter, non vero formaliter, prout ad incurrendam reservationem requiritur. Contra enim, nego utrumque assumptum: siquidem dici non potest sequi omnino præter intentionem, quod ad actum appositum sequitur necessario, ac ex natura rei, cum ille, qui vult antecedens, dicatur velle etiam necessarium consequens, nec sit necesse ad contrahendam for-

malem malitiam, quod quis ad eam explicite actu reflectat, sed satis sit, quod de ea cogitet in actu exercito, et sub aliqua cogitatione confusa facile obvia : sic v. g. ut Sacerdos, peccans contra castitatem, contrahat malitiam Sacrilegii, non est necesse, quod tunc actu explicite cogitet de Voto Castitatis a se emisso; sed sufficit, quod de illo cogitet saltem exercite, et sub aliqua cogitatione confusa facile obvia, ut de communissima Theologorum sententia tradit Viva ad 2, prop. damn. ab Alex. VIII, quoad peccatum philosophicum num. 3. Idem ergo dici debet de Titio in casu nostro, cum in actu exercito procurationis abortus, foret ei facile obvia saltem confusa aliqua cogitatio fœtus animati. Hinc, ob defectum explicitæ cogitationis de animatione fœtus, ipsum quidem liberum censeo ab excommunicatione; non sic tamen a reservatione; præcipue cum hæc principaliter afficiat Confessarium. Bellochius, Chapeauville, aliique, contra Mazzuchellum.

CAS. III.—Vellet Parochus pro defuncto in die obitus Missam de Requiem in cantu celebrare. At cum nec Ministros, nec Cantores habeat, eamdem privatam celebrat. Qu. An bene?

Resp. affirmat. cum Pasqualigo de Sacrif. Nov. Leg. quæ 286, et Cavalieri in Agen. Defunct. c. 4, dec. 2, num. 2, et seqq. Rationem ab hoc desumo, quia in Ecclesiis, in quibus Ministri haberi nequeunt, potest id licite fieri pro Anniversario, quod non est nisi annua recensio diei obitus; ut constat ex Decreto S. R. Congregationis diei 19 Junii 1700, incipiente : *In Ecclesiis ruralibus*, per extensum a nobis relato in responsione ad Cas. 3 Januarii. Ergo a fortiori idem fieri potest in die obitus, de quo validiores urgent rationes, majoresque sunt concessæ dispensationes. Nec refert, quod tale Decretum fuerit editum pro *Ecclesiis ruralibus;* ideo enim res ita se habet, quia pro iis tantum fuit facta petitio. Cæterum idem valere etiam pro aliis, in quibus Ministri haberi facile nequeunt, ex hoc infero, quod anno 1725, jussu Bened. PP. XIII, evulgatum fuit *Memoriale Rituum* indefinite pro Ecclesiis minoribus, quo in his pri-

vatim haberi posse permittuntur Missæ omnes, quæ in aliis Ecclesiis non minoribus solemnes duntaxat haberi queunt. Favet aliquo modo nostræ assertioni etiam Rituale Romanum, Tit. de Exeq. num. 4 et 5, dicens : « Illud antiquissimi instituti retineatur, ut quantum fieri potest, Missa, præsente corpore Defuncti, pro eo celebretur, antequam Sepulturæ tradatur, » quæ locutio, ut patet, generalis est, ac indefinita. Denique Ecclesia æque est Mater pia pro omnibus fidelibus Defunctis in eadem circumstantia defectus Ministrorum. Ergo etc.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. — Berta, optime conscia, quod Titius cum aliis conjuratis inquireret Maritum suum ad necem, istum non monuit, eo fine, ut eodem occiso (prout factum est) ipsa posset nubere Titio, cum quo adulteravit. Qu. An valeat Titio nubere?

Resp. negat. saltem si Titius occidit ejus Maritum, ex fine ipsam ducendi. Ratio est, quia in hoc casu inter ipsam, et Titium datur impedimentum Criminis, ortum, non quidem ex quo per non monitionem dici possit et ipsa proprie machinata in Conjugis mortem : nam sic mere negative se habuit in ordine ad illam; sed ortum ex adulterio, uti supponitur, tempore conjugii patrato cum Titio, et ex istius machinatione, cum effectu, in mortem ejus Mariti : quæ duo simul sufficiunt ad gignendum inter ipsam Bertam et Titium præfatum impedimentum, dirimens Matrimonium, ut colligitur ex c. *Si quis vivente* can. 31, quæst. 1, ubi dicitur; non obstante adulterio post mortem Conjugis etc. *Nisi forte vir, aut Mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur :* quod habetur etiam ex cap. *Propositum*, etc. *Significasti de eo, qui duxit, quam polluit*, etc. Addidi tamen in responsione, *saltem si Titius occidit ejus Maritum ex fine ipsam ducendi*, quia non levis dissensio est inter DD. an ad inducendum Criminis impedimentum ex adulterio et machinatione unius tantum, sit necesse,

quod occisio fuerit facta animo postèa ducendi Conjugem superstitem. Siquidem id negant Cajetanus, Petrus Soto, ac alii non pauci, ea innixi ratione, quod cum istud impedimentum fuerit inductum a Jure Canonico, hujus textibus standum est : qui proinde cum nullibi hujusce animi, seu intentionis conditionem apponant, hinc fit, eam non esse necessariam. Affirmant e contrario Sanchez, Giribaldus, cæterique communius, quia istud impedimentum fuit inductum in bonum Conjugatorum, ne scilicet unus alteri necem moliatur, ut alium, seu aliam ducat. Equidem fateor utriusque opinionis fundamentum solidum mihi videri, primæ tamen solidius, quia finis legis quid diversum est ab ipsa lege, quæ hic videtur attendenda. Propterea usquequo mihi non probetur hanc per legitimam consuetudinem, contrariæ opinioni faventem, fuisse abrogatam, primæ sententiæ me subscribo.

CAS. II.—Cajus posteaquam legit dictum illud D. Gregorii in 4. Dialog. *Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam subsidia Defunctorum,* pluries, ac pertinaciter asseruit, solemnia Mortuorum funera esse mere inventa, a scelerata Ecclesiasticorum lucrandi cupidine excogitata. Qu. An mortaliter peccaverit, ac sit SS. Inquisitioni denuntiandus ?

Resp. affirm. quoad utrumque cum Ignatio Lupo in Luce Edic. SS. Inquisit. part. 4, lib. 26, art. 3. Ratio pr. part. est, quia hujusmodi assertiones falsæ sunt, detractoriæ in re gravi, et hæreticorum propriæ. Sunt falsæ, ut patet ex Rit. Rom. tit. de Exeq. et ex Notif. 16. Volum. 2. Bened. XIV. Et sane quid magis falsum, quam quod prædicta sint mera inventa, cum respiciant Ecclesiasticos ritus, et Cæremonias ab Ecclesia institutas ? Quid gravius detractorium, quam quod eadem sint inventa, excogitata a scelerata Ecclesiasticorum lucrandi cupidine ? Quid denique hæreticis magis proprium, quam sic irridere catholicæ Ecclesiæ ritibus, ac cæremoniis, ejusdemque Ministris ? Evenire quidem per accidens potest, ut ea, quæ ad funeris ornatum, ac splendorem adhi-

bentur, vivis quandoque prosint ad solatium; non est tamen dubitandum, quin etiam defunctis maxime prosint ad subsidium; ut recte ait Balinus cas. 9; per ea namque excitantur viventes ad compatiendum, ac orandum pro Mortuis, ac ipsa incredibiliter suffragantur Defunctis in Purgatorio existentibus. Cum igitur Cajus prædicta, hisce contraria, pluries, ac pertinaciter asseruerit, indubium est, ipsum peccasse mortaliter. Quod attinet postea ad auctoritatem D. Gregorii, dico, S. Doctorem ibi non detestari exequiarum pompas, convenientes statui, ac conditioni personæ defunctæ, et hæredum, sed excessum, qui superbiam potius sapere videtur quam pietatem. Ex dictis facile infertur etiam probatio secundæ partis, nempe quod Cajus sit denuntiandus Sanctissimæ Inquisitioni; nam præfatæ ipsius assertiones sunt etiam erroneæ, scandalosæ, ac hæreticales; propterea cum illas protulerit pluries, et cum pertinacia, dicendum est, ipsum esse denuntiandum Sanctissimæ Inquisitioni, ut constat ex ipsomet hujusce Sacri Tribunalis Edicto.

CAS. III. — Titius obiit summo mane diei Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Qu. An Missa pro eo sit celebranda ut in die obitus? 2. Quid faciendum, si tertius, septimus, trigesimus, vel anniversarius dies, in diem Dominicam, seu festum de præcepto, etiam secundæ Classis, inciderit?

Resp. quantum ad pr. part. quod si corpus Titii tali die opportune deferatur in Ecclesiam, Missa est pro eo celebranda ut in die obitus: nam, apud Meratum, et Cavalieri, id declaravit S. R. C. die 14 Aprilis 1646, hisce verbis : *Missa ut in die obitus præsente corpore, ultra Missam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.* Et sane si in die festivo de præcepto, præsente corpore, eadem Missa cantari potest, ut supra diximus, cur celebranda non erit in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, quæ festiva non est de præcepto? Imo licet cadaver non sit præsens, adhuc potest celebrari in die obitus, quia non

est duplex de præcepto. Quantum postea ad sec. part. dico in hisce casibus Missas cantatas de Requiem esse transferendas in diem antecedentem, vel subsequentem non impeditam, juxta Decretum S. R. Congregationis sub die 27 Septemb. 1608, et aliud 19 Maii 1614, et aliud diei 4 Maii 1686, quæ jam supra indicavimus; non enim Missa solemnis de Requiem prædictis diebus cantari potest, si tunc occurrat festum de præcepto, aut duplex primæ, vel secundæ classis, ut quoad dies tertiam, septimam, et trigesimam constat ex Decreto S. R. Congregationis sub die 27 Sept. 1669, et quoad diem anniversariam ex Decretis a nobis allatis in responsione ad Cas. III Januarii. Unde in hisce casibus facienda est dicta translatio.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. — Adolescens, deditus peccato mollitiei, quadam die actus œstro pœnitentiæ, vovit ingredi certam Religionem infra annum, si interim Dei gratia se polluere omittat. Verum post aliquot dies nolens amplius præfatum ingressum, data opera se denuo polluit, etsi cum longe minori frequentia. Qu. An teneatur amplius Religionem ingredi?

Resp. cum Salmanticensibus de Voto cap. I. num. 173. Giribaldo, aliisque communius, ipsum gravissime quidem peccasse, malitiose impediendo conditionem; sed probabilius non teneri amplius ingredi Religionem. Ratio est, quia non est impleta conditio, sub qua votum emisit, intenditque se obligare. Unde cum voti obligatio ortum habeat, pendeatque ab intentione voventis, et hæc fuerit alligata eventui talis conditionis; hinc fit, quod non interveniente, ac impedito ejusdem eventu, non emergat implendi voti obligatio. Neque dicas, admissa hac doctrina, stare in arbitrio voventis reddere promissionem Deo factam, ac se a contracto vinculo per nefas solvere. Concedo enim sequelam, magnumque nefas in casu intervenire, sed assertum esse veritati conforme, semel ac enim appositæ conditionis eventus ab

ipsius voventis voluntate dependet, potest hic per abusum suæ libertatis talem eventum revera impedire; et sic cum non sequatur id, quo solum verificato intendit se obligare, ipsi revera non advenit obligationis casus, et sic amplius non tenetur. Nec refert, quod ex sua malitia reportet commodum; id enim evenit per accidens, ex quo nempe ob prædictam rationem cesset voti obligatio. Neque reponas legem *In executione* § *fin.* ff. *de Verb. Obligat.* ubi habetur, quod quicumque sub conditione obligatus, curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur. Nam tum hæc, tum aliæ leges consimiles valent, cum unus alteri homini se obligavit ex justitia, et ex conditionis impedimento resultat alteri damnum, quo in casu conditionis implementum malitiose impediens adhuc certe obligatur vel promissum, vel contractum implere, vel damnum reficere, quod inde alteri resultat. Ast sumus in casu valde diverso: hic namque non agitur de obligatione ex virtute justitiæ erga homines, sed de obligatione ex virtute religionis erga Deum, qui effective nullum patitur damnum, etiamsi adolescens voti obligationem cessare fecerit per impedimentum conditionis verificationi appositum; ideoque ei satisfit per Pœnitentiam, et satisfactionem. Vide Giribaldum de Oblig. Vot. dub. 5, num. 57 et 58.

CAS. II.— Vidua ex Parochia A. transtulit se ad habitandum in Parochia B. ubi locavit domum ad sex menses tantum, eo quod animum haberet his elapsis statim redeundi ad habitandum in Parochia A. Si hæc interim denuo nubat, ejus Matrimonio debetne assistere Parochus Parochiæ B. an Parochiæ A?

Resp. cum dist. Vel Vidua se transferendo in Parochiam B. habuit animum amittendi per illos sex menses domicilium Parochiæ A. ipsumque figendi per illud tempus in Parochia B. et tunc dico, debere ejus Matrimonio assistere Parochum Parochiæ B. Vel habuit animum non amittendi domicilium Parochiæ A. sed tantum transigendi illos sex menses in Parochia B. et in hoc casu dico, debere ejus Matrimonio assistere Parochum Parochiæ A. Ratio pr. partis est, quia tunc Vidua habet suum

quasi domicilium in Parochia B. intervenit enim quoad hoc animus, et factum : Animus, quia intendit huc suum domicilium transferre, ac figere per illos sex menses : Factum, quia revera incœpit hic habitare cum tali animo. Unde cum jus, seu facultas assistendi sequatur domicilium, seu quasi domicilium, hinc fit, quod Parochus Parochiæ B. utpote Parochus actualis quasi domicilii Viduæ, debeat hujus Matrimonio assistere. Neque dicas, fieri posse, quod iterum nubat post modicum temporis a mutatione domicilii; unde cum illius mora in tali Parochia non sit per majorem, imo nec per dimidiam anni partem, saltem tunc spectat ad Parochum Parochiæ A ejus Matrimonio assistere. Contra enim, concedo assumptum, sed nego illatum; ut enim quis juxta commune jus, et usum Ecclesiæ sortiatur Parochiam, sitque subditus proprio Sacerdoti talis Parœciæ, sufficit inchoata habitatio cum animo ibi manendi per anni medietatem circum circa; ut quoad inchoatam habitationem colligitur ex cap. fin. de Paroch, et ex Glossa v. Larem in l. *Cives Cod. de Incol.* ac tradit Bordonus tom. 2. res. 59. n. 26. Et quoad medietatem anni circum circa, Tamburinus de Pœnit. c. 4 §. 3, num. 13, allegans cap. de Sepulturis in 6. Propterea cum Vidua etiam in tali casu revera inchoaverit in Parochia B. suam habitationem cum animo etc. ideo dicendum, etiam in tali casu Parochum Parochiæ B. debere illius Matrimonio assistere; uti etiam colligitur ex quadam S. C. declaratione, penes Farinacium in Notis ad Conc. Trident. sess. 24, cap. 1, num. 2. Ratio postea sec. part. est, quia sola translatio personæ ad habitandum in alia Parochia non sufficit ad hoc, ut quis ibi dicatur proprie habere domicilium, vel quasi domicilium, ut patet ex l. *Scire oportet* 35, *ff. ad Municip.* et ex l. 7. Cod. de Incolis; sed ulterius requiritur animus amittendi domicilium, vel quasi, hactenus habitum, illudque figendi in loco novæ habitationis, ut ex l. *Domicilium* juncta Glossa, ff. ad Municipal. tradunt Layman, Tamburinus, aliique comm. Ergo si Vidua habuit animum non amittendi domicilium Parochiæ A. (Puta, si prosecuta est ibi habere domum cum majori parte bonorum, seque explicuit ante transmigra-

tionem, quod intendebat ibidem prosequi domicilium) sed tantum transigendi illos sex menses in Parochia B ; tunc non spectat ad hujus Parochum ejus Matrimonio assistere, sed ad Parochum Parochiæ A, qui adhuc est ejus Parochus, ut docet Pignatellus tom. 7, cons. 63, allegans decisionem Rotæ, ac 8, gravissimos DD. Layman. lib. 5, tr. 6, cap. 10, n. 5. La Croix lib. 6, part. 3, de Matr. n. 719.

CAS. III. — Sacerdos reliquit in suo testamento, quod statim post mortem suum Corpus vestiatur habitu tertii Ordinis S. Francisci, et sic indutum deferatur ad Ecclesiam; item quod ipsi quamprimum ibi cantetur Missa solemnis, musicis instrumentis associata. Ritene hæc exequi possunt?

Resp. quoad pr. part. negative. Ratio colligitur ex Rituali Romano tit. de Exeq. ubi expresse præscribitur, ut nedum Sacerdotes, verum etiam alii Clerici, post mortem induantur super vestem sacro vestitu Sacerdotali, vel Clericali, quem sui Ordinis ratio deposcit. Et hanc dispositionem omnino servandam esse, præcepit Clemens XI. die 4 Februarii 1705, per suum Edictum, seu Decretum, quod pag. 317. Bullarii ejusdem legi potest, et refertur a P. Cavalieri in Agen. Defunct. cap. 17. dec. 19. Ergo præfati sacerdotis dispositio quantum ad ejus corpus, post mortem, illico vestiendum habitu tertii Ordinis S. Francisci, et ipsum sic indutum deferendum ad Ecclesiam, rite exequi non potest. Quantum ad secundam, videtur pariter negative respondendum, tum quia Eccles. 22, 6, habetur : *Musica in luctu importuna narratio;* tum quia expresse id vetuit Benedictus XIII, in Concilio Romano tit. 15, cap. 6, hisce verbis : *In Missis Defunctorum non pulsentur Organa, neque aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur.* Tum quia denique etiam Cæremoniale Episcoporum videtur excludere musicam, et instrumenta, lib. 1, cap. 28. inquiens : *In missis, et Officiis Defunctorum nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo, quem etiam in tempore Adventus, et Quadragesimæ in ferialibus diebus adhiberi convenit.* At

quia in hac Metropolitana Ecclesia Bononiensi, aliisque Ecclesiis ejusdem civitatis, et organum, et musica instrumenta, cum cantu musicali figurato, in Missis solemnibus pro Defunctis pluries in singulos annos adhibentur, prout omnibus notissimum est, loci consuetudinem pro hujus secundæ partis resolutione quoad hoc consulendam censeo.

MENSE NOVEMBRIS.

CAS. I. — Furibus deprædantibus domum Sempronii, volebat Titius clamare, at Sergius eidem, ut sileret, suasit. Qu. An Sergius teneatur reficere damnum Sempronio?

Resp. cum dist. Vel Sergius suasit Titio, ut sileret, ex rationabili motivo; puta, quia clamando periculum incurrebat, ut necaretur, vel aliud grave damnum pateretur a furibus, et in isto casu dico, Sergium non teneri reficere damnum Sempronio, quia sicuti neque ipse Titius non clamando, ob istud motivum, hanc obligationem habuisset, eo quia cum tanto periculo non tenebatur clamare; ita neque Sergius hanc habet obligationem, si ob istud motivum Titio, ut sileret, suasit. Vel Sergius suasit Titio, ut sileret, absque rationabili motivo; tunc dico, DD. satis communiter sic subdistinguere: Vel Titius tenebatur clamare ex justitia, vel solum ex charitate. Si primum, unanimiter inquiunt, Sergium, in Titii defectu, teneri Sempronio damnum reficere: quia sua mala suasione, pravoque consilio, retraxit Titium ab impedienda deprædatione illius domus, quam Titius clamando facile poterat, ac ex justitia tenebatur impedire. Unde cum ille, qui est causa causæ damnificantis, sit etiam causa damni provenientis a tali causa; hinc fit, quod Sergius, cujus suasione, ac consilio Titius non clamavit, idcoque prædictum damnum non impedivit, in hujus defectu, teneatur reficere damnum Sempronio. E contra si Titius tenebatur clamare solum ex charitate, volunt quamplures cum Giribaldo de Restit. cap. 3, dub. 5, num. 45, quod si Sergius non retraxit Titium a clamando, vi, fraude, aut dolo, non

tencatur reficere damnum Sempronio, licet etiam id fecerit ex odio, quia non proinde peccavit contra justitiam; nam ex una parte Sempronius in hoc casu nullum jus habebat, quod Titius clamaret; ex alia suasio, et consilium non aliam participat malitiam, quam illam, quam habet res consiliata, et persuasa. Cum igitur hæc non haberet in casu malitiam nisi contra charitatem; ideo solum contra hanc Sergius peccavit; et sic non tenetur etc. Opposita nihilominus opinio Navarri, Baucii, et aliorum, etiam in casu Sergium obligantium, videtur probabilior; etsi enim Sempronius non haberet jus, ut Titius clamaret; tamen jus habebat, ne hunc clamare volentem Sergius impediret, seu retraheret; unde in casu valet regula 30. de Reg. Jur. *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.*

CAS. II. — Prædium, suppositum censui, non affert tot fructus, quot Census reddit. Qu. An census iste subsistat?

Resp. cum dist. Vel id provenit ex culpa Censuarii, puta, quia hic non facit ipsum colere: vel non. Si non; dico, hunc Censum non subsistere. Ratio est, quia cum Census sit jus percipiendi fructus ex re aliena, hæc debet esse fructifera, et computato uno, vel altero anno cum aliis, saltem tot fructus reddere, quot, detractis expensis, sufficiunt ad pensionem Census solvendam; uti colligitur ex Bulla S. Pii V. ac exigit ipsa natura Contractus, et dictat ipsummet lumen rationis. Quare si prædium censui suppositum, absque Censuarii culpa, tali modo non fructificat, iste census non subsistit. Et si id provenit ex quo prædium in parte perierit, debet ad ratam minui pensio; siquidem quod res censita sic fructifera saltem prædicto modo, est conditio essentialis, ut recte notant Giribaldus de Censib. dub. 2, num. 11, aliique comm. Et sicuti re quoad sui partem pereunte, hujus cessent fructus: ita justum est, quod tali in casu etiam pensio minuatur: cum ita se habeat tota pensio in ordine ad totum prædium censitum, sicuti pars ad partem. Quod si prædium censui suppositum non affert tot fructus etc. ex culpa ipsius

Censuarii ; quia scilicet hic debitam curam , et culturam circa prædium censitum non exercet ; in isto casu dico , Censum subsistere , ac Censuarium debere sibimet damnum imputare ; nam tunc habet de se prædium præfatam conditionem essentialem ; et si hoc non affert tot fructus quot reddit Census , hoc non provenit ex eo , quod prædium non sit fructiferum , sed ex eo , quod Censuarius ipsum non colat , prout facere deberet ; proinde in casu non eximitur ab onere solvendi totam , et integram pensionem.

CAS. III. — Cum particularibus quibusdam diebus intra annum Missæ pro Defunctis celebrari nequeant ; Qu. An saltem super Defunctorum Cadavera exequiæ tunc agi possint publice, ac solemniter?

Resp. quandoque posse , persolutis tamen officiis , et dummodo ibidem non sit publice expositum SS. Sacramentum , quandoque vero id agi non posse. Et quia incipiendo a diebus , quibus id agi non potest , res clarius , ac citius expeditur ; ideo dico , exequias publice , ac solemniter non posse agi feria quinta, et sexta hebdomadæ Majoris , necnon in Sabbato Sancto , saltem usque ad meridiem ; nam S. R. C. die 11 Augusti 1736. edidit hoc Decretum : *In secundo triduo majoris hebdomadæ non possunt celebrari Exequiæ Defunctorum ; et Officium , et preces recitentur privatim* , hoc est , submissa , imo submississima voce ; quomodo eadem S. C. die 15 Maii 1745. mandavit Parochis, in præfata feria VI. Viaticum deferentibus ad infirmos , ut consuetos Psalmos *private , et submisse , quinimo submississima voce* recitent. Dixi , *in Sabbato Sancto , saltem usque ad meridiem* , quia P. Cavalieri in Agen. Defunct. cap. 15 , decr. 15, nummer. 5, censet, tali die post meridiem exequias agi posse etiam cum cantu et solemniter : quod tamen negat fieri posse mane Feriæ V. in Cœna Domini, ne quis retrahatur a consideratione institutionis SS. Eucharistiæ Sacramenti , quod plenam nostram considerationem , et exultationem exposcit. Secundo , nequeunt publice, ac solemniter peragi Exequiæ prima die Paschatis , eo quod sit maxima dies lætitiæ ; ac in die Nati-

vitatis D. N. J. C. quæ est supparis Solemnitatis cum prima die Paschatis; unde nonnisi de nocte talibus diebus posse publicas et solemnes Exequias agi, inquit Cavalieri l. c. num. 6. imo ad id faciendum requirit licentiam Episcopi. Quoad cæteras postea festivitates, etiam primæ classis, agi posse hujusmodi Exequias publice, ac solemniter, saltem post vespertinas functiones, dico cum eodem Auctore, quia non sunt paris solemnitatis cum duabus prædictis, licet aliæ dentur æqualis ritus. Nec inficior, in festis minus solemnibus fieri posse etiam mane post alias functiones, quæ tamen cavendum est quod non impediantur, ut monet Rituale Romanum tit. de Exeq. §. 5. et etiam quod nunquam peragantur, quando, et ubi expositum est publicæ venerationi SS. Sacramentum: quemadmodum enim tunc nec cadaver inferri debet in Ecclesiam, ne populus Christum adorans ad alia divertatur; ita nec debent perag i Exequiæ ob idem motivum.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. — Sacerdos obtinuit facultatem excipiendi Confessiones quoad Mares tantum. Qu. An illam habeat pro hermaphroditis?

Resp. illam habere pro hermaphroditis, in quibus prævalet sexus verilis, non sic pro iis, in quibus prævalet sexus fœmineus. Ratio est, quia hermaphroditus connumerandus est inter illius sexus prævalentis personas; ob hoc enim, cui prævalet sexus virilis, nequit nubere viro; et cui prævalet sexus fœmineus, nequit ducere uxorem. Ergo si Sacerdos habet facultatem excipiendi Confessiones quoad Mares tantum, illam solummodo habet pro hermaphroditis, in quibus prævalet sexus virilis. At dices, quid agendum hermaphrodito, cui non constat de prævalentia alterutrius? Respondeo in primis, ipsum confiteri volentem pergere posse ad confitendum approbato tam pro viris, quam pro mulieribus. Deinde vel talis hermaphroditus fecit sexus electionem; vel non. Si non; dico, ipsum confiteri debere appro-

bato ad utrumque sexum, quia sive ipse sit mas, sive fœmina, semel ac exponit peccata habenti facultatem ad utrumque sexum, alio non obstante, potest ab eo absolvi. Si postea ipse jam fecit sexus electionem, tunc potest adire Confessarium approbatum pro personis illius sexus, quem ipse elegit.

CAS. II. — Alter Sacerdos celebrando Missam in nocte Nativitatis Christi Domini, una simul cum sanguine deglutivit muscam. Qu. An postmodum possit alias duas Missas celebrare?

Resp. neg. Non enim hic est casus de eo, qui respirando attrahat per os, aut per nares muscam, illamque sic trajiciat ad stomachum; in quo casu est communis opinio Giribaldi de Euch. cap. 10, dub. 1, num. 6, Lugi, Fagundez, aliorumque DD. non per hoc fractum fuisse naturale jejunium: longe enim est dispar ratio in casu nostro, in quo Sacerdos dicitur illam sumpsisse per eamdem sumptionem, qua sumpsit Sanguinem, et sic per veram actionem, ac sumptionem per modum potus. Cum igitur sumptio rei alterabilis, ac nutritivæ, sicutiper DD. comm. est musca, sive sit facta per modum cibi, sibi per modum potus, revera frangat naturale jejunium, adeoque sit impedimento Missæ celebrationi aut Communioni, ut ex Conciliis, et Patribus, imo ex traditione Ecclesiæ a tempore Apostolorum ostendit Suarez disp. 68, sect. 3., ideo dici debet, Sacerdotem in casu postmodum non posse alias duas Missas celebrare. Nec obstat, ipsum eam non sumpsisse ex industria, sed inadvertenter; nam etiam qui inadvertenter comedit, vel bibit ante Celebrationem, aut Communionem, ad tale factum advertens, tenetur abstinere a celebratione, aut communione, ut vidimus in resp. ad Cas. 1 Januarii 1754.

CAS. III. — Cum *Te Deum* regulariter non dicatur in Officio Festi SS. Innocentium: Qu. Cur postea dicatur in eorumdem Octava imo et in die festo, si hoc incidat in Dominicam?

Resp. rationem diversitatis ab hoc peti a Gavanto, et aliis, quia Octava significat Beatitudinis terminum, quo

Innocentes, pro Christo occisi, cum eodem pervenerunt. Unde quia hujusmodi locus, locus est gaudii, ac sempiternæ lætitiæ, ideo in Octava eorumdem canitur *Te Deum*, quod lætitiam resonat, ac est hymnus plenus lætitiæ. Ob rationem consimilem canitur quoque, cum festum prædictum cadit in Dominicam: hæc enim dies Domini est, ac rememorativa Dominicæ Resurrectionis, quæ omnem tristitiam expulit, ideoque conveniens est, ut exultemus, ac lætemur in ea, præfatum hymnum recitando, etiam in festo SS. Innocentium; quamvis si in aliam quamcumque diem incidat tale festum, ob memoriam sævissimæ cædis, ab iniquo Rege de iis factæ, ac gemitus matrum, idem hymnus reticeatur. Atque hinc est, quod color violaceus in festo incidente in alios dies, in Dominica vero, et Octava rubeus adhibeatur. Cæterum si alicubi SS. Innocentes sint Titulares Ecclesiæ vel Patroni; imo, juxta Bauldrium part. 4, cap. 2, num. 3, contra Halden, si in aliqua Ecclesia sint plura corpora (prout hic Bononiæ sunt in Ecclesia S. Francisci PP. Minor. Convent.) aut insignes Reliquiæ SS. Innocentium, ibi, quocumque die occurrat Festum, dicitur *Te Deum* in Officio, et *Gloria in excelsis* in Missa, cum colore rubeo.

INDEX RERUM,

QUÆ HOC OPERE CONTINENTUR, LOCUPLETISSIMUS.

A.

Abortus secutus ex incusso joci gratia terrore, inducitne casum reservatum, aut irregularitatem, 94. Puella a Sacerdote gravida effecta, huicque innuens, se velle abortum procurare, si hic tacet, incurritne uterque reservationem, et hic irregularitatem, 101. Sacerdos abortum consulens quid in dispensatione super irregularitate exprimere debet; potestne retinere beneficium, si quod habet, 197. Suadens abortum Clericus puellæ gravidæ, se occidere paratæ, an peccat, aut fit irregularis? 208. An possit in dubio de animatione fœtus per medicinam procurari a Parocho sine incursione irregularitatis et reservationis? 294. Illum procurans an possit absolvi, si dicat, se non cogitasse de animatione fœtus? 386.

Absolutio a reservatis potestne impendi infirmo statim, dum Medicus Viaticum ordinavit, 6, aut puellæ in Monasterio educatæ, anno 12 ætatis nondum completo, plures cum Moniali obscœnitates habenti, et nunquam id confessæ, si est casus reservatus, 13, aut instanti apud judicem pro punitione injuriæ ipsi illatæ, 45, aut peccatori publico repente sensibus destituto nullum etiam dubium doloris signum præbenti, 163, aut sponso sæpius cum sponsa peccanti, dum facta jam est duplex denunciatio, 189, aut habenti morale dubium, 191, aut moribundo a Sacerdote existente in cubiculo eidem contiguo, *ibid.* Debetne Confessarius dare schedulam non absoluto eam prætendenti, 8. Non absolutus, sed redire jussus potestne absque culpa alium convenire Confessarium, 10. Estne valida data a notorio excommunicato vitando, 26, aut frequenter exercenti impudica, et tandem pertæso, 107, aut exponenti peccatum reputando se illud commisisse, quod revera non commisit, 191, aut a complice inadvertenter data complici, 232, aut peccatis, de quibus Confessarius dubitat, sintne reservata, 248. Licitumne solum proferre verba essentialia, 249. Potestne juste

denegari pœnitenti ad restitutionem obligato, si prius vult consulere peritiores? 265.

Adulterium. Maritus suspicans, Clericum adulterari cum sua uxore, potestne sine peccato fingere, se alibi proficisci, ut deveniat in rei notitiam, 111, deprehendens taliter Clericum, illumque occidens incurritne excommunicationem, *ibidem*, aut an saltem testes, si quos adhibuerit? *ibidem.*

Advocatus potestne pro mercede agere pro una parte, ex charitate pro altera in eadem causa? 259.

Amens. Licitumne amenti præbere carnes diebus prohibitis, 138, aut si habet lucida intervalla, *ibidem*, aut ad turpia vel blasphema eum excitare? *ibidem.*

Anniversarium an celebrari possit in Dominica, aut in die infra octavam, aut infra octavam Corporis Christi? 368. Aut in festo de præcepto etiam 2. Classis? 393. An debeat computari a die depositionis vel a die obitus? 377.

Arbores alienæ jam radices figentes an debeant restitui? 331.

B.

Baptismus. Hebræus, vel Turca Constantinopoli natus, sed Centi habitans, a quo est baptizandus? 129. Potestne talis promoveri ad S. Ordines. Cujusnam Episcopi subditus est? *ibidem.* In mortali existens Sacerdos baptizans an committit sacrilegium? 266. In Sabbato Sancto nondum acceptis novis sacris oleis quomodo conferri debeat? 329. Baptizante Patre, cum consensu matris præsentis, prolem recenter natam, an uterque conjugum possit petere et reddere debitum? 375.

Benedicere. Solemniter suis Parochianis sponsis an possit Parochus extra parochiam? 282.

Beneficiatus voluntarie distractus in persolvendis horis an fructus facit suos, 39. Possuntne Beneficiati parentes celare ejus mortem, donec messem fructuum beneficii pro se ipsis recondant, 116. Potestne quis valide capere possessionem beneficii ante expeditionem litterarum collationis, 118. Ad quid tenetur ob ponendas arbores, vites etc. in suo prædio, 133. Vacante beneficio quid sentiendum de jure Patronatus, dum concurrunt duo Patroni, alter Ecclesiasticus, Laicalis alter, 153. Potestne percipere beneficii fructus, aut distributiones quotidianas: dum impotens factus est ad obeunda munera sua, 162, aut innovare emphyteusim bonorum Ecclesiæ, 221, aut obligatus ad quotidie celebrandum ad mentem testatoris in cœna Domini, et die omnium fidelium defunctorum pro aliis applicare? 267.

Beneficiatus. Senex an possit pro toto vitæ tempore vendere fructus simul ac semel solvendos? 387.

Bigamia quando dignoscitur, et inducit irregularitatem? 3.

Blasphemia hæreticalis quando incurritur? 115, 156. An sit, si quis dicit mulieri: *Diabolus te fecit*? 296. Ab ebrio illam prævidente, prolata an sit reservata? 300.

C.

Calumnia. Licitumne calumniatoris occultum crimen manifestare ad se a calumnia liberandum? 242.

Censuarius ad obtinendam *Census* diminutionem an licite possit ficto animo simulare redemptionem Census? 341.

Census. Emens censum in re alias obstricta potesne exigere pensiones? 220. Fructus prædii excedens an subsistat? 399.

Census Creditor, re, quæ est *censui* subjecta, censuario tribus vendita, an possit omnes tres in solidum convenire? 311.

Clericus. Licetne Clerico paupertate presso exercere artem chirurgicam, aut medicam, 168, qualis negotiatio Clericis interdicta, 179, quid de patrimonio Clericorum in ordine ad S. Ordines suscipiendos requisito sentiendum? 217. In altercatione alterum clericum loco dejiciens an incurrat excommunicationem? 381. Qualiter sepeliri debeat? 397.

Cognatio spiritualis ex Baptismo quando contrahitur? 80 An tollat inter conjuges jus petendi vel reddendi debitum? 375.

Columbæ ad alienum columbarium volantes et nidificantes an cum pullis debeant restitui? 314.

Communio. Licitumne mulierem, rogantem Confessarium, cum parte hostiæ, quam ipse consecrabit in Missa, communicare, 58, aut administrare synaxim circa horam vespertinam, 81, Mulier duas hostias accipiens, et unam domum deferens, seque altera die communicans, quot committit peccata? 169.

Compensatio an licita, dum quis, occiso suo catello, surripit occisori certam summam pecuniæ? 53.

Complex. Quid nomine peccati turpis aut inhonesti, a quo complex non potest absolvere complicem, intelligitur. 235. Potestne in aliquo casu complex absolvere complicem? 263. An absolvi possit in articulo mortis? 290 et 291.

Concubina. Deferens litteras ad concubinam, an peccat? 252.

Confessarius qualiter procedere debeat cum constitutis in occasione proxima? 286, an possit *complicem* absolvere in ar-

ticulo mortis, 290. De industria antea non vocans alium, sed expectans usque ad articulum mortis an possit eam absolvere? 291. An possit extra confessionem corripere mulierem, quæ, ut illum ad libidinem provocaret, turpissima in confessione narravit? 298. An sit denuntiandus, qui ex confessione sciens mulierem ad obscœna proclivem, post triduum eam animo libidinoso visitat? *ibid.* Habens facultatem absolvendi a reservatis pro determinata persona an possit aliam absolvere? 313. Quomodo se gerat cum pœnitente sui amore flagrante? 316. Dubitans de dispositione pœnitentis an possit illum absolvere sub conditione? 326. Quid ipsi agendum quoad Lectores et Retentores Librorum prohibitorum? 382. An possit absolvere illum, qui procuravit abortum, et dicit, se nihil cogitasse de animatione fœtus? 339. Pro maribus tantum approbatus an etiam sit approbatus pro hermaphroditis? 401. Suadens puellæ gravidæ et desperabundæ sumptionem potus causantis abortum præ sumptione veneni an incurrat casum reservatum? 386.

Confessio. Quomodo in confessione explicanda judicia temeraria, mala desideria, 8, debetne exprimi qualitas mali aut personæ, *ibid.* Estne valida confessio peracta absque detestatione ob quamdam incogitantiam naturalem, aut absque formali proposito, 54, aut dum tradit pœnitens chartam Confessario, quam hic legit, eumque absolvit, 85. Quid agendum, dum quis confitetur, se sæpius concupivisse amasiam, et interrogatus de numero respondet, se id nescire, nec ab aliis unquam interrogatum fuisse, 86. Quid sentiendum de confessionibus rustici dubitantis, esse peccatum grave ante auditionem Sacri manducare, quod nunquam expressit? 113. Quid observandum Parocho, si ob frequentiam populi non sit opportunitas tot confessiones repetendi, et tamen communicandum ad vitandum scandalum, *ibid.* Teneturne ex conscientia erronea vincibili omittens lethalia confessiones repetere, 135, aut non exprimens numerum peccatorum, 136. Facultas Sacerdoti ab Episcopo concessa excipiendi confessiones in Ecclesia sua Parochiali, quomodo explicanda, 174. Potestne excipere confessiones Sacerdos se transferens ad aliam Diœcesim cum animo ibi figendi domicilium, et denuo ad suam remeans, sine nova approbatione, 177. Potestne confessionem infirmi excipere, cujus approbatio exspiravit; etiam die altera, dum convaluit; aut sani, qui prius inculpabiliter alicujus lethalis oblitus fuit, 206. Quid supplendum, dum peccatum præ rubore nunquam fuit explicatum, 243. Teneturne ad iterandam confessionem pœnitens, dum Confessarius vere mortale reputavit veniale, si rite explicavit, 244. Expeditne omnes indiscriminatim in confessione interrogare, 245. Aut teneturne Confessarius examinare pœnitentem stante dubio, utrum rite se examinarit, 246. Erubescens mulier fateri peccatum turpe de novo commissum,

illud in confessione generali exponens, satisfacitne suæ obligationi, 247. An valida, dum quis confitetur : Pater murmuravi, nihilque aliud, 251. Quid agendum Confessario, dum noscit ex confessione, moribundum ad restituendam famam, et doctrinam falsam retractandam obnoxium, *ibid.* Potestne quis tuto excipere confessiones in moralibus modice versatus, 255. An valida Confessio, dum quis peccatum malitiose omissum confitetur non repetendo alia, 259. Licitumne confiteri levia Confessario ordinario, gravia vero alteri? 260.

Confessio falsi criminis tormentorum vi extorta an debeat retractari? 312.

Confirmatio. Potestne ad eam admitti puer, qui non scit, nisi orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Symbolum Apostolorum, 74. Valetne quis ad Confirmationem tenere eum, qui tenuit ad Baptismum? 205.

Confratres Societatis SS. Sacramenti an possint intra annum absolvi a quolibet Sacerdote a reservatis Episcopo? 359.

Contractus quando usurarius, 4, 35, 44, 75, cum pacto quomodo licitus, 11, 16. In contractu Societatis dum unus mittitur ad emendas pro illa merces, et infirmatur, expensæ suntne solvendæ a tota societate? 11.

Contractus Censualis an sit validus, si fit non adhibitis Notario et testibus? 310.

Contractus mutui quando fiat usurarius? 276.

Correctio fraterna estne adhibenda dum dubitatur profutura? 43.

Criminis impedimentum an incurrat uxor mariti mortem non impediens? 391.

D.

Damnificatio secuta ex eo, quod quis accepit par boum sciente filiofamilias, paritne obligationem restituendi? 1.

Damnum proximi non impediens, cum possit, ad quid teneatur? 325. Aut impedire volenti dissuadens clamorem an ad restitutionem obligetur? 398.

Debitor totum valens solvere et tantum partem solvens an sit absolvendus? 302. An sit tutus in conscientia, dum remissa a Creditore debiti parte, reliquum solvit? 347.

Pro defunctis dies tertia et septima an computari debeant a die obitus vel *depositionis*? 377. Pro *Defuncto* in die Commemorationis Omnium Defunct. an possit Missa celebrari ut in die obitus? item quid faciendum, si dies tertius etc. aut anni-

versarium incidat in Dominicam aut festum de præcepto aut 2 classis? 393.

Debitum conjugale. Stante dubio de copula perfecta ante matrimonium habita potestne peti aut reddi debitum, 72. aut ab uxore concedente marito, ut votum castitatis emittat, 96, aut a contrahente cum voto non nubendi, vel perpetuæ castitatis, 107. Negans debitum petenti, aut non perficiens actum, an peccat? 158.

Denuntiandus an sit confessarius, qui, sciens ex confessione mulierem hanc esse ad turpia proclivem, eam post triduum visitat, et ad obscœna provocat? 298. Aut qui Ritus Sanctæ Ecclesiæ contemnit? 392.

Denuntiatio. Estne denunciandus Confessarius a puella fœta, quam renuit absolvere, nisi manifestando complicem? 60.

Depositum cui restitui debeat, si furto auferatur? 293.

Detractio. Revelans amico suo de Virgine, illam violatam, quomodo peccat; quomodo amicus, si aliis narraverit? 128.

Detractor ad quid teneatur? 348. An peccet, si aliorum crimina non ut vera, sed ut audita refert coram aliis? 352. An licite priorem alterius infamiam, recuperata fama, manifestare possit? 352.

Dispensatio mulieri concessa potestne exequi in confessionali ab eo, qui non habet facultatem absolvendi, nisi in mares, 78 Quid exprimendum pro dispensatione obtinenda, dum quis habuit rem cum duabus Sponsæ sororibus, 82. Si quis defloravit consanguineam, a quo pro dispensatione solvendæ expensæ? 83.

Doctoris unius sententia non facit probabilitatem, 271.

Dono accepta consumens, et postea resciens esse furtiva, quid restituere teneatur? 284.

Dos. Debentne fructus a pignore fructificante percepti computari in sortem, dum hoc interim datur, et dos nondum soluta est? 68.

Duellum potestne acceptari? 125.

E.

Ecclesia qualibus criminibus polluatur? 296.

Eligens in Parochum, quem putat liberaliorem in egenos, an committat Simoniam, si eligens pauper est? 364, an peccet, si ignotum in Parochum eligat, 366. Aut consanguineum minus dignum aliis? 370. Aut Medicum minus peritum pro hospitali? 374.

Eligendi vitium an debeat manifestari? 371.

Emphyteusis pluribus collata, uno deficiente, an accrescat alteri? 334.

Empta res ex pecunia aliena cui pereat, aut cui sit obligata? 338.

Emptor bonæ fidei an possit rem furtivam furi restituere, ut se indemnem servet? 42.

Excommunicatio an incurritur a percutiente occulte Clericum, 54, aut a Patre inducendo filiam ad eligendum statum Monachalem, 67, aut a Clerico, dum prohibito ludo alearum sub excommunicatione ab Episcopo extra Diœcesim ludit, 69. Dubitans se excommunicatum, quod percusserit indutum habitu clericali, de quo certo non scit, adhibita diligentia, esse Clericum, estne excommunicatus, 256, aut qui extrahit e statu Ecclesiastico frumentum, et alia per leges prohibita? *ibid.*

Excommunicationem an incurrat in altercatione Clericum sede sua dejiciens? 381.

Exponentes ad loca publica infantes ad quid teneantur et quas pœnas incurrant? 344.

Expositi infantes an sint irregulares? 344.

F.

Fama qualiter sit restituenda, et quando apud auditores mediatos, 349. Illa post infamiam recuperata an licite possit tolli per infamiæ prioris manifestationem? 350.

Famulus. Licitumne illi aliqua surripere judicio suo æquivalentia merito servitutis, 5, potestne illi quid detrahi de salario, dum ægrotavit? 55.

Festum quando violatur per opera servilia; et quænam censetur notabilis pars temporis pro mortali violatione, 88. Potestne Parochus dare facultatem suis subditis exercendi talia opera diebus festis? 90.

Filiis spuriis quid parentes dare teneantur? 324.

Filiusfamilias an teneatur cedere Patri usum fructum bonorum invito Patre ipsi obvenientium, 358. Ab amico sustentatus an possit a Patre pro alimentis aliquid æquivalens exigere? 358.

Furi an emptor bonæ fidei possit rem furtivam reddere, ut se indemnem servet, 306. Ditior factus ex nova lana ovium furto ablatarum ad quid teneatur? 308. An teneatur restituere pannum ex aliena lana confectum? 332. Alienam rem restituens, et cum consensu domini eam ad tempus retinens an aliquid teneatur restituere, si interim illi hæc res ab alio auferatur? 337. *Fures* scienter sed sine consensu per minuta furta grave damnum facientes an sub mortali teneantur ad restitutionem? 333.

H.

Hæres Sacerdotis dubitans, utrum hic satisfecerit stipendiis missarum acceptis, ad quid tenetur ? 62.

Hæredes mandantis an teneantur ad restitutionem, mandatario post mandantis mortem damnum commissum dante ? 330.

Homicidium. Ad quid tenetur occisor in sui defensionem, dum potuisset solum se defendere percutiendo, 38. Volens occidere Clericum, alium Clericum occidit, estne excommunicatus, et damna reficere tenetur, 40, vel qui inflixit alteri lethale vulnus, ex quo mortuus est, ad quid? 41. Vide *Occidens.*

Pro *Honore* læso qualis debeat fieri satisfactio? 307.

I.

Jejunium. Licitumne comedere carnes marito ad excitandum in uxore ægrotante appetitum, 18. Teneturne ad jejunium, qui diebus jejunii acerrimos carnis stimulos sentit, aliis diebus non, 56. Excusaturne faber ferrarius ab eo etiam aliis diebus, quibus ab operibus suæ artis vacat, 64, aut invisens amasiam, et defatigatus, 141. aut peregrinus veniens ad locum, ubi sit vigilia festi localis; et quid de missa audienda dicendum, 176, quomodo in die jejunii dispensato prohibita intelligitur promiscua comestio carnis et piscium, 180, an infirmus absque præjudicio stare potens cum collatiuncula in die jejunii, hac debet esse contentus? 181. Licetne prævenire horam ante meridiem, 182. Dispensatus in Quadragesima ad comedenda ova et lacticinia, potestne in refectiuncula comedere caseum? 184.

In *Jejunio Ecclesiastico* an damnata sit a Benedicto XIV. sententia dicentium, dispensatum quoad carnes posse sero cœnare? 327.

Impedimentum criminis quando incurritur, 95. Quænam conditiones ad id incurrendum requiruntur ? 148.

Impedimentum publicæ honestatis quousque se extendat? 340. An oriatur ex sponsalibus cum impubere contractis? 321. *Criminis* an incurrat uxor mortem mariti non impediens : et dein nubens alteri, cum quo adulteravit ? 391.

Imprecatio. Qui alteri imprecatur malum, quomodo peccat? 20.

Immunitas. Quisnam locus gaudet immunitate ? 223.

Incestus. Committens incestum cum sorore satisfacitne dicendo, se peccasse cum consanguinea? 142. Maritata sæpius pec-

cans cum cognato, estne absolvenda? 146, aut a Confessario de impedimento affinitatis admonenda? *ibid.* aut potestne Confessarius de licentia ejus admonere cognatum, ut ab hoc incestu abstineat? *ibid.*

Incestuosus privatus jure petendi debitum an peccat per tactus? 318.

Indulgentia. Estne ad illam lucrandam præmittenda confessio aut communio, 57. Sufficitne hæc peragere in pervigilio, aut biduo ante vel triduo, 61. Ad septennium concessa, quomodo computari debet, 71, aut ad aliud septennium prorogata, 121. Quid sentiendum de indulgentiis concessis fraternitatibus, aut aliis piis precibus persolvendis? 224.

Infamator ad quid teneatur? 349.

Infamiam prius incursam sed oblivione deletam an quis licite manifestare possit? 350. Ad illam evitandam an licite quis mortem optare queat? 288.

Infantes expositi an sint irregulares? 344.

Infanticidium quando ad culpam imputabile, 165, aut quando peccant parentes tenentes infantes in lecto? *ibid.*

In festo *SS. Innocentium* cur *Te Deum* non dicatur, nisi veniat in Dominica, et in ejus octava? 402.

Irregularitas. Estne irregularis, qui alteri abscidit pollicem, 16, aut Sacerdos fune dimittens adolescentem in puteum ad expiscanda quædam vasa, dum funis disrumpitur, et ille suffocatur, 56, aut abluens infantem aqua frigida, qua mors ei acceleratur? 122.

Jubilæum. Relaxato voto in Jubilæo, at ob inopiam non elargita eleemosyna, an adhuc subsistit voti commutatio, 77.' Potestne jam lucratus illud, si repetat opera præscripta, denuo absolvi a casibus reservatis? 262.

Jubilæi tempore an quis possit ob occulte occisum Clericum absolvi ab excommunicatione, et dispensari ab irregularitate? 301. Item an tunc *interdictus* ob non impletum præceptum Paschale possit absolvi? 304.

Judex quando habet jus juridice interrogandi? 17. Potestne aliquid recipere ad juste judicandum? 50, aut concubina ejus pro intercessione facienda? 258.

Juramentum. Quando quis censetur perjurus, 19, 65. Ficte jurans, ac promittens quomodo peccat, 79. Potestne ab Hebræo exigi juxta ritum ejus, 104, aut ab eo, qui certo scitur pejeraturus, *ibid.*, jurans se in carcerem rediturum, an tenetur, 124. Quid sentiendum de juramentis parentum? 140. Execrato-

rium quando obliget præsertim fœminas? 277. Patris an obliget etiam filios? 299.

Jurare an possit, se solvisse mutuum, qui compensavit aliis expensis? 385.

L.

Lana ovium inter quos fructus reputetur? 308.

Laudemium, cui debetur, si dominus directus fundi in emphyteusim dati, donavit illum causa mortis quoad proprietatem uni, quoad usumfructum alteri? 268.

Cum *Lectoribus et retentoribus Librorum prohibitorum* quid agere debeat confessarius? 382.

Litteræ alterius an licite legantur? 346.

Locator rei vitiosæ ad quid teneatur? 323.

M.

Mala gravia an licitum sit optare ad evitandam infamiam? 288.

Mandatarius ob damnum illatum ad compensationem condemnatus an possit a mandante relevationem jure petere? 320. Item an eodem post mortem mandantis damnum faciente, teneantur hæredes mandantis resarcire damnum? 330.

Matrimonio jungere Parochus an possit suos Parochianos extra parochiam? 282, a sponsis alibi domicilium figentibus contractum, priore parocho ob defectum Doctrinæ Christianæ invito, an sit validum? 379. Sponsis ad sex menses ad aliam Parochiam pergentibus cum animo redeundi, quinam parochus assistere debeat eorum Matrimonio? 395.

Matrimonium. Estne validum, contractum coram Capellano, qui a Parocho accepit licentiam omnia in ejus absentia exercendi munera Parochialia. 33. Licitumne benedicere secundas nuptias, dum primæ non fuerunt benedictæ, 77. Per procuratorem contractum quando validum, 97. Dum plures fratres uxorati vivunt in communione bonorum, quid et quantum de illis bonis usurpare valent, 98. Potestne filia nubere irrequisitis parentibus, 102. Teneturne huic Pater dare dotem, *ibid.* Quisnam Parochus minister matrimonii, 199. Contractum cum voto non nubendi aut perpetuæ castitatis, estne validum, 108. Contracto, sed non consummato, matrimonio, cognita tamen ante illud sponsa, licetne amplecti statum Religiosum, 117. Posses-

sione beneficii Parochialis a Parocho nondum capta, estne validum matrimonium coram ipso contractum, 119. Aut contractum metu excommunicationis, 120. Aut in articulo mortis coram Parocho excommunicato denunciato, 144. Potestne a Viro designari fœmina in procuratricem ad contrahendum, 145. Factis denuntiationibus teneturne quis manifestare copulam cum sorore sponsæ habitam? 254.

Medicus minus peritus an possit eligi pro hospitali? 374.

Mercator. Tristatus, quod alii merces vendant, ipse non, an peccat, 26. Potestne merces credito vendere pluris pretio rigoroso ob periculum, quod imminet? 46.

Meretrix turpi lucro parentes pauperes sustentans an eos possit derelinquere, et fieri monialis convertita? 357.

Missa. Substitutus ad celebrandum pro testatore, et infirmatus potestne prætendere solutionem stipendii pro tempore infirmitatis, 6. Aut executor testamenti diminuere stipendium missarum, ut plures legantur pro testatore, 7. Possuntne accepto stipendio differri missæ, 28. Aut legi pro stipendium dante, indulgentiæ autem applicari defuncto consanguineo, 29. Dum peracta prima consecratione alius substituitur, et uterque applicat pro diversis, cui prodest sacrificium, 30. In mortali existens, et impotens confiteri, vel audire missam in die festo, omittit celebrationem missæ, an peccat, 31. Potestne Sacerdos uti planetis ex aliis vetustis confectis sine nova benedictione, 36. Parochus inadvertenter jejunium frangens valetne adhuc celebrare missam, ut populus præcepto satisfaciat, 59. Teneturne reliquum missæ audire, qui venit ad canonem, 64. Teneturne restituere Capellanus accipiens stipendia missarum a famula, quæ ægrotans confitetur, omnia furto sublata a Parocho, 66. Missam audire impotens debetne supplere aliis precibus, 188. Accipiens stipendia a suo creditore, hoc mortuo ære alieno multum gravato, potestne missas legere, 238. Quæ requiruntur, ut Sacerdos in mortali existens celebrare possit, non præmissa confessione? 262.

Missa pro defunctis an in festo duplici a pluribus celebrari queat? 363. An in Hebdomada Sancta vel die Paschatis? 372. An in duabus Ecclesiis eodem die cadavere utrobique successive exposito celebrari valeat in festo duplici? 380. Item an celebrari queat in Ecclesia parochiali, cadavere ob concursum populi ad aliam Ecclesiam translato et exposito? 383. In duplici festo, duobus cadaveribus in Ecclesia expositis, an possit duplex Missa de Requiem cantari? 387. An in die obitus ob defectum ministrorum et Cantorum privata celebrari possit? 390. An pro defuncto in die Commemorationis omnium Defunctorum possit celebrari ut in die obitus? 393. An præsente cada-

vere possit celebrari tempore alias prohibito? 400. In prima Missa Nativitatis Domini cum sacro sanguine muscam deglutiens an possit alias duas legere? 402.

Moribundi confessionem an excipere possit simplex Sacerdos cum Parocho adveniens? 304.

Mortem optare ad evitandam infamiam an sit licitum? 288.

Mutuans an possit licite in solutione summæ mutuatæ statim interesse detrahere? 348.

Mutuatarius ad quid teneatur? 277.

Mutus et non impediens damnum proximi, cum posset, ad quid teneatur? 325.

Mutui contractus quando fiat usurarius? 276.

Mutuum. Potestne mutuans post mortem mutuatarii aliquid prætendere, dum hic occasione mutui et triticum dederit, et alia promiserit, 48. Licetne mutuare ad certum tempus cum spe aliquid sibi donandum ultra sortem, 49. Et si donetur, potestne retineri tuta conscientia, 49, aut in tritico mutuato prætendi pretium summum, si ad illud excrevit, 72. Aut mutuum dans amico, et ob hoc negotiationem omittens exigere lucrum cessans? 143. Qualibus in pecuniis solvi debeat? 335.

O.

Occasio. In eodem lecto cum altero dormiens, et exercens tactus impudicos, estne absolvendus? 83.

In *Occasione proxima* constituti an sint absolvendi? 286.

Occidens ad sui defensionem inimicum, quem tantum mutilare, aut etiam fuga mutilationem declinare potuisset, ad quid teneatur? 339.

Ovium lana ad quos fructus pertineat? 308.

P.

Parentes. Possuntne filiam invitam compellere ingredi monasterium, usque dum ei idoneus sponsus inveniatur, 27. Quomodo peccant non impedientes solam filiam sponsam conversari cum sponso? 189. Quid teneantur dare filiis spuriis? 324. Eorum juramenta an filios obligent? 299. Parentibus egenis an filia diviti nupta possit alimenta ministrare? 355. Patre prolem

suam recenter natam in præsentia consentientis matris baptizante, an uterque possit petere et reddere debitum? 375.

Parochus. An juste conqueritur contra sacerdotem celebrantem ante missam Parochialem, aut docentem populum sine ejus licentia, 70. Quid agendum Parocho, dum ejus Capellanus, sed fictus Sacerdos, morti proximus confitetur, se ne quidem primam habere tonsuram, 170. Quomodo peccat, solis diebus Dominicis inserviendo Ecclesiæ propriæ, et pro aliis relinquendo sacerdotem pro functionibus peragendis, 200. Teneturne succurrere ab hostibus vulnerato cum periculo suæ occisionis aut gravis vulnerationis? 231. Existens in mortali, et benedicens aquam an novum committit, 254. Quando graviter violare censendus obligationem residentiæ? 267. An licite suos parochianos extra Parochiam unire matrimonio et solemniter benedicere possit? 282. Præbens gravidæ medicinam abortum facientem in dubio de animatione fœtus an sit irregularis in foro interno, et an incurrat reservationem? 294. Quomodo se gerere debeat cum pœnitente parochiana sui amore capta, 316. Quomodo conferre debeat baptismum in Sabbato Sancto, quando nondum accepit nova olea sacra, 329. Quinam Parochus debeat assistere matrimonio sponsorum ex una parochia in aliam ad sex menses et cum animo redeundi transeuntium? 395.

Pascens animalia in alieno fundo ad quid teneatur? 313.

Perjurium an committat, qui intendens se obligare in conscientia ad aliquid dandum, illud non dat? 353.

Pignus ad montem Pietatis depositum quo pretio redimi debeat? 362.

Pœnitentia. Satisfitne, dum quis Rosarium B. V. injunctum per decades distinctis horis absolvit, 34. Potestne a pœnitente relaxari, dum hic sit impotens ad illam implendam, 261. Commutata pœnitentia, an licite adhuc pœnitens primam persolvit? 265.

Probabilitatem non facit unius Doctoris sententia? 271.

Promissio. Sub conditione turpi an obligat? 38, 87.

Promissa Ecclesiæ cuidam pulchra planeta, potestne alteri magis indigenti donari? 220.

Promissio jurata, absoluta et mutua, independens tamen, an debeat ab altero servari, uno eam non implente? 354. *Promittens*, se aliquid daturum, et intendens se obligare in conscientia, an sit perjurus, si non dat? 353.

R.

Reservatæ. An sint blasphemiæ ab ebrio prolatæ, 300. Facultas *a reservatis* absolvendi pro determinata persona impetrata an valeat pro alia? 313.

Reservatio. An incurritur ab eo, qui propinavit venenum inimico, qui se dedit e rupe præcipitem, 31. An a Parocho, supposita reservatione carnalis commercii cum Parochiana, si illam cognoscat ruri recreationis causa degentem; aut vagam degentem in Parochia, 185. Afficitne electum tantum; aut qui curam gerit cum solis Provisionalibus, *ibid.* Habens reservata, et confitens facultatem habenti, sed invalide, an potest ab alio inferiori absolvi, 203. Aut oblitus mortalis, quod postea reservatur, valetne absolvi a quolibet, 204. Incurriturne a pubere ob metum gravem sodomitæ consentienti, 207. Potestne Parochus a reservatis absolvere suum Parochianum in alia Diœcesi? 209, 212.

Restitutio. Ad quid tenentur sequentes: falsam monetam accipiens, illamque bona fide in alium transferens, 15. Hauriens e dolio vinum, illique aquam substituendo, 17. Conductor, dum locatori evenit damnum, quod illum latuit, 20. Suadens ad furandum parato, ut ditiori damnum inferat, 23. Serens triticum alienum in agro proprio, 25. Differens restitutionem, *ibid.* Reportans magnam utilitatem, per falsam judicis sententiam alterius fundum excolendo, 42. Puella ab amasio inscio patre accipiens munera, 51, et seq. Fraude comœdiis se intrudens, nec solvens statutam a Comicis summam, 52. Mutuatarius et commodatarius, dum mutuum et commodatum perit, 70. Villicus meliorans rem domini, quam hic non vult meliorare, pretiumque retinens, 91. Furatus 400 aureos, aliosque 100 superlucratus, 114. Rem alienam invito domino detinens, 125. Non manifestans fures, 132. Applicito casualiter igne e domo extrahens frumentum, 134. Hæredes usurarii; famuli et fautores usurariorum: Confessarius non admonens de onere restitutionis? 215. Potestne debitor restituere debita, ea distribuendo pauperibus, 37. Suntne restituenda ab emptoribus concubinario, quæ concubina ejus reputata uxor illis vendidit, 142. Licitumne famulo mutare monetam sibi pro solutione a domino consignatam, ex quo plura lucratur? 229. Qualiter ad eam teneatur dono oblata consumens et postea resciens esse furto ablata? 284. Quomodo honor, 307. Et fama restitui debeat apud auditores mediatos, 349. Ad quid teneatur, crimina alterius non ut vera, sed tantum ut audita referens? 352. Item fur ex nova lana ovium furto ablatarum ditior factus, 308. Et pascens alieno in fundo sua pecora? 313. Columbæ in alieno columbario

nidificantes an debeant cum pullis restitui? 314. Ad quid obligetur damnum proximi non impediens, cum posset? 325. Item impedire volenti suadens, ut taceat? 398. Hæredes mandantis mandatario post ejus mortem damnum faciente ad quid teneantur? 330. Fur ex lana furto ablata pannum conficiens, ad quid teneatur? 330. An sub mortali teneantur ad illam fures scienter, sed sine consensu, per furta minuta grave damnum inferentes? 333. Ad quid teneatur fur, alienam rem auferens, sed cum consensu domini ad tempus eam retinens, si hæc illi ab alio furto auferatur? 337. An debeant arbores alieno in fundo radicem figentes restitui, 331. Ad quid teneatur occidens pro sui defensione inimicum, quem mutilare potuisset, aut qui etiam mutilationem fuga declinare potuisset? 339.

Restrictio mentalis. Quando peccaminosa, si simul damnum proximi sequatur? 136.

Retractatio an fieri debeat quoad falsi criminis confessionem tormentorum vi extortam? 312.

Reus. Vere talis, accusatorem, quod per testes crimen probari non posset, ut falsarium et calumniatorem traducit, an diffamator dicendus? 21.

S.

Sacerdos in Nativitate Domini in prima missa muscam deglutiens cum sacro Sanguine an possit alias duas celebrare? 402. Sæcularis quomodo sepeliri debeat, 397. Simplex an cedere debeat Parocho apud moribundum? 304.

Sacrilegium. Furtum quando sacrilegum censetur? 253.

Sententia unius Doctoris an faciat probabilitatem? 271.

Sepeliri quomodo debeat sacerdos? 397.

Sepultura Ecclesiastica estne deneganda seni aquis immerso, de quo dicetur, ex desperatione id factum? 2.

Sigillum. An etiam Consiliarius a Confessario rogatus frangere potest, 34. Licitumne de licentia pœnitentis, 250. Frangitne Confessarius alterius Confessarii, cui solitus fuit confiteri, confessionem excipiens, ac noscens ipsum non esse sacerdotem, si non amplius ei confiteatur? 262.

Simonia. Quando committitur? 14, 92.

Simoniam an committat pauper, si eligit in Parochum illum, quem scit liberaliorem esse erga egenos? 364.

Sponsalia. Contractis sponsalibus cum Caja, et cognita cum promissione matrimonii Sempronia, quænam ducenda, 126.

Emisso voto contrahens sponsalia cum Berta, potestne ducere ejus sororem, 214. Cum impedimento ignorato contracta, et illo cognito sub conditione obtinendæ dispensationis renovata an sint valida, 280. Cum impubere contracta an inducant impedimentum publicæ honestatis? 321.

Stuprum. Ad quid tenetur deflorans puellam sub spe matrimonii, et ab eo reprobata, quæ tamen alteri æque digno nupsit, 99. Aut an peccat puella alteri nubendo, et se virginem simulando, 100. Debetne puella consentiens in mentale carnale commercium exprimere, quod sit virgo, 361. In quibus circumstantiis sit reservatum? 343.

Sub Sigillo an cadant obscœna in confessione narrata a pœnitente, ut confessarium ad sui amorem alliciat? 298.

T.

Te Deum cur dicatur in octava SS. Innocentium, et hoc festo in Dominicam incidente? 402.

Tentatio. Tentationibus vexatus Sacerdos displicentiam habet, quod statum conjugalem non elegerit, quomodo peccat? 22.

Testamentum. Legatum in Testamento relictum Ecclesiæ Parochiali, cujus nomen non est expressum, cuinam debetur, dum legans in una natus, in alia Testamentum condidit, in alia occubuit, 63. Filius inducens importunis precibus Patrem, plura legantem ad pias causas, ad mutandum, ad quid tenetur, 139. Potestne hæres aliquid subtrahere ex stipendiis in Testamento relictis, dum quis contentus est minori stipendio? 186.

V.

Venditio. Licitumne vendere vinum inebriando, ne lucrum amittatur? 24.

Venditor agri ad tempus credito an possit interim percipere fructus, hos non in sortem computando, 285. Venditor rei furtivæ sive mediatus sive immediatus ad quid teneatur? 309.

Viaticum. Licitumne infirmo, qui deglutire nequit sacram particulam, cum portione sanguinis Viaticum ministrare, 76. Aut per modum Viatici sæpius in hebdomada eamdem communicare personam, quæ jejuna non potest recipere Eucharistiam, 81. Potestne denegari puero moribundo, de cujus sufficienti capacitate dubitatur, 106. Indisposito infirmo ad absolutionem

et Viaticum quid agendum Capellano, dum a Parocho interrogatur? 240.

Votum ingrediendi Religionem ac profitendi, obligatne Novitium, dum austeritates ferre non valet, 13. Vovens se daturum Ecclesiæ calicem, et per annum differens, quomodo peccat, 109. Ex qua materia debet talis calix offerri, *ibid.* Vovens singulis diebus recitare *Salve Regina*, idque omittens, quomodo peccat, *ibid.* Votum Religionis a mollitiei dedito editum pro remedio an obliget, si dein se studio polluit? 394.

Vovens alere viduam an ea mortua teneatur alere ejus familiam? 273.

U.

Unctio. Possunte sub una forma inungi omnes sensus, 82. Quomodo intelligitur remitti pœna temporalis, 84. Potestne dari seni decrepito alio morbo non laboranti, 191. Aut puero septenni una cum Viatico? *ibid.*

Usura quando committatur in contractu mutui? 276.

Uxor divitis an possit pauperibus parentibus alimenta ministrare? 355.

239.6
L.176
4812
LAMBERTINI Prosper
AUTHOR
Casus Conscientiae
Tomus II 1752-1761 Bononiae
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709
4812